



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Iacobi Brvckeri Regiae Scient. Societatis, Qvae Berolini
Floret, Membri Historia Critica Philosophiae**

A Tempore Resvscitarvm In Occidente Literarvm Ad Nostra Tempora

Brucker, Johann Jakob

Lipsiae, 1743

Liber Tertivs. De Philosophis, Novam Philosophandi Viam Tentantibvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29129

LIBER TERTIVS.
DE PHILOSOPHIS, NOVAM PHILOSO-
PHANDI VIAM TENTANTIBVS.

C A P V T I
DE SCEPTICIS RECENTIORIBVS.

*Ratio eorum
qui a secta-
ria philoso-
phia disces-
serunt.*

§. I.

OMNEM fere philosophantium orbem sectaria philosophia, et quidem, quod ad plerosque attinet Peripatetica, occupatum fuisse post renatas literas, prolixa haec tenus commentatione demonstrauimus. Prodit id quidem vel paupertatem quandam ingeniorum, sibi nihil, veteribus omnia, tribuentium, vel ignavum animi consilium, nihil noui audendi, et in veteribus confescenti, vel praeiudicia omni veritate superiora, quibus creditum, adeo perfectam esse Graecorum sapientiam, ut addi nil possit. Quae tamen momenta, cum reuera dedecus aliquid humano generi inferant, facile refelli et ineptae opiniones exui possunt cogitantibus, eadem et intellectus luce et animi libertate nos vti, qua veteris Graeciae philosophi, et praecipue conditores sectarum usi sunt, et eandem viam eo felicius laetiorique successu tentare nos posse, quam illi tentarunt, quo luculentioribus exemplis deuia nobis, quae euictanda sunt, innotuerunt. Quae cogitationes adeo rectae sunt, ut impossibile fuerit, omnem philosophantium nationem in philosophia sectaria haerere, sed ad praeclera magis et pulchra adspiranda se conuerterint excelsa nonnulla ingenia. Ast cum laudabili instituto adiecto seruili iugo meliora quaerere viri docti coepissent, nonnulli quidem ad eclecticam philosophiam delati sunt, quos parte huius tomri altera enarrabimus: multi autem, ut nihil est ab omni parte in humana vita beatum, in deuia abripi se passi sunt, et vel veterum Academicorum et Pyrrhoniorum instituta probantes, omnem humano intellectui veri cognitionem, saltem certam et ad ipsa veritatis limina ducentem scientiam denegarunt: vel cum rationis a Deo humano intellectui inditae lumini dissiderent, et incertum ex eo sibi in inquirenda veritate auxilium promitterent, abiecta ista regula, immo posthabita quoque scripturae S. interpretatione rationali, diuinum aliquod lumen mentibus illabens commenti sunt, quod ubi se hominum animis insinuasset, recluderet rerum diuinatarum humanarumque mysteria, et concatenatae elementorum rerumque omnium feriei arcana panderet, hac que ratione theosophiam quandam suppeditaret, artis chemicae beneficio

ad

ad miraculosos effectus transferendam. Fuere nonnulli, qui cum eclecticam philosophiam laudatam inuenissent, audiuisseruntque, nullam esse sectam, quae non aliquid viderit ex vero, eam cum syncretismo, et inepta sententiarum dogmatumque toto coelo diuersorum conciliatione confundentes, impurum philosophiae genus, doctrinis heterogeneis maleque consarcinatis plenum excogitarunt. Immo inuenti sunt, qui omnem omnino philosophiam reiicerent. De quibus iam in sequentibus paulo plenius tractandum est.

§. II. Mirabitur forte quispiam, qui factum sit, ut, cum sectariae philosophiae absurditas ingenii nonnullis excitatis acutisque se prodiderit, non ausa sint eclectice philosophari, suoque lumine ita uti, ut his demum, quae recta veraque detexissent, ea adiicerent, quae veritati affinia apud alios inuenissent. Verum ad ingeniorum ipsorum conditionem, ad propensiones animi, ad temperamenti rationem, ad educationis praeiudicia, aliasque caussas similes respicientes, mirari hanc $\alpha\beta\lambda\epsilon\psi\lambda\omega$ humani animi desinent *. Ita enim plerumque via instituitur, ut his ducibus placet. Prima tamen eius mali caussa fuit, aut nimia erga vires intellectus homini connatas dissidentia, aut nimia sui fiducia. His enim extremis comprehendendi putamus, quicquid ea in re recentiori aetate in deuia abreptum est. Et nimiam quidem sui fiduciam, ambitionis matrem, quam omnium difficultime homines exuunt, incertitudinis illius, quam recentiores Sceptici excolunt, verum fontem fuisse, nemo negauerit, qui cogitauerit, hos homines, qui Pyrrhonismum nostra aetate incrustant, tanta de sui ingenii acie, eruditione, et viribus opinione occupatos esse, ut credant, nihil ad eas obiectiones, quas foecunda suggerit imaginatio, auget insanum contradicendi studium, posse reponi, fibi vero egregie placeant, quod certissimis omnis humanae eruditionis decretis innumerarob; obiectiones queant reponere. Alii non minus superbia inflati, cum communem humani ingenii sortem fastidientes, maiora et excelsiora appellerent, ad extraordinaria, diuina, theosophica delapsi sunt, et obscuras difficilesque nugas veritatibus simplicibus praetulerunt. Sed et nimia erga se ipsum diffidentia horum deuiorum causa esse potuit. Cum enim nonnulli, animi sui paupertate deterriti veritatem inuenire, leuare difficultates expedire se perplexis, et eruere sapientiam se posse desperarent, rationem, cuius parcum vnum habebant, accusantes supernaturale, diuinum, extraordinarium principium excogitarunt, et ignotam viris sanctis, diuino Numine afflatis theosophiam commenti sunt. Alii, ignorantiae seducti persuasione cum imaginationis viuae et foecundae, at iudicii vi non in ordinem redactae beneficio ad excogitandas obiectiones quam plurimas essent apti et proclives, nulli autem argumento diu inhaererent, nexumque veritatum

operosa

* Conf. quae acute monet Cel. MOSHEMIUS Ethic. Christ. T. I. c. 1. §. 23. p. 407 seq.

Caussae, cur
abieicto se-
cario stu-
dio eclectica
philosophia
non triun-
phauerit.

operosa meditatione perspicere refugerent, commodum sibi esse rati sunt, si Scepticismi patrocinio ingratum laborem euitarent. Immo et atra bile referti cum feruerent imaginationis extra orbitam decurrentis, ardore, et nescio quae profunda mysteria sibi fingerent, diuinam huiusmodi sapientiam, paucis nosse datam somniarunt. Tacemus similes causas alias, facile ab illis detegendas, qui ad interiores humanae mentis recessus accurate attendere solent. Haec vero tangere, ad haec respicere hoc loco eo magis opus est, qua magis ad emendandum animum, euitandos errores, et interponendum sanum de his conatibus iudicium sine his nemo facile peruererit.

Scepticismi
varia condi-
tio.

§. III. Infelicem fuisse fructum huius mali ex intemperie animorum vel nimis sibi tribuentium, vel minus quam poterant et decebat, exorti, Scepticismum, norunt, qui res literarias recentioris temporis cum cura contemplati sunt, et annales eruditos attente euoluerunt. Qualis vero ille Pyrrhonismus fuerit, quas causas habuerit, quibus mediis ad maturitatem quandam peruererit, quo artificio se animis supra vulgi conditio- nem sapere sibi visis insinuauerit, et quo pacto mox omnem humanae cognitionem euerterit, mox reuelationi infidias struere tentauerit, interdum etiam vel rationis vel naturae, vel morum disciplinam in incertitudinem adduxerit; quibus vel pietatis et modestiae, vel subtilitatis metaphysicae coloribus se pinxerit, quem finem scopumque saepe diuersum mireque arbitris humani ingenii callidis et dolosis attemperatum respicere iussus sit, hoc loco exponere, effet extra oleas vagari, et a recto, quem haec tenuimus, cursu deflectere. Dabunt his plura, qui haec plena nosse cupiunt, ut omnino a veritate cupidis rite explorari cognoscique debent illi, qui de Scepticismo philosophico, theologico, logico, physico, morali dissertationes conscriperunt, labemque humanae mentis istam accurate delinearunt, quorum syllabus exhibit B. Io. ALB. FABRICII^a, diligentia: inter quos post PETRVM DE VILLEMANDY^b et MARINVM MERSENNVM^c, enituit celeberrimorum virorum Io. FRANC. BVDDEI^d et Io. PETRI DE CROVSAY^e diligentia. Id tamen hoc loco monendum est, varii generis et conditionis fuisse Scepticos recentiores, nec omnes in una classe esse collocandos. Nonnulli enim ipsam humani intellectus arcem, ratiocinandi principia modumque inuadentes, cum academia media et Pyrrhonis schola facere visi sunt, ideoque vtramque sectam suis commentariis valde commendarunt f. Id quod Vayerium, Foucherium, Huetium fecisse, ex dicendis constabit. Adiiciunt his

a) Syllab. Script. de V. R. C. c. 23. p. 486.

b) In Scepticismo debellato Lugd. Bat. 1697. 4.
vid. Hist. des ouvrages des savans 1697. p. 240.

c) De Scepticismo.

d) Diff. de Scepticismo morali, Anal. Hist. phil. p. 205.

e) Logic. T. III, P. II. c. 4. p. m. 999. Examen du traité de la liberté de penser, et imprimis

examen du Pyrrhonisme ancienne et moderne,
vid. Bibl. Germanique T. XXVII. p. 14 seqq.

f) Idem institutum tenuit anonymous, qui
SEXTI EMPIRICI Hypotyposes Gallice vertit,
et Scepticismum in praefatione commendauit.
Vid. Hist. lit. d'Europe 1726. Iul. art. 5. A&S.
erud. 1726. Dec. art. 6.

his nonnulli ^a ex Scholasticis recentioribus Rodericum Arriagam et Ioan-
nem Lalemandetum; nec diffitendum est, totam Scholasticorum scholam
recentiorem ambiguis disputationibus Pyrrhonismo frigidam suffudisse.
Alii in naturali disciplina de cohibendo assensu et retinenda definitione phi-
losophandum esse statuerunt, cum viderent, multa in ea esse adyta, nobis
haec tenus non reclusa, multa disputare viros doctos ex incertis et pre-
cariis hypothesibus assumptis, pleraque ad fallaces Φαινομένων, quae passim
obseruarunt viri docti, explicationes, redire, et tot inter se opinionibus
digladiari mysteriorum naturalium interpretes, ut manifestum fit, incerta
eos sede in hac disciplina vagari. Quae licet nonnulli viri erudit et mo-
desti moderatis tantum sobriisque limitibus includerent, conclusione ex
his deducta, de ignotis non temere statuendum, hypothetica non pro cer-
tis et indubitatis veritatibus amplectenda, et ex cognitis ad ignotorum de-
tectionem progrediendum esse, quo scopo *Scepticis scientificam aduersus*
dogmaticorum vanitates ^b adhibuit IOSEPHVS GLANVIL; alii tamen,
cum in systematibus physiologicis philosophorum nihil certi cernerent, ad
contemnendam omnem doctrinam naturalem, ea σκέψει abusi sunt, cuius
generis exemplum qui desiderat, illi Berigardi historia supra enarrata con-
sulenda est: quem hunc in modum ad Scepticismum physicum inclinasse,
eo loco demonstrauimus. Addit his Petrum Gasfendum et sectatores P.
DE VILLEMANDY ^c et P. BAYLE ^d, vt supra dictum exigua verisimili-
tudine, et Sebastianum Bassonem IO. FR. BVDDEV^s ^e, quem tamen facile
ab hac culpa liberamus, licet innumeris veteribus, et imprimis Aristotelii
difficultates obiecerit, eo quod lubens concesserit, et non sine doctrinae
demonstratione manifestum fecerit ^f, „prisorum sententias, quae in
„scholis exsibilantur non modo nulla ferre incommoda, sed sane intelle-
„ctas ducem habere experientiam rationibus stipatam iniunctis, quaeque
„vel ab inuitis consensum extorqueant, ex quo omnia clara, facilia, na-
„turae consentanea peti queant, ut veritati liceat suffragari“^g. Haec enim
in Scepticismi naturalis autorem non cadunt. Sed Cartesio quoque at-
que sequacibus et imprimis Mallebranchio Scepticismum hunc obiectum
esse, suo loco dicemus, et quo iure quaque iniuria id factum sit, explora-
bimus. Neque morum doctrina ab hac labe immunis manxit, repertique
sunt, qui actionum humanarum normam vel fluxam ponerent, et varia-
bilem aspergerent, vel soli reuelationi scientiam et sapientiam in argumen-
to morali vindicarent. Quo nomine Michaëli Montano in hunc modum
passim in *Tentaminibus moralibus* ^h disputanti Scepticismum obiecerunt
magni viri, AVCTOR Artis cogitandiⁱ, AEG. MENAGIVS^j et PETR.
BAYLE ^k, et discipulus eius Charondas eiusdem culpae accusatus est, vt,

Y y 2

supra

g) VILLEMANDY I. c. c. 4. p. 32. BVDDEV^s
loc. cit. §. 4. p. 212. BAYLE Dicit. T. I. art. Ar-
riaga p. 322.

h) Londin. 1665. 4. conf. MORHOF. Polyhist.
T. II. p. 31. i) I. c. c. 4. p. 29.

k) T. I. ep. p. m. 5.

l) loc. cit.

m) Praefat. phil. nat. adū. Aristotelem.

n) Vid. L. II. c. 12.

o) P. III. c. 20. p. 412.

p) Ad Laërt. L. IX. f. 68.

q) loc. cit.

supra monuimus. Neque tamen formidolosior Scepticorum classis est, et philosophorum nomine indignior illa, quae incertitudine ad debellandam veritatem reuelatam et incrustandas profanas opiniones immo viam quoque impietati parandam vtitur. Quibus humani generis carcinomatibus vtinam hodienum non abundaret ciuitas Christiana et literata! vtinam non tot dissoluti ingenii et vagantis licentiae homines inuenirentur, qui vbi omnia corraserunt, quibus fundamenta Christianae rei euertere se posse sibi persuadent, innumeratas obiectiones diuinis veritatibus struunt, impudentique ore ogganiunt, supra vulgus se sapere, ratione vti fortiori, iudicioque pollere se acutiori somniant, licet nec sibi nec rationis ipsius regulis content. Qua ratione, Scepticismo vsum fuisse praeter Ioannem Tolandum, et Antonium Collinum, inficeti et audacis animi et mediocris doctrinae viros^r, Antonium Ashley Cooper comitem Shaftesburium, praeclara ingenii elegantia et dicendi iucunditate gratum at periculosem scriptorem^s, vel vna, quam de *Enthusiasmo* scripsit epistola satis superque prodit, et quod his se potissimum armis contra religionem munivit, comprobat, egregie hoc nomine reprehensus a magno LEIBNIZIO^t. Tacemus alios multos, nostro, quae infelicitas huius aevi est, tempore, prodeuntes^u, quibus nihil carius Scepticismo est, ad euertendas veritates illas, quae diuino numine dictante repugnare ponunt licentiae opinio-
num et morum, quos enumerare omnes, loci huius non est, consulendus autem Io. ALB. FABRICIVS^v, qui eos quoque nominat, qui huic veneno parauerunt antidotum. Praeterimus nonnullos alios, meliori intentione, quam consilio instructos, qui vt reuelationis vocem audiendam esse demonstrarent, in rationis imbecillitatem supra modum declamarunt, vel, vt ecclesiae testimonium sine examine admittatur, omnem rationis certitudinem eripiendam nobis esse censuerunt. De quibus tamen diuersis Scepticisni viis, et varia, quae inde oritur, facie cum in fine capitilis huius adhuc agendum sit, plura hoc loco non cumulamus. Ex his vero, nisi nos omnia fallunt, clarissimum esse putamus, prolixum admodum campum Scepticismum recentiori aetate inualescentem occupare, et tantopere connecti cum reliquarum disciplinarum historia, vt sine ea enarrari nequeat. Quod cum limitum nobis positorum angustia refugiat, illis relinquendum est, qui ex instituto Pyrrhonismi recentioris historiam condere in animo habent. Nobis, qui vniuersalem philosophiae historiam et generales annales scribimus sufficit, eos viros doctos enarrauisse, qui pro Scepticismo publice verba fecerunt, eumque velut tutissimam viam commendauerunt. Quo nomine celeberrimi in orbe philosophico sunt

r) Conf. CROVSAYZ Examen du traite de la liberté de penser p. 426. conf. quos laudat FABRICIVS in Syllabo script. de V. R. C. c. 23. p. 488.

s) Conf. MOSHEIMIVS Hist. Christ. recent. p. 377.

t) Vid. Pieces diuerses sur la philosophie par

MAIZEAUX T. II. p. 245. Conf. FABRICIVS l. c. c. 6. p. 284.

u) Tales sunt Auctor Cogitationum liberorum de religione et ecclesia, Auctor tr. de eo quod essentiale est in religione, Auctor Principum Malabaricarum similesque nugatores, x) loc. cit.

funt Francisci Sanchez, Hieronymi Hirnhaym, Francisci Mottaei Vayerii, Petri Danielis Huetii et Petri Baylii nomina. Reliquos enim, qui in diuino et humano arguento Pyrrhonismo fauerunt, eiusque telis vñt sunt, vt dignoscamus, obseruationes nonnullae generales in fine capitum adiicienda satis materiae suppeditabunt.

§. IV. FRANCISCVM SANCHEZ, cuius vitam eius discipulus RAYMVNDVS DELASSVS concinnauit ^y, a quo sua hauserunt Nic. ANTONIVS ^z et PETRVS BAYLE ^a, Bracara, haud ignobilis prouinciae Interamnensis apud Lusitanos vrbs edidit. Natus est, parentibus, vt ferunt ^b Iudaicis, patre medico haud obscurae famae anno MDLXII. Puer ad Burdegalenses translatus est, vt literarum et disciplinarum semina a praceptoribus doctis fidisque conciperet. Inde in Italiam missus, celebriores eius regionis scholas adiit, et imprimis in Vrbe commoratus, quicquid augendis animi diuitiis aptum cognouerat, in mentis horrea congeffit, et philosophiam atque artem salutarem indefeso studio ex viuentium ore et mortuorum praceptis feliciter hausit. In Galliam reuersus Montispeßulani diligentiae studiorumque praemium, collatis summis in medica arte honoribus anno MDLXXXVI accepit. Bellorum tumultibus autem, quae tum omnia replebant, impeditus, vt studiorum impedimenta euitaret, ad Tolosanos abiit. Quo in loco tantopere eius eruditio valuit, vt publico docendi muneri praeficeretur. Quod cum iudicio et lectionis copia instructus valde ornaret, philosophiam annos viginti quinque, artem salutarem octodecim annos magna cum laude docuit, denatus anno MDCXXXII, aetatis septuagesimo. Admodum commendauit Sanchezium medica eruditio, quam compluribus demonstrauit libris lucernam olentibus, quorum indicem habet ABR. MERCKLINVS ^c. Eos vno fasce comprehensos post auctoris ultima fata ediderunt Tolosani anno MDCCXXVI, additis nonnullis eius lucubrationibus philosophicis ^d, ex quibus patet, Peripateticam eum semitam in lectionibus philosophicis more aetatis suae, quae hanc publicis philosophiae professoribus legem imperabat, calcasse. Quantus autem vir fuerit in mathematicis scientiis, in controuerzia, quam cum Christophoro Claudio, inter primos artium istarum professores eo tempore excellenti aluit, demonstrauit. Ita enim obiectionibus virum acutissimum pressit, vt, quod apte regereret, non haberet. Quamuis autem ad docendam philosophiam Aristotelicam esset conductus, eamque in Italia a praestantissimis philosophis didicisset, non potuit tamen viro acuto et supra vulgi praeiudicia sapienti placere philosophiae genus ineptis notioribus et incerta doctrina animum replens, et in veritate indaganda mo-

Franciscus
Sanchez.

Y y y 3 leftum

d) De Longitudine et breuitate vitae, Comm.
in Aristotelis libr. physiognomon, et de Diuina-
tione per somnum: adiectus in fine liber, Quod
nihil seitur.

e) BAYLE I. c.

y) Praefixa est eius operibus.

z) Bibl. Hisp. nou. T. I. p. 262 seqq.

a) Dict. T. IV. art. Sanchez p. 133.

b) Patiniana p. 72. 73.

c) In Lindenio renouato p. 297.

lestum magis, quam proficuum. Ast cum prima vice in philosophia vires tentaret, et ad scribendum se accingeret, quod anno MDLXXXI factum esse auctor est cel. **S T O L L I V S**^f, valde potentes in Gallia erant Aristotelici, et recenti victoria qua de Petro Ramo potiti erant supra modum feroce, regiis quoque edictis cautum erat, ne quis contra Stagiritam publice insurgere auderet. Tristi itaque fato Rami, quem misere intererent tum dolebant amici, monitus, cautius agere constituit, et ne hanc pupillam suo malo tetigisse videretur, crabronesque Peripateticos, valde tum furentes irritaret, ipsi dogmaticae philosophiae tela intentare sua, omnemque, quae afferendo scientias tradit, disciplinam oppugnare constituit, improbans ea a dogmaticis in philosophia supponi et pro certis indubitatibus principiis haberi, quorum incerta fides esset, et quam maxime dubia veritas. Et hanc quidem disceptationis arenam ingressus est, edito libro: *De multum nobili et prima vniuersali scientia, quod nibil scitur*, qui post primam Lugdunensem editionem aliquoties recusus est, addita quoque anno MDCLXV **D A N I E L I S H A R T N A C C I I** refutatione, hoc titulo: *Sanchez aliquid sciens, additae sunt textui notae refutatoria et praemissa est historia breuiuscula Scepticismi veteris et recentis*, quae tamen tractatio ieiuna est, et longe infra Sanchezii eruditionem et acumen iudicii. Quamquam autem ex circumstantiis allatis satis manifestum esse putamus, petuisse illis telis Sanchezium iugulum philosophiae Aristotelico-Scholasticae, quae nulla fere ratione fortius euerti potest, quam negando vel in dubium vocando ea principia, quae repugnante rerum natura sola mentis excogitauit subtilitas, et sine claritate, sine certitudine in scientias intrusit philosophantium audacia, fatendum tamen, ipsam sciendi certitudinem, et quae illa nititur scientiarum constitutionem vulnus ex hoc conflictu accepisse, licet alte illud non penetrauerit. Caussam ideo scientiarum agere contra Sanchezii insultus nonnullis visum^g, ipse inter primae notae Pyrrhonios a **P. B A Y L I O**ⁱ relatus est. Ceterum non confundendus est cum Francisco Sanchezio, vel quo nomine Latino innotuit, Sanctio, Brocensi, in Salmanticensi academia primario rhetorices et Graecae linguae doctore, quem artis criticae peritia et imprimis praeclarum de grammatica arte opus quod *Mineruam inscripsit*, fecit celeberrimum. Quem $\omega\delta\pi\alpha\epsilon\delta\omega$ hoc loco nominamus, eo quod inter scriptores quoque philosophicos haud ignobilis ei locus debetur. Scriptis enim *Organum dialecticum*, librumque *de Porphyrii aliorumque erroribus in dialectica*, et Epicteti quoque *Enchiridion* Hispanico sermone legendum dedit. De quibus eius laboribus videsis **N I C . A N T O N I V M**^k.

§. V. Alio

f) Hist. lit. P. II. c. 1. §. 85. p. 398. hoc vero anno liber ille Lugduni apud Gryphium primum prodit.

g) Francof. 1618. adiecto **M A T T H . S I M O N I I** tr. de Literis pereuntibus, Roterd. 1649. 12.

h) Praeter Hartnacium contra Sanchezium disputauit **Io. V L R I C V S W I L D I V S** Diss. quod aliquid scatur Lips. 1664.

i) loc. cit.

j) loc. cit.

§. V. Alio fine Scepticismum commendauit HIERONYMVS
HIRN HAYM, canonicus ordinis Praemonstratensis ecclesiae B. V.
 Pragae in monte Sihon, vulgo Strahow, abbas, per Bohemiam, Austri-
 am, Morauiam et Silesiam visitator, ac vicarius generalis, SS. theolo-
 giae doct*or*, qui vixit superioris seculi anno septuagesimo quarto et se-
 quentibus. Vir doct*us* et disertus, et ab iis disciplinis non imparatus,
 quibus elegantia ingenii acquiri solet. Edidit is librum non ubiuis occur-
 rentem, ob quem meruit inter recentiores Scepticismi patronos referri.
 Eius en titulum: *De Typhogeneris humani, siue scientiarum humanarum
 inani ac ventoso tumore, difficultate, labilitate, falsitate, iactantia,
 praesumtione, incommodis et periculis tractatus breuis, in quo etiam
 vera sapientia a falsa discernitur, et simplicitas mundo contemta ex-
 tollitur: Idiotis in solatium, doct*is* in cautelam conscriptus*¹⁾, in quo libro
 nihil quidem minus sibi cordi esse auctor profitetur, quam scientias deprime-
 re, sed id potissimum sibi agendum constituit, vt a vano earum tumore
 animos praemuniat, easque scientias perseguatur, *de quibus inanis
 stultusque mundus insolentissime gloriatur, tumidam illam pseudo-phi-
 losophiam, qua inflati hodie multi fastuose super alios extolluntur,
 magnum se arbitrantes praestare obsequium ecclesiae, magnum Deo,
 deridentes simplicitatem iusti, tanquam illi soli essent homines, et cum
 ipsis moritura sapientia.* Ex quibus auctoris verbis satis appareat, quod
 etiam in sequentibus non celat, ad commendandam vitam asceticam, et
 sapientiam eam, quam Norbertus suis iniunxit, eum potissimum respxisse
 eumque in finem humiliare quasi, et ostensa vanitate et incertitudine
 scientiarum profanarum, deprimere eruditionem humanam diuinae sapien-
 tiae inimicam voluisse. Nec negandum, multa auctorem acute monuisse,
 et humani animi inania haud raro studia prudenter fugillasse, attulisse quo-
 que non pauca, quibus pietas et diuinioris sapientiae cupidio accendi potest.
 Verum vt in delicato eiusmodi argumento difficile est, medium recte te-
 nere, ita factum quoque, vt dum vanitatem animi per scientias humanas ad
 ambitionem inanem grassantis, et ex doctrinae pulchritudine spiritus sibi fu-
 mentis vult corrigere, quae hominum vitia sunt, ipsis scientiis imputaret,
 et quo ad euertendam humanae mentis arrogantiam ex disciplinarum glo-
 r*ia* acquisitam, validis vteretur machinis, eas rationes adhiberet, quibus
 Scepticismus commendatur, viresque solet acquirere. Quod vt paulo pleni-
 us cognoscatur, et pius hic Scepticismus, (quo singulari charactere Hirn-
 haymianus philosophandi modus ab aliis Pyrrhonismi sectatoribus distin-
 guitur) in aperta ponatur luce, intelligatque Lector, etiam pietatis stu-
 dio interdum decipi homines, si rationem eiurent, vt ad peruersa et falsa
 delabantur, paulo distinctius auctoris non omnibus noti cogitationes ex-
 planabimus. Valde vero mox in limine timet auctor, ne ob argumenti
 vicinitatem in Agrippae vanitatem scientiarum exagitantis consortio vide-
 atur

Hieronymus
 Hirn baym.

1) Pragae 1676. 4.

atur haesisse, quare coniectis in eum, quotquot vetus magiae fabula suppeditabat et Iouius commodabat, conuiis, operose hanc a se amoliri suspicionem fatagit. Qua in re licet facile concedamus monacho, alio longe fine, quam Agrippam, eum scripsisse, prodit tamen libri lectio, non inutilem illi praestitisse Agrippam operam, nec ab iis telis abstinuisse Praemonstratensem abbatem, quae in pharetra sua Agrippa reposuit. Ipsum argumentum excusurus postquam nimium sciendi desiderium mortalium delineauit, temporalia scientiarum nocumenta et fluxam earundem conditionem demonstranda sibi sumit, docens, nimiam scientiarum affectationem studiumque corpus affligere, creare molestias, excitare morbos, conciliare atram bilem et corporis affectum subtristem, impedire coniugii fœcunditatem, conflare inuidiam, adeoque suspectam esse debere mortalibus. Verum autem demonstrationis suae fundamentum positurus^{m)}, scientiam non dari, cum academicis negat, Pythagora, Anaxagora, Socrate, Democrito in partes vocatis. In quo campo tam aperte Pyrrho niis velificatur, vt non erubescat scribere: „Si de rigorosa illa scientia sit sermo, ad quam metaphysica certitudo et evidentia a philosophis requiritur, seu talis, quae neque diuinitus falli possit, facile induisse, vt tales „cum Socrate et Academicis omnino neget“. Rationem inde desumit, quod certitudo intellectus a fallibilibus et incertis sensuum experimentis dependeat, cum nihil sit in intellectu, quod non fuerit in sensu prius. Quae tam certa visa est incertitudinis demonstratio monacho, vt scientiae assertores somniantibus esse similes iudicet, qui dum dormientes se certa videre credunt, expergefacti se ludificatos esse sentiunt. Fatetur quoque „induci se non posse, vt credat, vllum etiam ex certissimis philosophorum axiomaticis, ea certitudine qua ipsi, credat esse infallibile“: quod inde probat, „quia in creatione falsificatum est illud axioma: Ex nihilo nihil fit, et in mysterio eucharistiae illud: Accidens non potest vlo modo esse sine subiecto, vel illud in mysterio trinitatis: Non posse eadem tria esse vni tertio, nec tamen eadem inter se“. Immo, quod mireris, et inde viri scopum et ingenium noscas, non diffitetur, „se illud principium principiorum: implicat idem simul esse et non esse, et, omne est, aut non est, omne totum est maius sua parte, et alia hujusmodi, et si non credit falsificari posse, eam tamen se illis fidem nunquam tribuere suo iudicio fretum, vt etiam diuinitus infallibles esse pro certo contendat, et infinitam Dei potentiam velit humano captu circumscribere“. Vnde et in sequentibus sensuum testimonium in percipienda reuelationis diuinæ veritate eiusque criteriis occasionale tantum esse dicit, cunctaque ad gratiae habitum supernaturalem et auxilium diuinum reuocat. Quae an dici possint a Sceptico magis πυγμανῶς et an aliquid magis faciat ad euertendum omnem rationis vsum, Lectori expendendum relinquimus; quamuis eandem fabulam, licet prudentius, luserint alii quoque

m) cap. 3. pag. 20.

quoque ex Romana ecclesia viri docti. Quos tamen, imprudentia dicam an impudentia vincit auctor, dum, quod ne Pyrrhoni quidem vel Arcefilao in mentem venit, sensuum criteria eludit, contendens, „Apostolos, qui Christum viderunt, et cum eo comedenterunt, „vocabemque eius audierunt, fuisse de his certos non certitudine physica sensus, quae absolute falli possit, quam certitudine fidei“. Quod ex ipsis Scepticorum decretis inficetum est et insipidum, omnemque humanae naturae sensum eiicere aptum. Vedit auctor, ut palpari enormes errores possunt, ita omnem cognitionem eiusque criteria perire. Ut itaque hoc se labyrintho extricet, ad diuinum criterium confugit, idque esse lumen, statuit, humanae menti insitum, immo congenitum, siue concreatum, ad veritates cognoscendas et diuidendas; quod lumen, ut a ratione diuersum esse statuit, ita a Deo nobis infusum magis vel minus hominem illuminare, ait, prout magis vel minus se ad illud intuendum convertit, quantoque magis vel minus purum adhibet mentis oculum: qua ratione dum ad gratiae operationem et illuminationem omne veri cognoscendi principium restringit, omnem veri regulam, quatenus intellectui naturaliter inest, eludit. Et tamen adeo incertitudini intellectus humani etiam per gratiam infusam illuminati fauet, ut afferat, etiam hoc pacto scire nos non posse euidenter, quando in iudiciis nostris huic infuso lumini, et quando naturali potentiae innitamus, sic ut non habeat homo, cur ex hoc etiam capite suam hic et nunc iactare vnquam possit scientiam. Quae annon omni Scepticismo impudentiora et imprudentiora sint, ipse cautus rerumque intelligens lector dispiciet. Neque obiectionem vulgarissimam, id tamen sciri, quod scientia non detur, aliter reprimit, quam ut Scepticos fecutus dicat, videri id modo probabilissimum, et ita affirmari posse, ut falsum tamen subesse timeatur, quamdiu rationi humanae iudicium insistit. Criterium veritatis autem, quod recte illi opponi videbat, ita eludit, ut ad Pythagoreum *αὐτὸς οὐ* confugiendo, illud sibi firmiter certoque credendum esse statuat, quod ecclesia proponit, certius longe sibi futurum, quam si ex quibuscumque Dialecticorum praemissis deduceretur. Ex quibus quasi paeclare labore defunctus concludit „scientiam nullam in eo sensu, quo a philosophis quaeritur, dabilem aut humano studio comparabilem esse. Verum recte ingeminamus heic illud Horatii:

*Quid dignum praestet tanto promissor biatu?
Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.*

Qui enim scientiarum difficultatem et falsitatem magnis bullis projectis se demonstraturum pollicetur, gaudens sibi hostem non deesse, quem telorum suorum acie configat, is declamatorio dicendi genere, corrasis sententiolis obtorto collo in partes raptis, perpetuoque circulo, quem vo-

n) cap. 4. p. 50.

cant,

Hist. philos. Tom. IV.

Zzz

cant, et elenchi ignoratione, miscet quadrata rotundis, et cum spectris ac lemuribus pugnat, rationesque affert nullas, follicite sibi cauens, ne accurate ratiocinando aliquam intellectus recte adhibendi scientiam dari suo exemplo comprobet. Quae vero speciem philosophiae ex auctoris mente habere debent, cuncta ex Scholastica philosophia defumta sunt, qua ratione steriles metaphysicae Scholasticae nugas et regulas veritatum maxime formalibus, vti vocant, principiis, nescio ineptius an insulsius opponit, et ex problematibus physicorum Scholasticorum quibus magnis rixis de magnetismo, de sympathia et antipathia aliisque occultis naturae operationibus diuersa et fluctuante opinione disputant, ipsam sciendi certitudinem euertere ingenti nisu fatagit. Qua occasione, vt forduerunt monacho pietatem cum scientiarum interitu promouere cupienti disciplinae naturales, ideas et archaeum Helmontii atque Marci, quae principia eo tempore in schola Pragensi magnam existimationem nacta erant, hancque concitasse bilem auctori videntur, iugulat, sistema atomisticum explodit, et quam grauia inde animae damna orientur, more declamatorum suggerit, ratus *millies salubrius esse homini in sola deuotione et oratione commorari, et, ne a quo studio impediatur, literas velut pestes fugere*^{o)}. Et heic amplissimum campum inuenit Praemonstratenis praeſul vitia eruditorum infectandi, et prolixum eorum naeuorum indicem contexendi, quibus contaminatae sunt a multis literae et scientiae. Probat enim, excusare plerumque doctos peccata, licet in ipsis grauiora et ceteris detestabiliora; exoriri steriles euangeli praedicationes, saluberrima sugerentium, nihil eorum praefantium, et mortuam quandam, id est, sine fructu et effectu se efferentem eruditionem iactantium, quae dum alia scire putat omnia, se suamque ignorat miseriam et infelicitatem. Vanum quoque libros conscribendi studium fugillat, doctorum indocilitatem ac pertinaciam liberatorum exagit, contentiosas et cauillatorias disputationes depingit, vanam in scrutandis rebus altis curiositatem deplorat, et quo pacto, humilitas istis naeuis proscribatur, foueatur exitialis multorum et funesta infelicitas, fides autem Deo displicitura sine merito euadat, graphice delineat. Quae omnia, haud ingrata lectionis copia et dicendi genere non inficeto allata si ad emendandos animos, ad pellendos pseudo-eruditorum morbos, ad restituendum scientiis honorem verum, et ad limites ponendos inani mentis humanae iactationi attulisset, non haberemus magnopere, quod in auctore reprehenderemus. Verum dum docentium et dissentientium vitia, et pseudo-eruditionis infaustos et bonis quibuscumque detestabiles fructus ipsis eruditioni imputat, dum, quae voluntatis male affectae fructus sunt, ipsis artibus et disciplinis adscribit, aperte prodit, aut stupenda ignoratione ea, de quibus sibi disputandum esse censuerit, ipsum latuisse, aut maligna mente et iniusta ratiocinatione infontes literas malevolis calumniis onerasse. Praeuidit Auctor, fore plurimos, qui stupidae simplicitatis aduocatum eum agere velle, suspicentur. Quam maculam viro docto,

o) p. 197.

qui

qui omnia passim ad argumentum suum ornandum corraserat, quae literae suppeditabant, indignam ut a se depelleret, scientiae laudem et necessitatem per partes eundo operose demonstrare, fugillare et acute configere ineptam ignorantiam, constituit^r, tacite indignatus ordini suo, quod primordiorum suorum confuetudinem diuerfas scientiarum facultates profitendi non retinuisse^s. Verum caue secularem intelligas scientiam, hanc enim seruo Dei noxiā esse et prohibitam denuo repetit, sed hanc vnum esse scripturae studium, collectis veterum ascetarum effatis contendit, his seruatis et studiose consultis paginis, facile carere nos posse omnibus libris et a gentilibus et a secularibus viris scriptis putat. Quod ut demonstret indolem sapientiae verae, qualis Christi discipulis Spiritus Sancti collustratione confertur, quaeque animum vere emendat, et ad diuinos vultus reuocat, multis depingit, et omnem in commendanda pietate et virtute Christiana laborem consumit. Qua ratione utilissima multa et ad excitandum pietatis sensum apprime facientia auctorem attulisse, minime negamus, quae vero et scopae diffolutae sunt, et ad exterminandas scientias nihil valent, et id modo probant, sanandum esse diuini spiritus operatione animum ab ambitione et vanitate, quibus vel per falsam eruditio- nis speciem iactatur, vel veris et commendandis scientiis abutitur. Quae ut recta sunt et a bono quolibet vtroque pollice probanda, ita ad Scepticismum incrustandum, et ad inferendum non literis modo honestioribus, sed et ipsi ratiocinandi facultati homini a patre luminum concessae inepte proflus transferuntur, apta quoque sunt, ad subministranda profanis animis tela, quibus confoditur pietas et in contemptum atque fordidae ignorantiae suspicione adducitur. Ex quibus parca manu datis, satis, nisi fallimur, constat, auctorem, cui plus pietatis, quam iudicii, plus lectionis quam accurate meditationis inesse, adducta monstrant, Scepticismi patrocinio, sacris literis, pietati et imprimis ecclesiae auctoritati consulere voluisse. Quod quam peruerso et noxio modo fecerit, et veritates suo loco et genere optimas ad malum finem, ipsi forte non praeuisum, adhucuerit, ex dictis est manifestissimum.

§. VI. Elegantius Scepticismi caussam ornauit, eamque philosophantium ingenii commendauit FRANCISCVS MOTTAEVUS VAYERIVS, inter literatissimos suae aetatis viros apud Gallos numeratus, cuius res post P. PELLISONIVM^t tetigit P. BAYLE^s. Is ad Cenomanenses origines retulit^r, a patre autem Felice Mottaeo Vayerio Lutetiae anno MDLXXXVI genitus est^u. Qui cum praeclaras animi dotes in filio obseruauisset, nihil omisit eorum, quibus felici institutione ad elegantiam morum et eruditio- nis animi adolescentium formari solent.

Franciscus
Mottaeus
Vayerius.

Z Z Z 2 Mature

p) c. 30, p. 315.

q) p. 325. Hac confessione probatur querela

CAS. OVDINI in Praef. comm. de S. E. supinam ignorantiam huic ordini obiicieni.

r) Histoire de l'academie Francoise p. m. 234.

s) Dict. T. IV. art. le Vayer, p. 408 seqq.

t) MARVILLE Melanges de literature T. II.
p. 328. edit. recentissimae.

u) CROIX DU MAINE Bibl. de France p. 84.

Mature itaque humanitatis literis et veterum scriptorum deliciis innutritus, incrementa cepit spe omni laetiora. Quibus animi dotibus et eruditionis praefidiis instructus cum firmato iudicio mascula vis animi et acies quaedam insolita accederet, bonis omnibus doctisque viris euasit commendatissimus. Ita vero aulae quoque gratus factus est, vt non modo inter status consiliarios legeretur, sed et Andegauensi duci, a rege fratre praeceptor praeferetur, cuius institutione ad egregia quaevis regii sanguinis adolescens effungi posset. Sed et ipsum regni haeredem institutione sua formauisse PELLISONIUS testis est*, quod munus grauissimum anno MDC LII suscepit. Quo teste si standum est, falsus est NAVDAEVUS^y, qui cum obseruasset, magnam in aulae regis fuisse Vayerii existimationem ob librum, quem de *Institutione regia Delphini* conscriperat, et ea commendatione fuisse ad id munus delectum, addit, impediuisse consilium reginam a viro coniugii nexibus implicato abhorrentem. Sed et hoc falsum esse inde intelligitur, quod nonnulli tradunt, reiectum esse Vayerium metu, ne prauae doctrinae veneno, quod in dialogis suis sparserat, tenebrum regii principis animum corrumperet. Tanta autem literarum in eo viro fuit cognitio, et fama ex iis ingens, vt, qui supremum rerum Galliarum clavum moderabantur, cardinalibus Richelio et Mazarino esset commendatissimus, et in oculis eum haberent inter eruditos, quotquot literis pretium statuere noterant. Coniugio tamen, non admodum laeto fuisse gauisum Vayerium ex inuectiviis in foeminas, quas passim scriptis suis infersit, coniicit Baylius^z, incerto tamen nisi fallimur, argumento vhus. Certe filio, quem vnicum habebat, anno MDCLXIV orbatus^a, ita animo afflictum se sensit, vt doloris mitigandi caussa, senex licet ad secunda vota transiret^b. Hunc filium, vitae ecclesiasticae addictum, parentem ad Pyrronica placita effinxisse, facile nobis ex eleganti, quae illi inscripta est satyra^c, BOILAVII persuademos. Totus enim in eo est poëta ingeniosissimus, vt scientiam humano generi deneget, et inter stolidos connumeret omnes, stultitiae licet gradu et ridenda absurditate diuersos. Certe ita placere voluisse Vayerio poëtam, et a deamata illi secta occasionem sumfuisse suae aetatis homines magno strepitu eruditionem affectantes, nigro sale defricandi est verisimillimum. Ereptus est rebus mortalium Vayerius valde senex, cum LXXXXVI aetatis annum attigisset, anno redimenti humani generis MDCLXXII. Qualis autem quantusque inter eruditos illius aetatis fuerit, cum censurae atque iudicia eorum probant^d, tum scripta illius loquuntur. Sane valde commendat Vayerium sententia, quam P. BAYLE^e dixit, dignus in hac re iudicanda arbiter, cuius satis notum

a) Hist. de l'Acad. Franc. loc. c.

y) Mascurat. p. 375.

z) loc. cit. not. H. quam obseruationem fine lectoris damno laudabilius omisisset Baylius.

a) Ibid. not. G.

b) PATIN. T. II. Lettr. 326. p. 656. MARVIL-

LE loc. cit.

c) Satyr. IV. p. m. 25.

d) Vid. BAILLET. Jugemens des Savans T. I. P. II. c. 9. et citati. e) loc. cit. not. K.

notum est accuratum limatumque de meritis virorum doctorum in rem literariam iudicium. Is enim comparando Vayerium cum Plutarcho, cuius lectionis copiam et ingenii amoenitatem prope attigit, multum emolumenti, ait, redundare ex lectione scriptoris optimi. Multa enim cogitasse eum eleganter, multa accurate et folide definiuisse, aequisque inter se passibus in eius scriptis ambulare iudicandi aciem et eruditiois praestantiam, ita tamen, ut a lectione vasta, ingenti laudatorum locorum veterum cumulo se prodente illa nonnihil deprimatur. Maxime vero felicem fuisse Vayerium pronuntiat, in aliorum meditationibus ad nouas cogitationes eleganter adhibendis. Cui Baylano iudicio subscriptent, quotquot Vayerii labores literarios cum cura legerunt. Non ignoramus quidem Balzaci^f et personati MARVILLI^g censuras, quibus tot congesta veterum loca, et coaceruata antiquitatis testimonia valde dispuicuerunt, et corrasor magis sententiarum veterum, quam scriptor iustus et accuratus Vayerius visus est: nec negamus, dissonum esse id a moribus huius gentis hodiernis, ex qua ortus erat, et in qua viuebat; interdum etiam nimium genio hac in re suo illum induluisse. Verum ut in eo veterum magis consuetudinem, qua mire delectabatur, expressit, quam tantum abest ut reiiciant reprehendantque qui de rebus eruditiois antiquae sobrie iudicant, ut potius in laude πολυμαθείαν istam veterum ponant, qua ratione Plutarchus omnium calculum meruit: ita iudicium simul adhibuit, nec sola veterum loca repetiit, sed et sententiam dixit suam; illis gratus futurus, qui antiquorum scriptorum lectione gaudent, licet delicati et ignavi seculi mores ista fugiant. Id nos meliori iure in viro vastae lectionis dolemus, suffocasse nonnunquam ingentem illum veteris doctrinae apparatum iudicandi vim et obstatisse, quo minus foecundissimo, quod alebat, ingenio satis ut posset^b. Ipsam autem scribendi rationem dispuicisse elegantiarum Gallici sermonis iudicibus, qui academiam laudatissimam constituuntⁱ, et quorum pars ipse fuit Vayerius, in eam societatem anno MDCXXXIX receptus^k non mirabuntur, qui cogitant, antiquorum magis morem quam recentiorum eum sibi imitandum proposuisse. Ceterum adolescentiam eius a disciplinae seueritate paulisper recessisse, ex eius *Hexamero rustico*^l colligas; viri autem atque senis ea fuit viuendi sobrietas, ea morum probitas et constantia inter aulae luxum et voluptates, ut similem non haberet. Toto enim animi habitu Stoicum philosophum expressit, honores et diuitias contemnentem, et voluptatibus omnibus longe superiorem, adeo ut non tantum eam sollicite vitaret viuendi licentiam, qua ad luxum et proteruiam plerique, qui in aula viuunt, abutuntur, sed et ab his oblectamentis abhorreret, quibus honesta recreatione refici solet animus. Totus museo addictus, et inter libros tantum non sepultus, eam modo voluptatem sectatus est, quam ex lectione optimorum scriptorum, et ex

f) Vid. Menagiana T. I. p. 323.

g) loc. cit.

h) Vid. Leibniziana p. 165.

Z Z Z
i) Menagiana Tom. II. p. 250. MARVILLE,
BAYLE II. cc.
k) PELLISSON. I.c. p. 153. l) p. 97. 98.

Iucubrationibus cum cura et eruditione conficiendis viri docti capiunt. Fecit tamen ille veteris eruditionis amor et affectatio, vt mores eius a seculi istius, satis accurati et elegantiae iam tum supra modum studiosi consuetudine abhorrent, et nonnihil ambitionis et austerioritatis, quae paedagogis tribui solet, in eo notaretur; quo factum, vt imaginem eius **PATINVS**^m et **MARVILLIUS**ⁿ depinxerint, illi, quam in orbe literario meruit famae non respondentem. Patinus enim vt eum noscamus Stoicum, nos animo fingere iubet hominem, laudis alienae admodum cupidum, et suae opinionis atque consuetudinis supra modum tenacem, impietatis autem Diagorae Melio et Protagorae obiectae plerisque reum visum. Nec abludit Maruillii narratio, qui licet non neget, inter optimos academiae quae patrii sermonis curam habet scriptores Vayerium ea aetate fuisse relatum, ait tamen, plerisque displicuisse mores viri phantasticos et Scepticum philosophum externo quoque habitu referentes. Ipso enim vultu et vestitu infolens quid et seculi consuetudini dissimile prae se tulisse, oculisque ad coelum elatis et in aedificiorum cacumina intentis ambulantem sibi magis visum esse astrologum vel chemicum, lapidi philosophorum quaerendo intentum, quam philosophum. Quae vbi legimus, succurrebat nobis imago Pyrrhonis simili fere modo per vicos ambulantis, qualem descripsit Antigonus Carystius: vnde suspicio nobis enata est, Vayerium, suae aetatis mores prae veteribus valde contemnentem studiose eiusmodi personam effinxisse, vt veteres Pyrrhonios imitaretur. Certe nec aulae plausum curabat Vayerius, nec probari cupiebat aetati suae, moliores mores sectanti, quam ferre poterat vir, qui omnem fere aetatem in legendis scriptoribus antiquis consumserat, omnemque diligentiam, quae illi maxima inerat, adhibebat, vt thesauros veteris aevi colligeret, et in usus suos referret. Cuius specimina edidit luculenta vulgatis libris multis iisque fauente Minerua eleganter docteque conscriptis^o, quos quanta cupiditate et plausu legerit orbis literatus, iteratae editiones comprobant. Eo vero adhuc viuo, curante filio magnae spei iuuene, uno fasce comprehensi comparuere^p, quae editio aliquoties repetita et aucta est^q. Inter hos ingenii Vayeriani foetus eruditorum iudicio eminent, quos de *Institutione ad regium principem*, et de *Philosophia gentilium* scripsit. Nobis autem hoc potissimum loco enarrandus fuit ob Pyrrhonismum, quem souere, incrustare, et quibus posset viribus commendare conatus est. Vnde occasionem haud facile dimisit, scientiarum certitudinem labefactandi, et dubitationibus, vt erat ingenio foecundus omnia complendi. Praecipuum tamen Pyrrhonismi patrocinium suscepit in *quinque dialogis*, quos veteres, maxime Ciceronem imitatus ascito *Oratii Tuberonis* nomine vulgauit, inque iis philo-

m) T. I. Lettr. 22. p. 97. 98.

n) loc. cit.

o) Catalogum eorum habes apud **PALISS.** l.c.

p) 1653.

q) Tomis tribus, fol. 1662. Sex tomis 1669. in

qua edizione sunt libri a Vayerio annis 1667. 1668. 1669. scripti.

r) Vid. Sorberiana p. 223. PERRAUT Eloges T. II. p. 129. Patiniana p. 100. Memoires de Literature T. I. p. 187. BAYLE l.c. not. K. p. 413.

philosophiam Scepticam, conuiuum Pyrrhonicum vitam priuatam et similia more Sceptico laudare constituit^s. Quibus postea addidit quatuor alios, doctam ignorantiam, opinionis pertinaciam, artem ciuilem et matrimonium considerantes. In his vero adeo aper-te Scepticismo fauet, et omnem tum sciendi tum viuendi certitudinem omnibus neruis spoliat, vt periculosus multis veritatis hostis visus sit: quare arma contra eum praeter alios arripuit ARNOLDVS WESSEN-FELDIUS, V. C. et laudati ab eo Scepticismi absurditatem luculenter demonstrauit^t. Multo vero magis viris doctis piisque displicuit, quod ad religionum, quae in orbe vigent, disparitatem σκέψην suam extenderit, et indigna tanto viro leuitate animi in eo argumento fuerit versatus. Quae cauſa fuit, cur in Atheismi suspicionem inciderit, profanaeque mentis accusationem ista scepticismi laudatione meruerit^u. Ipſe vero ad extollendam reuelationis necessitatem et firmandam ecclesiae auctoritatem velut περπάideυμα aliquod ad Christianam fidem Scepticismo vten-dum esse contendit^v. Ad has vero syrtes naufragium fecit fama viri ce-tera summi et inter maxima Galliae lumina sua aetate numerati, qui et *Hexamero rusticus*, lubrico et indecoro scribendi et lasciuendi genere confe-cto canos fuos contaminasse visus est^w; certe a viro Stoicam grauitatem prae se ferente edi non debuit. Inter discipulos eius Sorbierum^x quoque referri videas, certe is, quamvis ex disciplina Gassendi prodisset, partem ta-men quandam *Institutionum Scepticarum* SEXTI EMPIRICI Gallice ver-tit, et haud obscure prodidit, a Scepticismo se non admodum abhorrere; supra quoque obseruatum, fuisse nonnullos, quibus visum, sistema atomisticum quale Gassendus construxit, viam ad Pyrrhonismum struere: quod utrum verum fit, et quo sensu dici possit, alio loco dispiciendum est. Sed et FOV-CHE RIV M^y canonicum Diuisionem, edita historia philosophiae Academicae celebrem, Vayerii vestigiis institisse, ex iis notum est, quae

Tomo

^{s)} Nouam editionem 1716. recensent autores Belga Reipubl. literar. 1717. Sept. conf. STOLL. Hist. lit. P. II. c. 1. §. 85. p. 398.

^{t)} Exercitat. Francof. T. I. Sect. II. vbi agitur de Absurditate Scepticismi denudata, atque Vayerii laudes scepticos excutiuntur, additur quo-que Historia Scepticarum dubitationis.

^{u)} Vid. REIMMANNVS Hist. atheismi p. 408. et quos laudat.

^{x)} Vid. Dialog. I. c. p. 275.

^{y)} MARVILLE I. c. Leibniziana I. c. BAYLE I. c. not. D.

^{z)} Lettres de Sorbier p. 148. STOLL I. c. p. 400.

^{a)} Sobrie Foucherius in commendanda et in luce ampliori ponenda philosophia Academicæ veritus est, et iudicium pariter atque doctri-nam in eo argumento probavit, edita Historia Academicorum, quae incomparabile opus, au-tori suo magnae gloriae futurum audit Menagio Menagianor. T. II. p. 387. Non enim ad inuidiam

humanæ generis Scepticismi commendationem adhibuit, sed tolerabiliorem faciem illi esse, et meliores vultus demonstrare voluit, eam Pyrrhonis scholæ operam praestiturus, quam Lipsius Stoicæ, Gassendus Epicureæ praefitterat, recte id obseruante illustri LEIBNIZIO Theodo-ceae §. 353. p. 355. De quo non dubitabunt, qui Librum II. dissertationum de Inquirenda veri-tate legerint, vel solum capitul. 13. cum cura euoluuerint. Non enim is viro eruditissimo animus erat, vt in Scepticismo velut sine suo acquiescat intellectus, sed, quod monitore Leibnizio di-dicerat, vt eo parante viam, ad perspicuitatem et eidemtiam perducatur cogitatio: id quod in laudatis dissertationibus de I. V. magnopere vr-ger. Intelligi hoc etiam posset ex occasione ex-cultae historiae et philosophiae Scepticæ, quam libris MALLEBRANCHII de Inquirenda verita-te, et Cartesianismo opposuit, vt in ipso Dissert. de I. V. limine fatetur.

Tomo primo ^b de eius lucubrationibus diximus. Is enim inter laudatissimos philosophandi modos academicam disceptandi rationem retulit.

Petrus Daniel Huetius.

§. VII. Nemo autem vel diligentior in Scepticismo defendendo commendandoque fuit, vel in stuporem magis et admirationem rempublicam eruditam ea re conuertit, vel concinnior fuit in argumentis enumerandis, quae pro Scepticismo adduci solent PETRO DANIELE HVETIO. Qui ut inter summos Galliae literatae viros per dimidium, er quod excurrit, seculum, iure suo eminuit, ita in historia philosophiae quoque eum locum occupat, vt eius memoriam omittere nefas sit. De eius vero vita fatusque *rebusque ad eum pertinentibus*, ipse illustris scriptor commentarium conscripsit, et quo pollebat sermonis Latini nitore et castigatae dictio copia non res modo suas, sed et amicorum, et orbis literati, quoad suam aetatem, iucunda narratione expofuit, qui liber eo adhuc viuo. Hagae Comitum ^c lucem vidit, et a Lipsiensibus recusus est. Hac narratione ceterisque Huetii chartis vſus est, amicus eius OLIVETVS, qui biographiam eius libello *de Imbecillitate intellectus humani* praefixit. Tacemus ephimerides literatas ^d, passim vitae eius historiam strictim enarrantes. Nos institutum nostrum sequentes, ad ea potissimum respiciemus, quibus, vt in orbe literato immortale nomen Huetius consecutus est, ita de philosophia eiusque historia praeclare meruit, Scepticam autem philosophandi viam si non feliciter planeque, erudite tamen struit. Natus est Petrus Daniel Huetius, Cadomi parentibus nobilibus et illustri genere satis, anno salutis recuperatae MDCXXX, VI. Id. Febr. ^e. Patrem habuit Danielem Huetium, qui inclinati reformatae ecclesiae partibus ad Romanae ecclesiae castra transfugerat. Cum in ipsa pueritia ingenii subtilitatem, et iudicandi vires supra aetatem magnas, elegantiam autem imaginandi facultatis, et indolem ad humanitatem compositam ostenderet, studiis idoneus iudicatus est, a patre tamen ad ea colenda duci non potuit, quem in prima pueritia amisit. Matre vero educationis curam subeunte, quinquenni maior primae literaturae rudimentis a praeciptore domestico initiatus est. Vix autem triennium elapsum erat, in quo spem dederat puer Huetius haud vulgarem, profectum laetissimorum, cum ipsam segetem laete efflorescentem in prima herba suffocaret mors matris immatura, qua domum suam valde, ait, afflictam esse, adeo vt non multum abesse augurarentur homines, quin bonis omnibus ac fortunis euerfa esset. Et successerat quidem tutoris nomine in partem curae de illo educando Aegidius Macaeus, exquisita mathematicarum disciplinarum et fidelis imprimis scientiae cognitione per celebris ^f, cuius postea supellex ma-

^{b)} pag. 1334.

^{c)} 1713. et ad calcem Q. q. Alnetan. Lips. 1719. 4. qua editione vtimur, vid. Bibl. ancienne et moderne T. X. art. 7. Act. erud. 1719. Febr. Europe sauante 1719. Ian. art. 5.

^{d)} Memoires de Trevoux 1721. Avr. NICER.

Memoires T. I. Noua liter. Germ. 1720. p. 105.
1722. p. 148.

^{e)} Diem natalem, nescio quo fato omisit ipse, indicat OLIVETVS l.c. Imaginem eleganti Wolfgangi manu aere depictam habes ante ultimam editionem Lipiensem Demonstrationis Euangelicae.

^{f)} loc. cit. p. 5.

thematica haereditatis iure ad Huetium peruenit. Verum cum is tempus fere omne artis fidalis studio tribueret, exiguum officii curam habuit, eique se subtraxit. Puer autem Huetius interim monacho cuidam crucigerō puerilibus literis instituendus traditus est, qui tametsi homo mitis erat, ita tamen superciliosus atque voce sua puerulum inter matris amplexus tenerime educatum terruit, ut aetate quoque grandior ad aeris Campani sonum ad scholam vocantem cohoresceret. Quibus accessit contubernium adolescentium sanguine iunctorum, qui toti abhorrebat a literarum studiis. Quae tamen impedimenta superauit et indolis ad egregia quaevis adspirantis bonitas, et Iesuitarum Cadomensium, quorum disciplinae postea traditus est, cura et cohortatio, praemiis quoque et munusculis suffulta, qua factum, ut, qui tantum non extinctus erat, amor literarum rediret. Qui cum in adolescente fauentissimae naturae muneribus amplissime instructo accenderetur, mature in flammarum erupit, eo insatiabili scientiarum addiscendarum desiderio, quod per omnem postea vitam non deposuit, flagrante. Id quod vehementer quidem praceptoribus eius placuit calcar currenti addentibus, et noua indies ardori, quo in disciplinarum studia ferebatur, alimenta subiicientibus: commilitonum autem, quos post se relinquebat, inuidiam, et infidias illi contraxit. Abhorrebat tamen, quod mireris, a lingua Graeca, diuina vero ingenii vi quadam raram pangendi carminis facilitatem et felicitatem expressit, eamque simplicitatem et maiestatem fuci adscititii nesciam affecutus est, ut inter primos aetatis illius poetas numerari potuisset fere puer, si exempla veterum magis, quam recentiorum illi magistri imitanda proposuissent. Emenso politioris humanitatis curriculo, cum iam hauriendis philosophiae mysteriis videretur maturus, in Antonii Hallaei professoris regii coniuctum et disciplinam transiit, quem virum impense doctum magnam sibi eo tempore praeter geographiam facultatis poeticae famam acquisiuisse, praeter Huetivm^g testis est PETRVS BAYLE^h. Huius autem et praelectionibus publicis et priuata Institutione harum quoque rerum notitia imbutus, et domestica eius consuetudine egregiis doctrinae incrementis auctus, ad philosophiae artiumque mathematicarum studia totum se conuertit, inque illis ducem nactus est Petrum Mambrunum e Societate Iesu, qui postquam Lutetiae rhetoramic magna cum laude tradiderat, Cadomum venit, ibi philosophiam explanaturus, post ista vero tempora in Flexiensi collegio philosophiam et theologiam ad vitae finem professus est. Is cum a Platone aliisque antiquitatis magistris didicisset, parum feliciter in philosophia verbatim iri, qui ansas eius, artes mathematicas non prius didicisset, Huetum ea de re monuit, auctorunque illi extitit, ut Geometriae principia prius delibaret. Quod consilium dum adolescens insolito discendi ardore disciplinas quascunque complexus, exse-

qui
g) p. 12. 154. h) Dict. T. II. art. Hallé p. 687. i) Obiit 1661.
Hist. Philos. Tom. IV.

Aaaa

quitur, adeo cupiditate illius scientiae accurate discendaē occupatus est, vt noctes atque dies in ea excolenda consumeret, et iam pene aspernatur ea studia, quorum amore haec tenus erat accensus. Id tamen magister egit, vt cum extingue hunc Geometriae amorem non posset, in ordinem eum redigeret, et ad percipienda philosophiae praecepta ardente di- sciplinarum studio adolescentem perduceret. Ipse cum paulisper aetate matureretur, non sine literarum suarum damno intellexit, istud sibi ni- um geometriae studium noxiū accidisse, neglecta philosophia, quod optimum hominibus bonum datum esse intelligebat. Et suo itaque instin- etu et Mambruno auctore philosophiae studia renouauit arctiusque com- plexus est, sepositoqe geometrico et astronomico choragio, philosophiam coepit haud fegniter capeſſere, ita tamen, vt leges geometrarum ad meditationes philosophicas apte feliciterque transferret. Emiserat per illud tempus Cartesius principia nouae philosophiae suae; quem cognoscen- dorum cuim iam triennium in philosophiae curriculo absoluisset, magna eum cupido inceſſerat. Fateturque ipse ^{k)}, *Dicere non facile ſe poſſe, quantam admirabilitatem fecerit noua philoſophandi ratio in animo iuuenili, et veterum ſectarum rudi, cum ex simpliciſſimis et facillimis principiis de prompta videret ſpeciosa miracula, et velut ſponte exortam mundi huius compagem, totamque rerum naturam.* Addit his, per multos certe annos arctissime deuinctum ſe tenuisse Cartesianaē factionis studium, tum praecepit, cum per Hollandiam et Germaniam viros gra- ues atque doctos velut fascinatione quadam tenaciter Cartesio videret addictos, diuque infantis huius sapientiae conſultum errauisse, do- nec maturerente aetate, totoque hoc doctrinae apparatu a fundamen- ti perspecto vela dare retrorsum et curſum iterare coactus eſſet, cum inanibus ſtructuris niti eam totamque ab imo ſolo vacillare certiſſima ratione deprehendisſet. Quod quo pacto fecerit, et in aduerſariorū Cartesii partes transfiuerit, in ſequentibus enarrabimus. Sane Iefuitas, quibus ob notiſſimas cauſas vehementer inuifa fuit Cartesiana philosophia, vt ſuo loco infra tradetur, quique plurimum apud Huetum poterant, ad mutationem hanc plurimum contuliffe, eſt veriſimilium. Eo vero iam tempore quamuis fedecim demum annorum adolescens eſſet, praeclarissimi ingeni Huetiani eminuit prae cocitas, cuius ex omni artium mathematica- rum circulo ſpecimen publica diſputatione in vrbe Cadomensi, stupeſ- bus rei nouitatem cunctis, edidit, cum Eduardum Billium ex S. I. soda- litio virum doctum in iis artibus ſtudiorum moderatorem habuiffet. Ab- foluto philosophiae et τῶν μαθημάτων curſu ad ſcientiam iuris accede- re mos eum iubebat vulgo receptus: quamuis vero legum veterum notitia haud parum illi cordi eſſet, amoenitas tamen literarum philologicarum et antiquitatis eum retraxit, cum eas ex SAMVELIS BOCHARTI *Geographia ſacra* diligere coepiffet. Indignatus autem ſibi eſt, cum ſe Hebraicarum Graecarumque literarum prorsus rudem et ab his praefidiis

k) p. 15.

iner-

inermem videret, sine quibus antiquissimarum rerum cognitio acquiri non potest. Quod effecit, ut cum viui praceptoribus in eo doctrinae genere ipsi deessent, nullo alio magistro, nisi se ipso, usus, breui tempore vtriusque linguae indolem, regulasque perdisceret, et felicissima ingenii excitati et prompti indole nixus sacra oracula multoties legere, scriptores autem Graecos et poetas non sine fructu euoluere posset. Quod minime in eo mirandum, licet singulare prorsus esset, cum praeter florentem iuuentutis vigorem, ac inusitatam mentis alacritatem, ingenio praestantissimo suffultam et viuidum corporis robur accepisset, et nulla vnuquam assiduitate laborum, vel lectionis pertinacia et vitae sedentariae desidia expugnaretur, sed vegetus semper et alacris non minus a libris et studiorum contentione discederet, quam accessisset. Plurimum autem illi profuit Bocharti amicitia, cuius *Geographiam sacram* cum inexhaustam eruditionis sacrae et profanae congeriem esse videret, cupidus ipsum incensit, ipsum auctorem adeundi, ut eius consiliis et amicitia frueretur. Quae spes eum non defecit, ab eo enim tempore arctissima inter vtrumque consuetudo coaluit, quae plurimos annos durauit, et ad augendam firmamque doctrinam Huetio plurimum profuit. Valde tamen in his profanae eruditionis studiis refrixisse pietatis ardorem ipse candide fatetur ^{m)}, quo factum, ut aequalium suorum exempla secutus, commodaque et oblectamenta vitae quaerens circulis hominum, et multo magis etiam mulierum, frequens adesset, et tum cultum corporis et vestimentorum elegantiam, tum reliqua quibus placere sequiori sexu iuuenes solent, cum cura coleret, exercitationibus autem corpus studiose perficeret. Ita exacto vitae iuuenilis tempore, ineunte anno vicefimo primo sui iuris factus est potestate tutorum exiit, qui satis duriter et illiberaliter eum habuerant. Suis vero facultatibus potitus in re iam lauatori ad alia consilia animum conuertit, et Lutetiae adeundae desiderio flagrans, studiorum nutrimenta in vrbis frequentia quaesivit. Ibi vero cum ingentem artium et scientiarum augendarum apparatus inueniret, totum se illis immergit, et cum praestantissimis cuiuscunque generis libris conquirendis facultates suas impendit, et tantum non exausit, tum virorum eruditionis claritate excellentissimorum amicitiam sibi comparauit, inter quos imprimis fuere ex Societate Iesu celeberrimi viri Dionysius Petavius, Philippus Labbeus, Gabriel Cossartius, Franciscus Vauaffor, et Renatus Rapinus, quorum amicitia factum est, ut ad vitae finem singulari studio societatem prosequeretur. Nec tamen omittendum hoc loco est, quod de Petavio, cuius *Dogmata Theologica*, ipsi ob insignem auctoris doctrinam commendatissima fuere, ipse narrat Huetius ⁿ⁾: „Se cum et auctorem nosset, et amaret, „et faceret plurimi, ea et materiae dignitate et nitore dictionis, et passim „diffusa eruditione totas noctes attentum tenuisse et affixum. Verum adhibita ab eo in dogmatibus comprobandis argumenta ponderibus suis

A a a a 2 „exa-

i) pag. 17.

m) pag. 23.

n) pag. 29.

„examinanti sibi, si quod visum esset infirmius, vacillasse tum quoque „apud se dogmatis, quod eo nitebatur, fidem, cum nihil ad eius defensio- „nem certius afferri posse putaret, quam quae a tanto viro perpensa re- „fuisserit prolata. Hanc vero temerariam opinionem, iuuenili leuitate „susceptam, pristinam suam de facrosanctae nostrae religionis capitibus „sententiam, praestitamque iis hactenus a se reuerentiam contagione sua „labefecisse. Nec ante conualuisse ex hoc morbo, quam clarioribus de „coelo radiis colluistrata mente sua offusae discuterentur tenebrae, firmioribusque ac profundioribus radicibus sua fides insisteret“. Haec enim sincera Huetii confessio apertum facit, qua occasione ad Scepticismum ea ratione fouendum, ut infra trademus, primo peruerterit. Nempe iudicii vi minus, quam ingenio, valebat, et praeter ea naturalem iudicandi aciem nimia lectionis copia, et imprimis disciplinarum philologicarum cultura exquisitiori suffocauerat. Cum itaque quadam intellectus sui imbecillitate in argumento difficili et anciipi haereret, et exitum non inueniret, in eam incidit cogitationem, non suo, sed naturae humanae vitio incertitudinem istam enasci. Quod vbi semel conceperat, facile fuit illis, quorum auctoritas apud eum summa erat, persuadere Huetio, aliunde, nempe ex ecclesiae testimonio diuinitus collustrato, de rebus maximi momenti certum esse illum posse, qui obsequio pronas aures commodet. Verum de hac eius circa Scepticismum mente infra plura dicemus. Iam ut vitae eius et studiorum historiam porro persequamur, non viuos tantum audiuit et consuluit, sed mortuorum quoque chartis dies noctesque impalluit: eamque sibi librorum supellecilem collegit, quae hominis priuati conditionem paene superaret, et inter splendidissimos thesauros literarios Galliae referretur. Quam non splendori et ostentationi seruire iussit, sed usui, ita ut elegantiam librorum parum curans, margini allineret, quaeunque vel meditatio vel lectio vasta et memoria fidissima suggerisset. Innumeris quoque exemplis per scripta eius sparsis demonstrauit, nihil fere eum vel diuinae vel humanae doctrinae, maxime veteris, latuisse, innumeris in horrea sua congreguisse, omnes veterum thesauros eruditio- nis expilasse: quae ut admirationi merito sunt inter doctos, ita dolendum, pa- rem iudicandi vim isti lectioni non respondisse. Et hac quidem ratione tum Parisiis, tum Cadomi, quo Lutetia se iterum conuerterat, plauden- tibus cunctis totum se eruditio- ni et literis tradidit.

*Peregrinatio-
nes Huetii.*

§. VIII. Haec in Gallia molitus est Huetius. Quern cum exteris quoque regiones inuisendi cupidio incessisset, eo tempore, quo iter Italicum meditabatur, fauentissima peregrinationis literariae occasio ei se obtulit. Magno ea aetate studio et ingentibus sumtibus regiaque munificentia viros doctissimos et eruditio- nis excellentia celeberrimos in Sueciam inuitabat Christina, magni Gustaui Adolphi filia, imperio clarissima et literis. Huic Bochartum vehementer commendauerat Isaacus Vossius, quod is unus, in

in antiquitatis Orientalis omnisque disciplinae veteris notitia et philologia regnaret. Qui cum pollicitationibus reginae esset vicitus, abitumque Holmiam pararet, vt erat Huetio amicitia coniunctissimus, illi persuasit, vt itineris sibi comes adefset, nec occasionem negligeret in longo per tot regiones et vrbes itinere, viros celeberrimae famae et praestantissimae eruditionis conueniendi. Paruit monenti Bocharto Huetius, et cum discedentem morbo quodam impeditus comitari non posset, abeuntem secutus est, vbi cum sanitate in gratiam rediisset. In Belgium delatus Lugdunensem scholam inuisit, viros doctos adiit, et imprimis Salmasium facilem et beneuolum expertus est. Amstelodami vero Bocharto iunctus, amicitiam Vossii sibi conciliauit, Traiectique pristino malo depresso, Henrici Regii, quem et medica ars commendauerat, et Cartesiana philosophia eo tempore nobilissimum fecerat, consilio et opera sanitati restitutus est. Ex Hollandia vero in Daniam traiiciens, vidit Hafniae Olai Wormii thesauros ex omni vel naturae vel artis opere raro et singulari collectos, et Huenam insulam ruderibus domicilii Typhonis Brahei, maximi inter fidelis scientiae cultores, viri illustrem. Holmiam autem delatus multis quidem clementiae fauorisque signis cum Bocharto a regina exceptus est: Non respondit tamen spei atque expectationi euentus, cum reginae animum paullum a virorum doctorum consestante et literis Burdelotius, quo medico vtebatur, alienasset. Ut tamen ex difficulti et longinquo itinere literarios, quos quaerebat, fructus Huetius referret, optimis bibliothecae regiae libris, etiam nondum typis vulgatis ita vsus est, vt non contemnendam opum literiarum accessionem ficeret. Tum commentaria nonnulla Origenis ex codicibus msc. descripsit, quae postea edidit, et praestantissima dissertatione, qua res et dogmata Origenis luculenter exposuit, egregie illustrauit. Grata tamen reginae fuit hominis ad aulicorum morum elegantiam compositi conuersatio, quae caufa fuit, cur abitum meditantem inuita dimitteret. Borealis itaque niuibus relictis in patriam tendens, Gottorpii Adamum Olearium, Hamburgi Petrum Lambecium, viros doctissimos conuenit, et apud Batauos cum summis viris, quorum spectatissima virtus et celeberrima eruditio erat, amicitiam iniit, inter quos valde commendat Alexandri Mori et Davidis Blondelli beneuolentiam. Cadomum redux, nouam interea temporis virorum doctorum societatem inuenit, colendis naturalis disciplinae studiis destinata, cui nomen quoque dedit. Plurimum autem temporis in digerendis perficiendisque Origenis commentariis, consumsit, hocque saxum graue et molestum diu non sine cura voluit. Ut tamen aliarum quoque disciplinarum oblectamenta tangeret, Dialogum de *Interpretatione et claris interpretibus* scripsit, hocque libro primo tentauit, qua forte et orbis erudit plausu inter scriptores bonos referri posset. Nec defuit expectationi euentus: cum enim scribendi genere vsus esset plano et perspicuo, multumque luminis scriptio ineſſet, lectio autem probata, et sobria de viris

Aaaa 3

doctis

doctis iudicia vbique elucerent, magna eruditorum consensione exceptus, saepiusque recusus est^o, valdeque D. G. MORHOFIO^p laudatur, „quod in argumento, de quo nihil haec tenus erat praeceptum, se tamen „per omnes disciplinas diffuderit, et quidem in singulis, qua cura quid con- „uersum sit disquisuerit, addito vbique limatissimo iudicio“^q. Iniquior tamen illi videtur in Germanos, quod quidem hominis Galli moribus condonari posset, reipsa vero falsum est. Aequitatem enim in iudicandis Germanorum circa interpretationem scriptorum veterum meritis omnino seruauit, Germanos vocans^r, „homines ad artium omnium tractationem „a natura satis quidem factos, sed iis etiam quae a natura habent non val- „de magna, diuturno vsu et constanti meditatione excolendis et augendis „gnauos prae ceteris atque industrios, qui, postquam studium interpretandi „arripuit Germania, tam pertinaciter in eo se exercuerint, vix ut villa gens „meliorem, nulla certe vberiorem interpretum foetum tulerit“^s. Ceterum praeter istos, quos diximus labores in antiquitatibus eruendis diligenter posuit suam, et ipsos, quod necessarium esse videbat, fontes sectatus est. Cumque ob editionem *Origenianorum* frequenter adiret Lutetiam, doctissimis porro viris innotescere fategit. Inter quos Capellanus fuit, cuius poëma epicum, inuitis viris doctis probauit^t. Capellano vero intercedente, ad conuentus quoque eruditorum in aedibus Mommorianis pertractus est, inque illa summorum virorum, de literis praeclare differentium sodalitate eruditionis specimina dedit luculenta, eius autem fructus retulit vberimos. Sed cum vitae ecclesiasticae desiderio diu iam flagrasset, in Flexensi Societatis Iesu collegio sacrae militiae nomen dare constituit, dissuadente tamen id consilium Mambruno, cui obtemperauit, et ad Cadomenses suos reuersus est, eruditorum, quos illa vrbs, et schola, quae ibi alebatur, haud incelebris suppeditabat, consuetudine, commercioque literario cum principibus inter eruditos Europae, viris initio studiis suis alimenta praebens. Nec in uitationem reginae Sueciae, quae circa ista tempora nuntiabatur, sequi voluit, cuius inconstantiam in ipsa Suecia satis perspexerat^u. Ipse cum Cadomum, patriam suam, sedem studiorum tranquillissimam sibi delegisset, eaque aetate inter Gallos, Batavos atque Anglos naturalis doctrinae, obseruationibus et experientia virorum doctissimorum aucta et suffulta laeta incrementa illustribus societibus constitutis cepisset, similem cum amicis nonnullis rerum physicarum peritissimis labore singulis hebdomadibus suscepit, et academiam in aedibus suis instituit, in qua praeter rerum naturalium scientiam anatomiae et astronomiae ratio haberetur. In quo laudabili consilio consenserunt et ad amplificanda philosophiae latifundia operam suam contulerunt viri quidam doctrinae laude celeberrimi et philosophiae peritissimi: Inter quos etiam Petrus

^o) Primum prodiit Lutetiae 1661. 4. dein Sta-
die 1680. Hagae Comitum, et Lipsiae 1683. 8.
^p) Polyhist. liter. T. III. L. V. c. 1. §. 14. p. 536.

^q) pag. 273.
^r) p. 67. Mem. de Trevoux 1722. Aug. art. 1.
^s) pag. 86.

Petrus Callisius fuit, in Academia Cadomensi philosophiae professor, qui erudito commentario BOETHII libros de *Consolatione philosophiae* illustravit, et deserto, cui prius adhaeserat Lyceo, ad Cartesianam factionem, cui tunc adhuc nomen dabat Huetius, descivit, eiusque praecepta, indignantibus Romanae ecclesiae theologis ad explicandam transubstantiationis, quam vocant, doctrinam adhibuit. Adeo vero placuit recens institutum augendis philosophiae incrementis, duce et auctore Huetio destinatum Colberto, qui tunc disciplinas omnes regia auctoritate magno studio iuuabat, vt regis nomine pecunias numerari iuberet ad faciendo liberaliter sumptus, et toleranda experimentorum impendia. His autem exercitationibus dum totus inuigilat Huetius, noua ei suppeditata occasio est¹⁾, Pyrrhonum philosophandi genus diligentius perquirendi et amorem inde eius concipiendi, quem non nisi cum vita deposuit. Nempe regis indignatione et fortunae reflantis inuidia pulsus ab aula, et in Cadomensem vrbum relegatus erat Cormisius, senatus Aquensis praeses, in quo viro literarum peritiam et imprimis veteris philosophiae cognitionem haud vulgarem laudat Huetius. Cui cum ille admidum esset commendatus, vt affliti res consilio, vt posset, et solatio iuuaret, eius virtute et eruditione commotus, frequens illi adfuit, et singularis fere diebus eruditis cum eo colloquiis tempus terendo, multum de rebus antiquorum et praecipue de veterum philosophorum sectis sermonem habuit. Eum autem ait, cum omnium egregie sciens esset, illa potissimum accurate tenuisse, quae animum iubent ab omni assensu sustinere. Is autem sumopere comprobabat Sexti Empirici doctrinam, effecitque commendatione sua, vt cum vix nomine prius auctor ille notus fuisset Huetio, eum diligenter magna que cum cura evolueret, et familiarem sibi deligeret, summaque, vt ipse fatetur, illius apud eum esset commendatio. Et tum quidem Huetium fundamenta Pyrrhoniae philosophiae posuisse, cum vt supra obseruatum iam prius animo fluctuasset, nec sibi in philosophematis suis vbiique satisfaceret, ex *praefatione libri de Imbecillitate intellectus humani*, patet, in qua suppressio quidem Cormisii nomine, hunc quem iisdem paene verbis ob insignem veteris philosophiae peritiam, et Pyrrhonismi amorem commendat, ad sequendas has partes sibi auctorem hortatoremque fuisse longa narratione exponit, sic vt fictum illud exordium, licet Patauii habitam illam disputationem diceret, videri non debeat. Sane ab eo tempore plurimum Scepticismo fauisse, sequens vitae eius testabitur historia.

§. IX. Valde cum eruditione multiplici, quam ipsis mediis atque laboribus comparauerat, crevit fama Huetii atque existimatio, adeo vt regia liberalitate recrearetur. Colberto enim auctore cum Ludouicus XIV ad excitanda honestissimarum disciplinarum studia viris per Europam doctissimis annua stipendia regia munificentia decerneret, Huetius quoque inter eos iudicatus est, qui gratificatione ista regis exornandi essent, eaque beneficentia

Labores eruditii Huetii.

¹⁾ pag. 94.

ficentia per multos annos frui potuit. Praeterea senatus Aqueñsi adscriben-
dus erat, nisi splendido muneri tranquilla Musarum otia praetulisset. Narrat
„ipse quoque“, et post eum, OLIVETVS^x, „legatum Tottium a re-
„ge Sueciae missum Capellatum adiisse, Huetio veteri necessitudine ad-
„dictum, dixisseque, habere se in mandatis a Suecici regni proceribus,
„denutiaret ipsi, vniuersis illorum suffragiis delectum eum esse, cui regis
„sui in literis instituendi cura traderetur, qua propter maturandam esse
„profectionem in Sueciam; at se Suecici coeli inclemantium expertum
„gentisque asperitatem, et mores a Gallica vrbanitate adeo alienos, obla-
„tum munus modeste repudiauisse“. Quod tamen falsum esse, Auctores
Actorum literariorum Sueciae^y inuictis rationibus demonstrauerunt, et
ex ipsis regni actis atque tabularii fide euicerunt, Carolum Gustauum re-
gem anno MDCLX ineunte instituendi filii principis in literis curam
Figrello Griepenhielmio tradidisse, consentientibus, qui ei has partes assi-
gnauere, regni proceribus et tutoribus regii iuuensis; qui alienissimo a re-
ligione Romanensi fuerint animo, ita vt ne quidem Christinae, reginae
suae, Stockholmiam ad exequias Caroli Gustaui celebrandas reduci publi-
cum concesserint religionis exercitium; ipsum vero regium paedagogum
iurisiurandi fide obstringi petierint, vt regiam sobolem secundum doctri-
nam Augustanae Confessionis inuariatae cultu Dei imbueret. Omnium
applausu quoque studia regia moderatum esse Griepenhielnum, nec in in-
structione legati comitis Tottii, anno MDCLXI, neque in literis ad
eum vllis vel senatus regii vel cancellariae, quam vocant, teste archiario
regni quicquam de Huetio legi. Quae vt omnino fide publica stant et
certissima sunt, ita probant, vel Huetium paulo iactantius ea ex rumusculo
incerto falsoque protulisse, vel, quod nobis verisimilius videtur,
Capellatum, vt Huetio, strenue eius partes contra obrectatores
tuenti, palpum obtruderet, ex solo legati Suecici testimonio, spectatam
apud Suecos esse Huetii eruditionem, talia confinxisse, et ad Hue-
tium, fidem amico dantem perscripsisse. Valde eo tempore vrgebat
Huetius *opus Origenianum*, quod tandem commendatissima editione
anno MD CLXXXVII prodiit^z, et in quo praeter antiquitas
ecclesiasticae notitiam plane singularem, ostendit quoque elegantissimis,
quas historiae Origenianaes inspersit, obseruationibus, quam egregie in ve-
teris philosophiae historia fuerit versatus. De quo tamen eius labore hoc
loco plura dicere nihil attinet, dabit alia B. I o. A L B. F A B R I C I I^a
diligentia. Amisit eo tempore, quo hoc faxum maxime valuebat amicum
veteranum Bochartum, cui plurimum eruditio Huetii debuit, qui tamen,
cum de loco quodam Origenis circa sanctum corporis Christi sacramentum
cultumque angelorum cum eo disputaret ardenter, nonnihil amicitiam re-
frige-

u) p. 96. factum id esse, ait, anno 1661.

x) pag. 19.

y) 1723. Trimestri IV. Art. 2. p. 466.

z) Apud Rothomagenes.

a) Bibl. Graec. Vol. V. p. 216. et quae nos supra
tempo tertio diximus.

frigescere passus est^b. Circa id quoque tempus elegantem utilissimam tractationem *de Fabulis Romanensibus* plaudente republica erudita edidit^c, quae aliquoties postea recusa est^d, quaeque non nostri modo temporis res literarias illustrat, sed et veteri literaturae maxime philosophicae lucem amplam foeneratur, et ad cognoscendas origines philosophicas plurimum conferre potest. Occasione enim istarum fabularum de philosophia veterum mythologica, et orientalium methodo allegorica obseruationes iucundas et praestantissimas attulit, et hanc antiquae doctrinae partem multa luce perfudit. Biennio post summos in utroque iure honores in acadēmia patria obtinuit, et in illustre quoque honorariorum iuris doctorum collegium Parisiensis academia eum adscivit. Tanta autem eius existimatio et doctrinae celebritas extitit, vt cum Delphini adolescentiae regendae praepositus fuisset Montauerius, Huetius potissimum ab eo regi commendaretur, qui ad formandos congressus literarios apud regium principem circa illum esset, eiusque animum literis iustis, quibus principes iuvenes formari solent, imbueret. Qua ratione Cadomo Lutetiam cum Huetio sedes eius literaria et supellex libraria amplissima translata est. Quod grauissimum munus vna cum Boffueto dum exsequitur, et Galliae futurum regem optimis artibus instruit, priuata industria opus illud celebre, quod *Demonstrationem Euangelicam* inscripsit, et in quod, velut in horreum, praestantissimae et abundantissimae eruditionis suae copias contulit, conficit, in quo veritatem religionis Christianae secundum geometrarum leges demonstrare suscepit. Non patiuntur quidem tractationis nostrae institutum et limites, vt huius operis extra Galliam magis, quam inter Huetii συμπατριώτας celebris historiam exponamus, sed consulendi sunt viri docti, qui eius res tetigerunt^e. Non tamen indictum hoc loco praetereundum est, historiam veteris philosophiae, praecipue barbaricae et mythicae, ad probandam veritatem reuelationis diuinæ in sacris literis patefactæ Huetium multoties in partes vocauisse. Fecisse id virum summum infinitae lectionis copia, et vi ingenii tanta, vt admirationem iure mereatur, non negamus, optamus autem, vt in huius generis scriptione, quam ad seueras geometrarum leges se exacturum promiserat, ad certiora animum inten-disset, inepta, quae haud raro sequitur praeiudicia, omisisset, et imprimis omnis antiquitatis barbaricae Graecaeque origines ad Hebraeos referendo, caussam quam tuebatur, optimam impietati non prodidisset, et a temerariis coniecturis, quibus omnes veteres philosophos ad patriarchas Hebraeorum, praesertim ad Mosen, obtorto collo trahit, abstinuisset. Ita enim nec origines sacras, nec philosophicas corrupisset, et certiori talo

confisi-

^b) pag. 99.^c) Paris 1670. 8.^d) Amstelod. 1679. 1716. Belgice, 1672. Angli-
ce, ex Gallico Latina saepius proditi.^e) Act. Erud. 1692. p. 282. IO. FABRICIVS
Hist. Bibl. sua P. IV. p. 30. IO. ALB. FABRICIVS
Syllog. Script. de V. R. C. c. 27. p. 516. BVDDEVS
Iagog. Hist. theol. L. II. c. 1. p. 431. seqq.

consisteret eius demonstratio, vt suo loco f multis a nobis exemplis est euictum. Iudicio itaque sobrio et accurata veterum religionum et philosophiae notitia opus est, si quis istum librum ad usus egregios adhiberi velit. Ceterum cum iam circa ista tempora Huetium Scepticisno vehementer fauisse, ex supra adductis sit certissimum, merito mirati sunt multi, virum summum ausum tamen esse Demonstrationem Euangelicam scribere, quam suppositis iis, quae in tractatu de *Imbecillitate intellectus humani* fulcit, axiomatibus conuellere est facillimum. Abstinemus tamen a iudicio de scopo Huetii ferendo, illudque Lectori sagaci et ad Huetii circumstantias attendenti relinquimus, id modo monentes, cautis aliquam istius, quod auctorem ad scribendum commouit, confilii rationem, subdere posse ex praefatione nouae editioni praemissa, in qua se hanc Demonstrationem traditioni inaedificasse fatetur. Eam vero Pyrrhonismo non aduersari, sed hunc ad eam viam munire tum temporis iam credebat Huetius, vt ex *Q. Alnetanis* est manifestissimum. Immo in ipso illo demonstrationis Euangelicae limine hunc scopum suum, illamque de hoc argumento mentem non prorsus abscondere potuit. Prolixe enim in *Operis Prologo* demonstrare nititur, „ad faciendam fidem inanem esse „sine gratia Dei omnem argumentationem, viam cognitionis, quae per „sensem ac rationem fit, obscuram esse, ancipitem et fallacem, ad veri „notitiam malefidam et intutam infinitis obseptam philosophorum tricis „et quaestionibus; fidem vero claram esse et apertam, constantem, praec „lucentemque animo, ancipites motus et fluctuationes admisso coelesti „lumine componentem, quam si cui Deus largitus fit, eum probationes „non requirere; quae si desit, nullam illi sufficere demonstrationem“. Immo eo vsque progreditur, vt afferat: „Idcirco non perspicacis et „certae, sed coecae et hebetis rationis vsum nobis Deum concessisse, ne „manifestam facrorum mysteriorum notitiam ratione adepti, fidem aspernaremur“. Fatetur quoque, „ita Christianismo longe minus aduersari „videri, quam existimetur vulgo, eas philosophorum disciplinas, quae „incertum habent ac dubium, quicquid sensuum et rationis ope cognoscimus, quaeque sustinent se ab omni assensu. Sic enim praeiudiciis expurgatos animos ac opinionibus liberos Deo regendos, et fidei diuinae moderandos facile se permettere“. Quae vbi Augustini (in Academicorum castris olim militantis) testimoniis illustrasset, addit: „Extitisse subinde „viros ingenio ac eruditione praestantes, qui vt viam munirent doctrinae „Christianae prius ex hominum animis eradicanter censuerint philosophiam, et Scepticis ad id argumentis commode ac feliciter usi sint; atque „eo tutius, quod scirent, et aperte praedicarent, irrita fore eadem vim „que omnem amissura, si aduersus Christianam disciplinam torquerentur, „quippe cuius principia non ab hominibus rebusue humanis, sed a Deo „ipso ducerentur“. Non tam obesae naris fuit Huetius, vt non intelligeret,

f) Tomo primo, passim.

g) pag. m. 5. edit. recentiss.

ret, obiici posse: *Quorsum igitur ista demonstratio?* Sed respondet: „Nempe ad parandam et confirmandam fidem, quam per scientiam gigni „in nobis, nutriti, defendi, ac roborari sciscit Augustinus; non quasi per „propriam et praecipuam caussam, sed ut per extraneum et ascititum ad-„miniculum, quo in obsequium Christi debitaeque Christo fidei mens no-„stra sensim flectitur“. Non exigemus hoc demonstrationis genus eius-que usum ad leges ratiocinandi, quas dubias esse et incertas iam tum sta-
tuebat Huetius, nec quo pacto hunc se finem sibi propositum rite obtinuerit perquiremus; faciet id sine nobis Lectoris industria; id modo mone-
mus, animo Scepticismo plene imbuto ad hoc opus scribendum se accinxif-
fe Huetium, et alia prorsus respxisse, quam incautus ad haec eius monita
credebat orbis literarius, adeoque frustra egisse, qui ob illum librum, dis-
sertationem de *Imbecillitate intellectus humani* illi abiudicarunt. Cete-
rum eo tempore consilium auctorum Latinorum, quos classicos vocant,
in usum Delphini illustrandorum, inter primos concepit^b, ipse Manilius
hac ratione notis suis illustravit. De qua re praeter historiae criticae La-
tinae linguae scriptores videsis Io. ALB. FABRICIVMⁱ.

§. X. Hactenus inter aulae obsequia vixerat Huetius, vitae tamen ecclesiasticae semper appetentior. Anno autem aetatis quadragesimo sex-
to, postquam huic se consilio paulatim attemperauisset, ordines ecclesiasticos suscepit: cumque paulo post splendidae societati, quae Academiae Francicae nomen gerit esset adscriptus, vacanti apud Alnetanos abbatiae a rege praefectus est, eam tamen non nisi anno M D C L XXX, quo de nuptiis Delphini cogitatum est, et studiorum eius curriculum desit, adire licuit. Transacto igitur in aula toto decennio Cadomum primum, ac deinde Alnetum venit, qui locus cum amoenitate sua Tempe quaedam videretur Huetio, Musas eius ita prouocauit, vt non modo loci iucundissimum aspectum suis celebraret carminibus, sed et eum sibi secessum exoptatissimum eligeret, in quem singulis annis redeunte vere exspatiaretur, totas que aestates in tranquillissimo degens otio, noctes diesque in rerum humana-
rum diuinorumque meditatione transigeret. In hac ergo quieta studio-
rum sede, quam diu meditatus erat, Scepticae philosophiae commendationem suscepit^k, conscriptis editisque *Quaestitionibus Alnetanis*^l, in quibus de rationibus et fidei concordia tractationem exorsus demonstrare vo-
luit, quae essent partes rationis in suscipienda fide, usque quo pertinere debeat in rationem fidei imperium; docere etiam, nihil tam alienum a sensu communi proponi nobis a religione, quorum dogmatum et praece-
ptorum non confimilia vel etiam a fide moribusque hominum magis aliena, gentes optimis institutis temperatae vel non crediderint, vel in usum confuetudinemque non receperint, proptereaque nullam superesse caussam, cur ea ab impiis hominibus repudientur. Quanquam autem totam eam

Vita ecclesi-
astica Hue-
tii, et scri-
ptatum edi-
ta.

B b b 2 dispu-

^b) pag. 119 seq.

ⁱ) Bibl. Lat. Tom. I. pag. 294.

^k) pag. 143.

^l) Cadomii 1690. 4. Lipsiae 1693. 1719. 4.

disputationem satis longam et prolixam, variaque doctrina mirifice excultam eo fine auctor adhibuit, vt religionis Christianae veritatem impiis persuaderet: fatendum tamen, reuelationis eum assertionem rationis euer-sione inaedificasse. Facit id quidem occultius, nec vt ipsa rationis principia videatur eiurasse; attamen id hoc pacto agit, vt pateat, frustra esse rationis laborem omnem, nisi cum se sentiat inanes in veritate detegenda conatus fuscipere, eo ducat, vt certiorem ex reuelatione veritatem quaeramus. Fundamentum toti hypothesi sternit, fluctuans animi iudicium, quod dum incertum haeret, quanam ratione mentis ideae cum rebus externis congruant, exque hac consensione veritas oriatur, cum videat, species internas et ideas rebus externis applicare se non posse, neque ad eas conferre, ac proin veritatem firme attingere; inde intelligit, per rationem cerni clare viam non posse, qua eatur ad veritatem. Quo pacto dum viae incerta ratio suspensa haereat, in ea incertitudine non acquiescendum, sed alium ducem eligendum esse statuit, qui certius tutiusque iter ingrediendum ostendat, nempe fidem: huncque in modum egregie se putat Scepticismi, in incertitudine non haerentis modo sed acquiescentis insaniam sanauisse, et qua ratione adhaerendum sit philosophis, qui dubitationis artem profitentur, docuisse. Et hac ratione quidem ita occulte rem suam agit Huetius, vt licet satis manifeste pro Pyrrhonismo caussam in eo libro perorauerit, fere nemini tamen Scepticismi suspectus factus fit, donec post eius fata decantata illa incertitudinis Pyrrhonicae apologia prodisset. Neque tamen magnopere mirandum, ad hanc potissimum Scepticismi viam Huetium confugisse. Cum enim et intellectus, rerum copia impediti praeagrauatique, imbecillitate quadam laboraret, quem eius morbum in pulcherrimis ingenii, quod elegantissimum et viuum habebat, foetibus passim deprehendere licet, et ista infirmitate debilitatus rationibus e contraria parte inter se concurrentibus satisfacere non posset, innumeram autem opinionum late disseminatarum turbam animo comprehenderet, non potuit non ad philos. illam incertam, et dubitationis artem deficere, in qua eum a doctis nonnullis viris contentionum philosophicarum pertaesum confirmatum fuisse, ipse candide fatetur. His vero accesserunt momenta duo, ex his quaestionibus Alnetaniis paulo attentius eas legentibus facile colligenda: Quorum vnum ad philosophiam pertinet, alterum ad religionem. Et philosophiam quidem initio amplexus erat Huetius Peripatetico-Scholasticam, cuius vanitatem cum intellectusset, ad Cartesianam descivit, eamque miro amore diu complexus est. Ast cum vel Jesuitarum instinctu, qui plurimum apud eum auctoritatis habebant, vel ipsorum ratiociniorum infirmitate dubitare admodum et aliis eam factionem armis aggredi coepisset, vt ex eius *Censura philosophiae Cartesiana* constat, quam paulo post ex Alnetano secessu produisse dicemus, non potuit non ad Pyrrhonias partes deflectere, cum meliora haud nosset. Quod vero ad religionem attinet, notum ex actis ecclesiasticis superioris seculi, ex oriente Cartesiana philosophia

sophia illos viros doctos, qui extra Romanam ecclesiam viuebant, telis ex Cartesianis pharetris desumtis vehementer Romanam aciem pressisse, et imprimis transubstantiationis dogmati immedicable vulnus inflixisse. Qui itaque philosophiae et rationis ope succurrere laboranti aciei non poterant, ad alia auxilia properarunt, contemtaque rationis auctoritate ad fidei, et quod illius fundamentum statuebant, traditionis siue ecclesiae vocem confugerunt. Cuius rei testes nouarum artium, siue methodorum architectos aduocamus, et ad eas disputationes prouocamus, quae inter Gallos de via examinis et auctoritatis magna animorum contentione agitatae sunt. Et postremis his partibus accessisse Huetium, ob cauas supra adductas nemo mirari debet, rerum in ecclesia eo tempore gestarum memor. Has enim *Quaestiones Alnetanas* eo illum fine scripsisse, ut auctoritatem traditionis contra rationis imperium stabiliret, ipse candide fatetur. Verum eum in modum id praestitit Huetius, ut parum praefidii in eius dimicione magnis licet doctrinae copiis suffulta ponere illis liceat, qui viam examinis reliquint. Imbecillia enim pleraque sunt, quae affert, confusa et ad accuratae ratiocinationis leges haud exacta, quae vero ex omnium religionum sylva congescit, et ad demonstrandam veritatem R.C. attulit, ita deprauata a domestica significatione et proprio ac genuino sensu sunt, ut plane indigna Huetiana fama ea tractatio videri queat. Maxime vero vehementer veterum philosophorum systemata corrupti, et perditissimos errores inducto fuso ita pinxit, ut concordare cum sacris dogmatibus videri queant. Quae ratio est, cur valde hic labor viris doctis displicuerit, et innumeros in eo naeuos illi detexerint ^{m)}. Sane nec a veritate nec a iudicio destituitur acutissimi HEVMANNI censura ⁿ⁾, qui vbi periculoseum eum librum atque infidarum plenum esse obseruasset, id maximopere notandum esse monet, ad eiurandam contemnendamque philosophiam omnem eum vbique collineare, nec aliud quae siuisse Huetium, quam vt omisssis disputationibus desperatoque rationis auxilio, qui in Gallia a Romana ecclesia defecerunt, coecum Romanae auctoritati obsequium praestarent. Quod tamen tantum abest, ut obtinuisse credendum sit, vt potius aduersae, quam tacite aggrediendam ratus est parti tela improuidus subministrauerit. Id quod tamen operose demonstrare huius loci haud est ^{o)}. Non multo feliciori quoque pugnae genere decertasse visus est Huetius, cum *Censuram philosophiae Cartesiana*e in ea mora Alnetana conscriberet, quae apud Parisienses edita ^{p)} et aliquoties recusa est ^{q)}. Quamuis enim nonnulla Cartesiana philosophiae vulnera inflixis-

B b b 3 set,

^{m)} Vid. MOSHEIM. ad Cudworth. p. 960. 973. 996. 1050. 716. 1004. BVDDEVS Isagog. L. I. c. 4. §. 23. pag. 235.

ⁿ⁾ Act. philos. Vol. I. p. 313.

^{o)} Exemplum esse potest, dum L. II. c. 4. p. m. 101. Cultum Angelorum ex philosophia Alexandrina deriuat, verissimo quidem argu- mento, cuius veritatem nuper quoque peripe-

xit eruditissimus Anonymus, qui Adisidaemonis Philororaei nomine elegantissimas vindicias aduersus sycophantas Iuuauientes Veneris edidit. c. 2. p. 43. Sed extitiali illis, qui hunc angelorum cultum ex turbidis his lacunis exortum, pro orthodoxo commendant. p) 1689.

^{q)} Curante M. MEIBOMIO Helmstadji et Franekeræ 1609.4. Parif. 1694.12.

set, telum tamen in intima viscera non adegit, facileque inuenerunt Cartesii affeclae, quid reponerent. Procefferunt enim contra eum in hanc arenam Ioannes Eberhardus Schwelingius, Ioannes Schottanus, Petrus Sylvianus Regis, et Andreas Petermannus, de quorum scriptis contra Huetii censuram consulendus Cl. S T O L L I V s^r. Valde hos quidem aduersarios velut leuis armaturae milites contemnit Huetius^s, maxime vero se huius sectae vanitatem tam certis documentis patefecisse gloriatur, ut cum nuperus ille factionis huius propugnator Petrus Sylvianus Regisius refellere eum instituisse, non aliter expedire se potuerit, quam postquam verba Huetii falsa interpretatione adulterasset; adeo ut argumentationi eius responcionem opponere simulans, sibi ipsi dolo malo sed inani calliditate responderit. Aliter tamen visum P. Baylio, acutiori quam Huetius fuit, in hoc argumeto iudici, qui Regisii hanc animaduersiōnē exemplō aliis commendare non cunctatus est^t, ut discant, qua ratione in hac re verſandum sit. Certe inaequalia heic arma Huetii et

impar congreſſus Achillei.

Ex his vero intelligi quoque potest, quid de consilio Huetii conscribendae historiae philosophicae iudicandum sit. Nempe cum ab adolescentia primisque literarum studiis existimatio veteris philosophiae eius animo insedisset, ad cognoscendas sectas veteris philosophiae antistitum a Laertio explicatas plurimum laboris atque diligentiae contulit, et ex veterum lectione promtuarium aliquod ad Diogenem Laertium collegit, ex quo ea depromfit, quae in *Demonstratione Euangelica* et in *Quaestionibus Alnetanis* de hoc argumeto dixerat. Cumque M E N A G I I Commentarium in Laertium recognoscendum ab auctore accepisset, ex quo magna illi succreuit veteris sapientiae notitia, adeo huius studii amore captus est, ut nullum iter fusciperet, nullo subcisiō frueretur tempore, quo non Laertium secum habuerit, et veteri philosophiae illustrandae partem temporis consecrauerit. Quo pacto in magnam molem excreuit opus, quod in partes secundum edendumque decreuit, nihil tamen ex eo profectum prodiit, praeter *Quaestiones Alnetanas* et *Censuram philosophiae Cartesiana*: ex quibus, si a partium studio seponendus est animus, iudicandum, plus ad congerendum quam digerendum illustrem auctorem habuisse virium, nec illi ea auxilia adfuisse, quae ad condendam philosophiae veteris historiam requiruntur, licet materiam habuerit ita amplam et abundantem, ut nemo fere eo tempore illius diuitias literarias aequauerit. Quam sententiam vere dictam esse, vel hoc vno argumeto constat, quod ex copiosissima vastaque illa veteris sapientiae collectione haud alium, quam Scepticismum, fructum retulerit. Id quod tantum abest, ut neget, ut potius „hunc sibi egregium usum enatum glorietur, „quod, cum philosophia „nul-

r) Hist. liter. P. II. c. 1. §. 97. p. 412.

demie Franc. p. 184. LE CLERC Bibl. uniuers.

s) loc. cit. p. 142. 162.

Tom. XV. p. 330.

t) FONTENELLE Hist. de Renouvel. de l'Aca-

u) pag. 142.

„nullis continetur finibus, et ultra mundi ipsius atque aei metas euage-
 „tur in immensum, mens autem humana in angustum coacta, et humili
 „depressa densisque obducta tenebris in claram lucem crepere, arduosque
 „veritatis apices ratione sua subnixa conetur apprehendere, quaerendum
 „sibi proposuerit, quoisque viribus illa suis sese possit attollere, quae-
 „nam illi petendae essent a fide suppetiae“. Cuius meditationis fructum
 cum *Quæstiones Alnetanas* fuisse dicat, apparet inde, immensam illam
 farraginem veteris philosophiae, cui iudicio interposito subigendae impar-
 fuit Huetianum ingenium fluctuans atque ambiguum, Scepticismum apud
 eum genuisse. Ceterum ex hoc abbatiae Alnetanae secessu alia quoque
 eius scripta prodierunt, quibus admodum nominis sui celebritatem auxit;
 inter quae libellus *de Navigationibus Salomonis* magno eruditorum plau-
 su exceptus est. Eo quoque tempore cum Nicolao Boelaeo (Boileau) Pra-
 tellio, de sublimi in verbis Mosis cosmogoniam describentis disputauit;
 quam disputationem cum post multos annos Ioannes Clericus edidisset,
 valde ea re irritata est poëtae satyrici, et pungentis non modo, sed inter-
 dum quoque latrantis rabies. Creuit istic laboribus Huetiana eruditionis
 celebritas, et meritorum cumulus tantus visus est, ut anno MDCLXXXV.
 a rege Episcopus Sueffionensis designaretur; ob notissimas autem lites,
 quae aulae Gallicae cum curia Romana intercedebant, non nisi elapo se-
 ptennio confirmationem pontificis maximi, et possessionem muneris istius
 nancisci potuit. Interim insula Sueffionensi cum Abrincensi commutata
 anno MDCXCII diploma Romanum satis magno, ut conqueritur, pre-
 tio redemptum accepit. Neque in eius ecclesiae administratione illas deli-
 cias inuenit, quibus in Alnetana abbatia frui poterat. Adeo enim colla-
 psa erat disciplina ecclesiastica, corrupti cleri mores, perditæ incolarum
 consuetudines, ut non sine graui molestia habita synodo et statutis condi-
 tis * seueris in ordinem deviantes cogere posset. Quod cum aegre fer-
 ret Huetius, otio literario totus fere innutritus, et aquae insalubritas eo
 loco inimica esset eius sanitati, ingrauesceret autem aetas proiectior, et
 augerentur senectutis incommoda, consentiente rege episcopatu se abdi-
 cauit, a rege autem Fontanetenensi abbatiae praefectus est, ne rei familiaris
 angustiis obscurata eius dignitas fordesceret. Fontanetum autem cum
 Cadomo vicinum esset, valde hoc senii sui portu gauifus est Huetius, ae-
 desque abbatis exornari et supellecstile eleganter instrui curauit. Ast quam
 tranquillitatis sedem sibi fore sperauerat, molestiarum et indignationis
 campum expertus est. Nam et vicinorum neglectum aegre tulit et litibus
 excitatis Francisci Casaei (de la Chaife) Iesuitae inclemens maxima re-
 bus eius illata est calamitas: et a fraudulentis hominibus, qui redditus ex
 praediis eius prouenientes conduxerant circumuentus est. Quætaedia ta-
 men consuetis literarum studiis et imprimis veteris philosophiae disciplina
 leuauit, ut potuit, animi vero molestiam auxerunt Ioannes Schottanus et

Petrus

*) Prodierunt Statuta Synodalia Cadomii 1693.

Petrus Callius, pro Cartesio vehementer in Huetium insurgentes. Quam Cartesianorum maledicentiam vt vindicaret, cum a litibus istis se indignis valde abhorreret, seuera autem studia impeditent oculorum debilitas et epiphorae, ad ludicrum scribendi genus conuersus, fabula Milesia Cartesianos exagitandos esse statuit. Edidit itaque *nouas memorias ad iuuandum* ^y, *Cartesianismi historiam* aliquoties ^{avovūμως} editas, nomine suo ita clam habitu, vt diu Huetium auctorem esse viri docti ignorarent. In ea scriptiuncula Regisio dicata multo sale satyrico Cartesianos aspergit, fictione vsus, Cartesium falsa mortis imagine delusis Suecis ad Lappones clam discessisse, et inter eos nouam scholam excitauisse. Neque Batauorum ingeniis parcit, quae ob frigus aliquod aptiora iudicat ^z ad Cartesianae philosophiae mysteria percipienda, quam feruidos Gallorum spiritus; non recordatus, inter suos Mommorium, Rohaltium, Bosfluetum aliosque inter Cartesianos, ipso narrante, militauisse. Tandem secessus Fontanetani, et molestiarum pertaesus Lutetiam reuersus est, vt inter literarum dulcedines, et conuersationis eruditae delicias vitam clauderet. Cumque in aedibus Iesuitarum sibi domicilium delegisset, ibi corpusculum senectutis morbis fractum et grauatum reficere, animum autem virorum doctissimorum colloquiis et veterum studiorum reminiscencia pascere constituit: bibliothecam quoque suam ne post mortem dispergeretur, illuc transtulit, et Iesuitarum societati testamento legauit, ita tamen, vt in publicos eruditorum vsus certis legibus ab eo scriptis ^a prostaret. Et hoc quidem pacto senectutis incommoda leuauit, et post grauissimum morbum, restituta sanitate *Commentarium de rebus ad eum pertinentibus* conscripsit. Cumque memoriae vires valde decrescerent, et grandaeus senex maioris molis operibus scribendis amplius non sufficeret, morbis autem et corporis infirmitate animi quoque vigor sensim exhauietur ^b, *breuibus Dissertationibus* ^c conscribendis animum adplicuit. In quibus licet multa saluberrima congesserit, fatendum tamen exhaustos senectutis valde prouectae incommodis spiritus, eas subinde prodere, nec amplius eas scriptiunculas Huetiano respondere ingenio. Pietati vero vltimos dies litaturus dum Vulgatam annotationibus illustrare contendit, tandem nonagenario maior anno MDCCXXI, VII. Cal. Febr. rebus mortalium eripitur.

§.XI. Clan-

y) Nouveaux memoires pour servir à l'Historie du Cartesianisme par Mr. G. de l'A. Paris 1692. 12. Traiecti ad Rhen. 1693. 12. z) p. 50.

a) Extant Amoenit. literar. T. V. art. 7. p. 164. collapias vero aedes illi Bibliothecae destinatas refecerunt Iesuitae.

b) Talem inuenit Cl. MAICHELIVS, vid. diff. de Bibliothec. Parisiensibus P. I. c. 5. §. 7. p. 96. ob hanc infirmitatem excusat Oliuetus confusione quandam in Comm. de sua vita occurrentem.

c) Dissertationulas istas abbas TILLADETUS Collectione dissertationum ad religionem et philosophiam spectantium Paris 1712. 12. inseruit, eo enim amico vtebatur Huetius. Cogitationes autem miscellaneas Huetianorum nomine vulgauit OLIVETVS Paris 1722. 4. in quibus frigus senile subinde deprehendes. Conf. Act. Erud. 1722. Sept. art. 12. Journ. des Savans 1721. Aug. art. 6. Bibl. ancienne et moderne T. XXVIII. art. 3. Memoires Hist. et crit. 1721. Jun. art. 1.

Institutiones
Scepticae ab
Huetio scri-
ptae,

§. XI. Clanculum hactenus, quoad viuebat, Scepticisni semina spar-
ferat Huetius, probe gnarus, quanta nomen huius factionis inuidia sequi
soleat: quare aliud quasi agendo, vti dictum, Pyrrhonismum commenda-
uit, nunquam tamen videri voluit, ac si totam philosophiam dogmati-
cam euertere in animo habuisset: contentus ostendisse, necessarium esse,
vt ob rationis imbecillitatem et innumerias, quae in inquirenda veritate oc-
currunt, difficultates fidei potiores credantur partes esse, quam rationis.
Verum quod cautus, dum viuebat, facere omiserat, illo fatis erepto com-
paruit, edito ab amico Huetii, O L I V E T O, dissertatione eius de *Imbe-
cillitate intellectus humani*, quam vernacula quidem, in qua edita est ^{a)},
conscriptis, in Latinam vero conuersam simul reliquit. Eam diu ante
fata illustrem virum consarcinatusse, ex libri prooemio, si cum reliqua
vitae eius historia comparatur, qualem ipse enarravit, cautus lector facile
deprehendet. Fatetur enim eo in loco, amicum quandam ingenii excel-
lentissimi magnorumque meritorum, cum inimicorum inuidia et potentia
esset patria pulsus Academicam philosophandi methodum autem omnibus
praeferret, ipsi illius amorem inspirauisse. Quem fuisse Cormisium, sena-
tus Aquensis praesidem, ex iis, quae supra diximus, constat. Cum autem
has institutiones Pyrrhonias viuis suppressisset, licet illis inaedificauerit
Quæstiones Alnetanas, post mortem a laudato abbe in lucem protra-
ctæ sunt. Quae editio quantam rei insolentis admirationem in republica
erudita concitauerit, dici vix potest. Fidem fane multi suis vix oculis
habuere, legentes talia scripsisse virum in demonstranda veritate Euange-
lica geometrarum legibus obsecundantem, quae omni religioni et vsui hu-
mani intellectus euertendis essent accommodata, et latens aliquod periculum
tegerent. Nemo enim hactenus satis luculenta illa loca in *Demonstrati-
one Euangelica et Quæstionibus Alnetanis* notauerat, quibus Pyrrhonis-
mo velificari conatus erat. Sui itaque officii, et imprimis gratae, quam
Huetio ob innumera beneficia in societatem collata debebant mentis esse
iudicarunt Iesuitae, vt hanc ignominiam a manibus Huetianis depellerent,
et tantam impietatem, quantam libellus ille souere videbatur, ab illo non
prouenisse, negarent. Vehementer igitur succensuere in *Ephimeridibus
Triuoltiensibus* Oliueto, quod illustri viro, pietate et singularibus in
ecclesiam meritis conspicuo supponere hunc librum fuisse ausus. Quod
cum satis acerbe illi Iesuitae obiecissent, qui insignia impietatis specimina
in eo libro detexisse sibi videbantur, atroque carbone illum notauerant,
calumniam a se ita abbas depulit, vt ostenderet, personatum illud, quod
tractationi in msc. præfixum est, nomen, satis luculenter Huetium pro-
dere, *Dominum de la Roche* enim, Petrum innuere, *Theocritum* Danie-
lem, et *Pluignac* idem dicere, quod Graeca vult significatio Huetii:

d) Amstelod. 1723. 12.

e) 1725. Iuin.

prouo-

Hist. philos. Tom. IV.

Cccc

prouocaret autem ad auctoris *αὐτογενός*, ipsosque Iesuitas Rueum et Martinum testes, excitaret, et imprimis academiam Francicam in partes vocaret, quae Boiuinum et Monetam, viros clarissimos deputauerat, ut veritatem rei explorarent, qui manus Huetiana gnari editum libellum cum *αὐτογενός* Huetii conspirare testatum fecere. Quae omnia prolixè enarrat, totiusque rei caussam perorat OLIVETVS in *Apologia Ephemeridibus Triuoltiensibus opposita* f, quae plura desiderantibus consulenda est. Recte vero editor monuit, non abhorrere has institutiones Scepticas a scopo Huetii dudum in *Quaestionibus Alnetanis* prodito, qui fuerit, imbecillitate intellectus humani demonstrata frenum iniicere luxurianti seculo, quo athei et profani quilibet audeant, metaphysici acuminis obtentu sacra omnia euertere, ipfisque religionis Christianae mysteriis aperatum bellum indicere. Id quod agnouit FRANC. BALTVS, ipse quoque ex Societate Iesu theologus, in *Epistola ad Oliuetum* e, qui hoc Pyrrhoniae philosophiae compendium non contemnendum, nec inutile ecclesiae esse iudicat. Recte enim illi obseruatum, eum Eusebium imitatum post scriptam Demonstrationem Euangelicam, edita quoque Praeparatione Euangelica animos ita instruere voluisse, ut deuicta humana intellectus ambitione, eiectisque praeiudiciis, definant nimium sibi suoque iudicio fidere, et faciliori obsequio fidei pareant. Quam veram mentem Huetii fuisse verba eius supra adducta ex *Demonstratione Euangelica* et *Quaestionibus Alnetanis* satis comprobant. Verum an hanc rerum Christianarum vtilitatem reuera isto libello promouerit Huetius, vel mediocri attentione vsus Lector satis palpabit. Libellum enim totum legenti, vel eius modo summam passim a viris doctis enarratam b, animo comprehendenti palam erit, nihil aliud egisse Huetium, quam ut SEXTI EMPIRICI *Hypotyposes Scepticas* ordine concinno exhiberet, eaque ex philosophica historia congregaret, quae Pyrrhonum philosophandi genus commendare, et pro optimo cogitandi et sapiendi modo venditare apta sunt, ita vero humano intellectui vim rationis omnem eripiunt, ut his saluis non habeat, quibus in veritate inquirenda discernenda amplius nitatur. Huc enim omnia tendunt, quae lectionis vastissimae et eloquentiae satis nitidae viribus vsus auctor illustris attulit: Non habere humanum intellectum cognitionis certitudinem, quam et reuelatio ei deneget, et ipsa intellectus humani conditio. Incertum enim esse, valdeque dubium, vtrum vel obiectorum imagines cum ideis nostris conueniant, vel recte se habeat medium, per quod transeunt ad intellectum hominis; praesertim cum et sensus fallaces sint, et infideles nerui spiritusque animales; ipsum quoque cerebrum sua indole et constitutione incertitudinis rationes praebeat, animus autem suspectus vel ideo iudex sit, quod suam ipsam naturam ignoret. Vrget porro, ut hanc rerum omnium incertitudinem quoad cognitionem humanam euin-

f) Paris 1726. g. conf. Histoire litteraire de l'Europe 1726. Aout art. 3.
g) Continuat. des Memoires de Literature

et d'Histoire Tom. II. P. 1.
h) Vid. Bibl. ancienne et moderne T. XXVIII. p. 455. Act. Erud. Getim. P. LXXXVI. P. 77.

euincat, latere eam rerum omnium essentias, obstanteque in momenta mutabilem rerum indolem, ut, quid de iis certo statuendum sit, cognoscatur. Adeo vero inter se iudiciis, temperamentis, opinionibus differre homines, ut contrariae haud raro de vna eademque re sequantur sententiae; multo minus in causas rerum penetrare posse rationem hominis infirmam, cum et infinitae sint, et certa regula haud profet, secundum quam latens iudicari eruique veritas possit. Adeo vero has partes prosequitur Huetius, ut non dormientium tantummodo et insipientium imagines falsas et confictas euidentiae fani hominis irridendae obiciat, et Cartesium in partes vocet, statuentem, ignorare nos, annon Deus eiusmodi naturam nobis dederit, quae falli quotidie possit, sed et urget vitiosum probationis genus esse, si rationis certitudo probetur argumentis a ratione petitis, praesertim cum incertissimis inter se ratiociniis homines dissentiant, ipsorumque dogmaticorum discordia, qua suas inter se opiniones iugulant, id clarissime euincat. Longum autem sapientium omnis aetatis catalogum necit, qui reiecta omni rationis certitudine assensum cohibendum esse monuerunt, et non Academiam modo secundam et tertiam eiusque affectas huc aduocat, sed et Anacharsin, Pherecydem, Pythagoram, Empedoclem, Gorgiam Leontinum, Xenophanem, Epicharmum, Parmenidem, Xeniadem, Zenonem Eleatem, Heraclitum, Anaxagoram, Democritum, Protagoram, Socratem, Platonem, Aristotalem, Metrodorum. Anaxarchum in his partibus collocat, et academicos cum Pyrrhonis sequacibus satis amice conuenire, licet iniustum fuerit Pyrrhonorium nomen, demonstrare satagit. Nec post nati Saluatoris tempora desisse hanc, quam putat sapientiam Celsi, Fauorini, Sexti Empirici, methodicorumque et empiricorum sectae, Luciani, Vranique exemplis comprobat. Immo inter ipsos dogmaticos Porphyrium, Aristippum, Herillum Carthaginem, Menedemum Eretrensem, totamque scholam Megaricam, Monimum porro Cynicum in hanc partem inclinasse contendit: et inter exoticas nationes Magos, Brachmanas, Turcas, Effenos, Seboraeos, Maimonidem, sectamque apud Arabes Loquentium Pyrrhoniam philosophiam suo modo fuisse professos. Ex quibus omnibus colligit, dubitationem et *ἐποχὴν* solum esse verum et sufficiens remedium euitandorum errorum, solos esse Scepticos philosophorum nomine dignos, indignos autem dogmaticos, quorum temeritas infinitorum errorum mater fuerit. Vedit probe illustris auctor, Scepticae philosophiae inuidiam molestam suae scriptiori futuram esse, oblique illi posse, quod oculos homini eruat, omnemque viuendi et felicitate fruendi usum mediumque eripiat. Quod ut declinet, ad eas potissimum, latebras confugit, quibus dogmaticorum tela euitare fatagebant Pyrrhonii. Nempe fidem ait, rationis incertitudini succurrere, et certa illa facere, quae ambigua sint, et fluxa, si rationem solam audias. Sequendam autem in vitae usu verisimilitudinem rerum, descendunque ex hac arte dubitandi esse, qua ratio-

Cccc 2 ne

ne error, pertinacia, et arrogantia rationis et praejudicia efficienda, animus autem ad humilitatem obsequii fidei praestandi adducendus sit. Praestantissimum autem eius fructum in illo situm esse, ut auctoritatem nullius hominis reuereamur, ex sectis omnibus verisimiliora feligamus, nihil vero fidei contrarium admittamus, sed eclecticos imitemur, viros magnos et celeberrimos, adeoque nec Academicam, nec Scepticam, nec eclecticam sectam teneamus, sed propriam nobis feligamus, fiamusque *ἰδογνώμονες*. Non tam ignarus rerum in ciuitate philosophica gestarum censendus est Huetius, vt non praeuiderit, obiectorum esse lectorum, ita omnem vitae statum, naturaeque ordinem, omne agendi principium euerti. Hanc itaque inuidiam vt declinet, obiectionibus quoque dogmaticorum satisfacere fatagit. Neque tamen alia afferit, quam quae dudum Sextus Empiricus et Sceptici alii attulere: nempe, quamuis scientia nulla detur, vivere tamen Scepticos non vt philosophos, sed vt homines reliquos, adeoque more astronomorum ex hypothesi agere, contentos ita finem vitae actionumque humanarum assequi. Non eruere hanc philosophiam oculos, sed eorum tantum lippitudinem manifestam facere et arrogantiam hominis detegere, quae scire omnia, de omnibus iudicare, arbitriumque inter litigantium partes interponere audeat. Falsum autem esse, quod ex admissa probabilitate concludi possit, dari veritatis *ὑπότητας*, cum ea non sit certitudo sed apparentia externa, quae falsa interdum esse possit, inepaque misceri certitudinem cum verosimili, et quod errori obnoxium haud est, cum eo, quod fallere potest. Quamuis autem nihil comprehendi posse dicant Sceptici, hoc tamen eos comprehendere, quod incerta et incomprehensibilia sint omnia, neque tamen id affirmando, sed dubitando. Deum autem, licet intellectus fallax sit, sufficiens dedisse remedium, ne decipiamur, nempe fidem, adeoque accusari non posse, quod ad errores hominem condiderit. Huic fidei si ratio submittatur salua esse omnia, diuino enim lumine collustrari animum, vt, quid faciendum sit, quid omitendum intelligatur, et eo quoque duce summam primamque illam veritatem certo cognosci: esse Deum. Et haec quidem noua illa Sceptica philosophia est, quam dudum sepultam resuscitare ausus est Huetius vir summus. Qui si id partis studium, quod iugulat Pyrrhonis philosophia, deposuisset, si inter principia, quae vocant, formalia et materialia discrimen accuratius posuisset, si contentus fuisset, immoderatae humani animi ambitioni et iactantiae modum posuisse, si Sextum examinare fine praeconcepta opinione quam describere maluisset, si a petitionibus principii abstinuisset, si ineptum studium auctoritatem ecclesiae in tribunali rationis veritatem diiudicantis collocandi abiecisset, si ad verum quaestionis statum accuratius attendisset, si philosophorum veterum, quos inter Scepticismi patronos numerat, opiniones melius distinxisset, dignior sane illustri auctoris sui fama liber in vulgus exiisset, nec nocuisset causiae illi, propter quam tantos labores suscepit, quam nihil magis optare,

optare, nisi ut rationis iudicium effugiat, ista scriptione satis prodidit. Verum haec aliis expendenda relinquimus: adireque eos iubemus, qui libri censuram instituerunt.

§. XII. Ex hac, quam *as ἐν συνόψει* dedimus Huetii historia, imago eius facili negotio potest depingi. Magnum enim inter suae aetatis eruditos virum fuisse, et haud exiguum orbis literati ornamentum, ignauus sit vel inuidus, qui temere negauerit. Inerant illi eae animi dotes, eoque fruebatur naturae fauore, sine quibus mediis ad gloriae culmina in ciuitate erudita graffari haud licet. Maxime vero illi, quam a natura praestansissimam acceperat, indoli summam iunxit diligentiam, laborisque improbi patientiam prorsus inexpugnabilem, eamque studiorum contentionem, ut nec inter edendum, nec inter quiescendum a studiis sibi temperaret. Cumque facultatibus afflueret, et nativitatis praerogativa facile summis vbiique viris commendaretur, non potuit industriae eius amplissima deesse materies, suppeditatis iis auxiliis, quibus immensa lectionis copia parari solet. Ita enim et splendido bibliothecae apparatu fruebatur, et ad viorum eruditione summorum colloquia facile admittebatur, qua pacto eruditio illi vasta et insolita enata est. Maxime vero ingenium nactus erat supra modum elegans, foecundum, viuum, et vi quadam imaginationis concinna suffultum: Ex qua penu et eloquentiam illam, et felicem facilisque poeticae facultatis usum, et artem quandam insolita et parum verisimilia comendi ornandique depromxit. Nec memoriae defuit fidelitas, ea largissime suggerens, quae ex multorum annorum lectione infinita in commentarios retulerat. Quibus cum accederet longus vitae ad summam senectutem vigentis usus, et exercitatio, mirum non est, illum inter summos viros et praeclera aetatis suae lumina excelluisse. Verum quas affluentissimas possidebat, eruditionis diuinitatem parem iudicandi aciem non adfuisse merito dolendum est. Cum enim natura ingenio, quam iudicio polleret, vastissima illa, in qua se ingurgitauit lectio naturalem animi acrimoniam suffocauit: quibus cum accederent praeiudicia nonnulla, ex vitae circumstantiis oriunda, quae obstiterunt, quo minus perspicacibus oculis vteretur, vis illa mentis, qua verum a falso distinguitur, eminere in eo non potuit. Cuius si non aliud extaret testimonium, sola ista, quam exposuimus Scepticismi commendatio exemplo esse potest luculentissimo. Sed in aliis quoque eius scriptionibus, praecipue in *Quaestionibus Alnetanis*, quin in ipso praeclaro ceteroquin *Demonstrationis Euangelicae* opere iudicandi aciem desiderari dudum viris doctis obseruatum est, et vel sola inepta hypothesis, quoscunque cana antiquitas in coelum extulit viros summos ad Hebraeorum sapientes reuocandi satis superque comprobavit. Aut vehementer autem fallimur, aut ratiocinandi artem, quam in Jesuitarum scholis Aristotelico-Scholaisticam didicerat, exacte non tenuit Huetius, quam si recte consuluisse, facile vidisset, fidei, vel quam eo

Character
animi Huetii.

nomine callide tegit, auctoritati ecclesiae locum esse non posse, eiurato veritatis criterio, nisi coeci duci magis velut bruta animalia, quam videntes incedere, velut homines velimus. Ceteras vero animi virtutes virum magnum egregie ornauisse omnino fatendum est. In aulae enim luxu et viuae commoditatibus admodum affluentibus sobrie vixit, theae potu mirifice, ut ipse scribit: viribus recreatus, vnde licet variis morbis tentaretur, nonagesimum tamen annum viuendo superauit. Solas autem vitae delicias ex literarum studiis et conuersatione virorum eruditorum captavit, quibus, licet religionis professione dissidentirent, humanum se, comedere et inferuendi cupidum praebuit. Pietatem autem eius generis coluit, quam in philosopho raro offendens. Maxime eam ob cauflam Societati Iesu ad dictissimum semper seruauit animum, quod studium in nonnullas vitae eius circumstantias, maxime in odium, quo Cartesianos persecutus est, influxum habuit. Nec defuerunt, qui inde colligerent, plus in ea re voluntatem quam iudicium valuisse, de quo tamen, cum arcana mentis sensa hominibus non pateant, non iudicamus. Illud autem sine temeritatis nota pronuntiamus, omnem eum, quem pro Christianae religionis auctoritate atque veritate suscepit laborem, maiorem iudicii aciem, et minorem lectionis atque eruditionis abundantiam requisiuisse, quam adhibuit. Quae, saluis cetera viri summi meritis, quae ex aequo depraedicamus, euincunt, inter primae notae philosophos Huetium non esse reponendum; licet boni quilibet facile conesserint, inter viros doctos seculi XVII locum satis amplum eius praestantissimam eruditionem meruisse, dignumque esse, cuius memoria cum laude conseruetur in republica literaria.

P. Bayle.

§. XIII. Non minori eruditionis, veteris pariter atque recentioris apparatus, maiori autem iudicij vi et acrimonia ad cauflam Scepticismi iuandam animum applicuit PETRVS BAYLE, inter maxima nostri temporis ornamenta ex merito numeratus. Cuius toties iam a nobis facta mentio, toties in partes ille vocatus, in philosophiae recentioris annalibus autem tam illustre eius nomen et celebris fama est, ut ideo indictus a nobis non praetermittendus sit. Ita vero pro retinendo assensu cuncta difficultatibus dubiisque repleuit, ut inter fortissimos, qui pro Pyrrhonismo steterunt, bellatores nostra aetate relatus sit, vnde omnino locum in hac theatri philosophici scena postulat. Cuius vitae historiam, et laborum literariorum fata omnium optime ex *Epistolis* eius discimus, quamvis in eristicis quoque, quos aduersariis opposuit, libellis, nonnulla occurrant, quae lucem rebus eius noscendis afferre possunt, praesertim in illa scriptiuncula, quam *Cabbalae chimericae* titulo Iuriei aggressionibus oppofuit. Defunctum autem nonnulli viri docti laudarunt, et moderate quidem id fecit SAMUEL HENRICVS BASNAGIVS, in cuius *Historia Aetorum eruditorum*^{k)} elogium Baylii legitur, quod iterata editione

Colle-

i) p. 126. vbi extat elegans elegia in hoc portionis genus.

k) Hist. des Ouvrages des Savans 1706. pag. 545 seqq.

Collectioni Epistolarum Baylianarum praemisit PROSPER MARCANDIVS. Tacemus biographiam eius *Memoriis Triuoltiensibus*¹⁾ a Iesuitis insertam, aliamque praefixam Anglicae versioni Cogitationum eius de cometis. Vitae quoque Bayianaenarrationem *Dictionario* eius apud Geneuenses edito, praemisit anno MDCCXV, abbas REVESTIVS, emendatam et *Obseruationibus auctam*^{m)} cel. MONETA, vnde ad hunc potissimum auctorem a nonnullis perperam relata est. Quam cum nec plenam satis nec accuratam esse iudicarent viri docti, eam castigandam summis anonymous quidam, quem IO. MASSONVM esse nonnulli volunt, a quo edita, *Historia P. Baylii et scriptorum eius, accurate recognita et additionibus atque correctionibus aucta, qua nonnulla singularia et avendora ex scriptis eius et vita Anglice vulgata afferuntur*ⁿ⁾, qui tamen labor ob acerbum scribendi genus et contumelias in viros doctos iactas merito plerisque displicuit, qui reprehenderunt, a nonnullis diiudicandis eum abstinuisse, quae tamen iudicium postulabant, nonnulla falso et perperam attulisse, in quibusdam ad molestas digressiones diuerstisse. Et tamen cum meliora non suppeterent, haec quoque animaduersiones *Supplemento Dictionarii Baylianii* a Geneuensibus anno MDCCXXII adiectae sunt^{o)}. Inferuit quoque *Ephimeridibus eruditis*^{p)} quae apud Parisienses prodeunt, auctiores autem apud Batauos recusae eduntur, cl. H. P. LIMIERIVS *Specimen bibliothecae miscellaneae, Latino sermone edendae*^{q)}, quod vitam Baylii exhibit. Et ex his quoque fontibus sua hausit, qui inter *Memorias ad illustrationem historiae literariae scriptorum celeberrimorum in republica literaria facientes* Baylianam quoque vitam enarravit NICERONIVS^{r)}. Nihil tamen perfectum et accuratum cum in his omnibus de vita viri summi reperiatur, meliora et pleniora dare constituit CL. DES MAIZEAVX. Is viuum Baylium nouerat, et amicitiae vinculo illi iunctus multa sciebat, quae alios fugiebant. Ut igitur de amico fatis sibi erepto pulchre mereret, nec tanti viri memoriam intercidere pateretur, ad plenam Bayianaenitiam historiam enarrandam animum adiecit. In quo consilio confirmauit eum illustrissimus Shaftsburyus, qui similem ab eo laborem poposcerat. Quem tamen priusquam aggredieretur, a Basnagio multa accepit singularia Baylii historiam concernentia; sive materiam scribendi satis amplam nactus est, qua tamen non contentus, amicos Baylii adiit, et imprimis, quem is haeredem scriperat, Bruguierum, qui ex chartis Baylii sibi relictis ea congeslit, quae ad noscenda viri celeberrimi fata facere aliquid poterant: Ea suis annotationibus auxere atque illustrauere Maraefius, aliique viri docti,

1) Memoires pour l'Histoire des sciences 1707.
Avr. art. 47. p. 693.

m) Londini 1708. Ex ea potiora repertum Acta Erudit. 1711. p. 103.

n) Exakte revue de l'Histoire de Mr. Bayle et de ses ouvrages, contenant des additions et des corrections, avec diverses particularitez ou attec-

dotes ou tirées de ses écrits et de sa vie publiée en Anglois.

o) Journal des Savans 1715. Mai art. 10.

p) 1718. Juil. art. 16.

q) Essais d'une Bibliothèque mêlée en Latin, que l'on se propose de donner au public sous ce titre: Specimen Bibliothecae miscellaneae. r) T. VI.

docti, quibus cum Baylio viuo familiaritas intercesserat, vel qui commercium literarium cum eo aluerant. Quae omnia cum scriptis et epistolis Baylianis collata et cum rerum suorum indice, quem ipse Baylius construxerat, et a patria *Calendarium Carlanum*^{s)} inscriperat, comparata in ordinem redegit, et ex hac amplissima rerum ad historiam magni viri pertinentium sylva egregios commentarios conscripsit, in quibus vitam, fata, mores, scripta, controvrsias Baylii accurate exposuit, nihilque eorum omisit, quae ad noscendum virum celeberrimum facere poterant^{t)}. In quo viri doctissimi labore cum nec accuratio desideranda fit, nec eruditio, cuncta autem eleganter pleneque enarrauerit, hunc nos quoque ducem sequemur, eaque ex amplissima et prolixa Bayiana vita historia excerpemus, quae ad scopum nostrum faciunt: ita tamen, vt ad epistolas^{u)} et scripta magni viri subinde respiciamus, quibus scilicet omnium tutissime fides adhiberi potest, et ea quoque adiiciamus, quae passim viri docti obseruauerunt; idque agamus potissimum, vt ad iudicium ferendum instruantur Lector, et utilitate sua huic quoque philosophi vitae se commendet enarratio.

Vita Baylii.

§. XIV. Natus est PETRVS BAYLE Cariae, quod castellum est comitatus Fuxiensis, Apamensibus et Riuiensibus vicinum, IV Id. Nou. anno salutis restitutae MDCXLVII, parente Ioanne Bayle, reformatae, quae ibi colligebatur, ecclesiae ministro, honestissima familia oriundo^{v)}: Puer indolem praecocem eamque egregiam prodidit, cui nec ingenii subtilitas, nec imaginationis foecundae vigor, nec memoria fida deesset, quibus cum accessisset a pueritia insatiabilis discendi ardor sciendi que cupiditas, in agro natura fertili facile erat sparsis scientiarum seminibus largissimam messem polliceri. Parens ergo, quem filium hunc suum istis naturae muneribus ornatum videret, nihil eorum omisit, quae ad formandum literisque optimis imbuendum pueri animum facere posse nouerat. Ipse vero elementa Graecae et Latinae linguae, et humanitatis disciplinarum illi usque ad annum MDCLXVI tradidit; cumque paulo firmiores in hoc studio gressus facere posset, ad academica studia alegauit. Ibi non pessimo seculi nostri more ignauiae, luxui voluptatibus se tradidit adolescens optimus, sed cum insatiabili scientiarum addiscendarum desiderio flagraret, vt hunc ardorem restinguqueret, disciplinas exhaustire omnes constituit, et quo plus didicit, eo vehementius scire plura et perspicere penitus cupiit. Qua nimia studiorum contentionе factum est, cum dies noctesque libris impallesceret, vt graui morbo corriperetur, congereturque vacantibus cathedris scholaisticis ad patrios lares reuerti, et per fesquiannum corpus exhaustum nimioque labore debilitatum reficere.

Quam-

s) Perperam inter scripta de Charletaneria retulit Cel. MENCKENIVS in lepida Oratione de isto eruditorum vitio. Nomen enim habet a Carla, parria Baylii.

t) Amstelod. 1730. 12. et in limine Diction-

narii editionis Amstelod. 1730. qua nos utimur.

u) Adhibemus autem editionem MARCHANDI Rotterodami 1714, vulgatam, quam praefensem habemus.

x) Lettr. XXXI. p. 146.

Quamvis autem cum sanitate in gratiam rediisset, et ad salubriorem locum missus aëris mutandi causa a studiorum intemperie auocaretur, ignea tamen vis animi cohiberi non potuit, vt non pristinum laborem resumeret, et maiori contentione, quam ferre poterat imbecille et attenuatum corpusculum ad literarum gloriam curreret, quo pacto malum recruduit et atrox febris secuta est. Neque tamen extingui ista infirmitate inexplebile descendit studium potuit: quamprimum enim vires restitutas esse sensit iuuenis Baylius, ad consuetas literas reuersus lectione librorum omnis generis, ne eristicis quidem exceptis, se ingurgitauit. Maxime autem inter veteres Plutarchus, inter recentiores Michaël Montanus nostrum mirifice delestarunt, cum et iucunda lectionis varietas eius ingenium pauceret, et vterque sobrie et moderate philosophari videretur. Nec magnopere aberrabimus a vero, si affirmauerimus, lectione vtriusque scriptoris primos Scepticis igniculos et semina quaedam hausisse Baylium, cum et Plutarchus haud raro academicis faueat, vt suo locum probatum, et Montano Pyrrhonia libertas et modestia vbiique sit commendatissima. Videruntque dudum viri docti, disciplinam Montani ad hunc Scepticismi amorem, quem fouit Baylius, aliquid contulisse. Sane Renaudotius abbas, cum de Dictionario Bayliano sententiam diceret, Montani licentiam Pyrrhoniam, et temeritatem quandam etiam certissima in dubium vocandi in eo libro vtramque paginam facere, censuit. Quod tantum abest, vt inficias iuerit Baylius, cum isti censurae suas cogitationes opponeret, vt potius ab Montano exemplum impunitatis peteret, ea statuendi, quae in conspectu et cum approbatione aulae et Sorbonae iste ausus esset. Quae molimina Montani Scepticismo frigidam suffudisse, non ignorabat Baylius, qui alio loco inter apertos Pyrrhonismi patronos Montanum numerat. Iudicii vero viribus paulo maturior, cum aetatis annum vigesimum primum attigisset, arti ratiocinandi discenda se tradidit, quod tam sero se fecisse postea deplorauit. Cum autem nimis angusta illa schola esset, in qua literarum tyrocinia haec tenus posuerat, quam vt vastum, quod alebat, ingenium capere nutrireque posset, ad Tolosanos abiit, inque ista academia apud Iesuitas philosophiae praecincta discere coepit, animum autem attulit, cum innumeris, quae ex lectione scriptorum eristicorum collegerat, dubiis, obiectionibus, et responsionibus plenum, tum ad incertitudinem et fluctuationem inter ambiguam rationum fidem sponte inclinantem. Qui cum annorum iuuenilium, nondum ad maturitatem iudicii pertingentium, levitate in diuersas partes agitaretur, callide hac incertitudine vpus est sacerdos quidam Romano coetui addictus, qui in vno cum eo contubernio viuebat, ad demonstrandum, in tantis rationum ambiguarum fluctibus cum, vbi pedem figat, non habeat intellectus, audiendam esse ecclesiae

vocem,

y) Lettr. I. pag. 5. Neque tamen in Dictionario de Montano articulum habet, licet ad eum prouocet in illustrationibus pag. m. 616.

Hist. Philos. Tom. IV.

D d d d

vocem, et iudicem quandam querendum, cuius sententia inniti queat animus. Quae retia cum vitare non nosset iuuenis animus, insidiarum istiusmodi insciens nec satis prouidus, in casses eas incidit, et ad Romanae ecclesiae fidem publica professione recipiendam magno fuorum dolore et consternatione adductus est ^a. Qua in re praecepit anter egiſſe Baylium, omnino iudicandum est, etiam vbi a sectae partisque studio abstinemus, si vera sunt, quae narrat eius biographus: Iuuenem infinita animo complexum plurimorum diuersorumque librorum lectione se inebriasse antequam artis rationalis preecepta didicisset. Ita enim neceſſarium erat obrui intellectum nondum exercitatum, et ad expendenda rationum momenta non satis idoneum, vt cum exitum labyrinthi, et solutionem difficultatum non videret; ipsis perſuasionibus vincisse, et extricari quasi ex iſta incertitudine at nouis illaqueari retibus pateretur. Ita vero ad sacra Romanenſium traductus Baylius cum ab episcopo Riuiensi ad faciendoſ studiorum sumptus necessaria accepisset, magna gloria publica disputatione ingenii alacritatem demonstrauit, magnamque spem excitauit, fore, vt hoc duce alii quoque ad gremium matris reuerterentur. Certe et fratrem et neceſſarios alios ad easdem partes amplectendas perducere studioſe eo tempore conatus est. Alium tamen euentum res habuit. Fratris enim viri docti et acuti, qui ministerio ecclesiastico quoque inter reformatos fungebatur, colloquiis ad resipicendum adductus et amici cuiusdam demonstrationibus luculentis conuictus est, vt fateretur, praecepit anter se egiſſe, nec rationibus satis munitum hoc confilium fuscepisse. Maxime vero inter dogmata Romanae ecclesiae propria, tot tantosque nodos deprehendebat ^b, vel Gordio enſe infecabiles, vt veritatem in hoc coetu vnicam esse credere amplius haud posset. Redire itaque ad Protestantium coetus relictis caſtris Pontificis statuit ^b. Quod tamen cum capitale effet in Gallia, clanculum factum, reliqua Tolosa anno MDCLXX ad Geneuenſes amicos translatus est. Ibi cum Cartesiana eo tempore philosophia caput extollere coepisset, Baylius, qui in ſcholis Iefuitarum Aristotelico-Scholaſticam sapientiam didicerat, excitatus est, vt quo erat animi ſublimis et acutissimi robore, ad comparandum inter ſe vtrumque philosophiae genus iudiciumque interponendum ſuum animum transferret. Id quod tanta accuratione et iudicii, quo pollebat, acumine fecit, vt Scholaſticæ philosophiae spinas tricasque pertaesum eam totam abiiceret et Cartesium ſequi conſtitueret. Id vero magna ingenii vi et felicitate ab eo tempore preeftit, et Cartesiana philosophiae mysteria accurate didicit: Ita vero indolem egregiam et animum literis pulcherrime cultum demonstrauit, vt dignum

^a) Prolixè haec narrat DES MAIZEAUX p. 17. 18.

^a) Transubſtantiationis dogma et cultum imaginum ſe concoquere non potuiffe ipſe narrat, Cabbal. Chimaericæ Demonſtratae p. 139. quanto autem acumine dictum dogma oppugnauerit, ex Diſ. art. Pyrrhon, pater.

^b) Falso itaque eſt, quod a nonnemine relatum Ven. REIMMANN. Hist. atheifimi Sect. III. cap. 5. pag. 426. triennium integrum apud Iefuitas Tolofanos Baylium Pontificis ſacrū diuītum vixiſſe.

dignum iudicaret Normandius, ciuitatis Geneuensis Syndicus, quem libe-
rorum institutioni praeferceret. Cui labori ita inuigilauit Baylius, vt fidem
quidem et dexteritatem egregie probaret, nihil vero eorum omitteret,
quae ad perficiendum ingenium, doctrinaeque copiam augendam quoquis
modo facere possent. Quo scopo a virorum celeberrimorum Picteti,
Turretini, Minutoli aliorumque, qui in academia Geneuensi magna cum
laude docebant ore peperdit. Atque sic factum est, vt spectatissima vbi-
que esset et commendatissima Bayiana eruditio. Quae cum comiti Doh-
nenfi innotuisset, cuius praedia nonnulla Geneuae vicina erant, commo-
tus ille est, vt filiorum literis imbuendorum curam illi traderet. Quan-
quam autem Geneuensem Musarum fedem relinquere cogebatur, amico-
rum tamen desiderium, commercio literario cum iis instituto leniebat, et
frequentes imprimitis ad Minutolum et Constantium literas mittebat. Ex
quibus satis luculenter patet, Baylum, licet Cartesianam factionem sequi
videretur, multo tamen magis iam tum ad Pyrrhoniorum partes incli-
nasse. In epistola enim Copeto anno MDCLXXIII ad Minutolum Ge-
neuam scripta ^{c)} valde Scepticorum causam extollit, Dogmaticorum de-
primit, et multa ex illorum parte electa commoda oriri statuit, qua vero rati-
one facile vinci isto disputandi genere Dogmatici possint, explicit; sibi
autem potissimum Horatium commendatissimum esse dicit, qui cum
omnium sectarum exploratorem egisset, in nulla secta certus haesit. Bi-
ennium hoc pacto transegit, solitudinis autem pertaesus et conuersatio-
nis literariae appetens anno MDCLXXIV istam prouinciam deseruit, et
ad Rothomagenses abiit, vbi amici de necessariis illi apud mercatorem
quendam prospexerant, cuius filium informandum literis accepit, nec
tamen ob rusticationes frequentes, studiis inimicas diu eo in loco mansit,
Lutetiae vero visenda magna cupiditate firagrauit. Illuc amicorum in-
tercessione, qua fratum Beringorum ^{d)} studiis moderandis praefectus
est, anno MDCLXXV delatus, fauentissimam occasionem nactus est,
ea animo literis insatiabili desiderio inhianti alimenta praebendi, quibus
ad virilem quandam maturitatem assurgere, et excellentissimam doctri-
nam consequi posset. Nam et virorum eruditionis praestantia celeberrimi-
orum colloquiis ac consuetudine, et bibliothecarum publicarum priua-
tarumque apparatu et commercio literario cum maximae eruditionis viris
instituto innumeritas literarum diuinitas corrasit; amicis autem illis vsus est,
quas et fides commendaret, et spectata carissimos redderet rerum diuina-
rum humanarumque cognitio. Inter quos amicitiae pignore cum Baylio
prae aliis certauit Samuel Henricus Basnagius, a quo Iurieo, Sedanensi
theologo commendatus est, viro docto multaeque lectionis, sed ambitione
paulo elatiori, eosque pati nescio, quos impetus retardare suos vel offi-
cere consiliis et auctoritati suaे nouerat *. Per hunc enim sperabat Bas-
D d d 2 nagius

c) Lettr. I. d) Fratrem illi habebant senatorem curiae regiae Parisiensis.
* Vid. DES MAIZZAVX p. 22.

nagius Baylium ad cathedram philosophicam, quae anno MDCLXXVI in ista academia vacabat, promotum iri, cum illi potissimum Spartae ornanda abunde sufficeret. Non abnuit Iurieus, cui candidati reliqui displicebant. Paruit amici consiliis Baylius, licet timidus, eo quod editum regis contra eos, qui ad Romanam ecclesiam digressi eam iterum reliquissent, quosque relapsos vocant^e, curam iniiceret, metuenti ne diognosceretur. Venit itaque Sedanum, et ita utriusque, quae tunc in diuersum sententiam discesserat parti se commendauit, publica disputatione autem tam luculentum excellentissimae doctrinae specimen edidit, ut disiectis eorum qui in contrarium nitebantur, technis professoris philosophiae munus ei plaudente academia Sedanensi conferretur, et ipse Iurieus valde eum amaret, viri autem docti, quos illae Athenae nutriebant, certatim eius amicitiam ambirent. Inter quos singularibus amoris et benevolentiae testimonii nostrum sibi coniunctissimum habuit Iacobus Rondellus, eloquentiae professor Sedanensis, qui post disiectam regis auctoritate academiam ad Batauos abiit, et elegantiores literas Traiecti ad Mosam publico stipendio docuit, vir veteris doctrinae peritissimus, et rerum quoque nostra aetate in orbe literato gestarum callentissimus^f, quem suo loco ob vitam Epicuri descriptam, et elegantem de choenice Pythagorae dissertationem aliaque, quae edidit scripta commendauimus. Qui cum Graece esset doctissimus et vetera folia accurate euoluisset, multoties Baylio instar oraculi fuit, quod in locis veterum difficilibus et obscuris confuleret, suisque cogitationibus exoptatissimam haud raro lucem inferret. Vbi vero cathedram, munus nouum auspicatus, occupauisset, philosophiae systema intra biennium suorum auditorum vibus destinatum conscripsit, et rogante quoque Ancillonio, qui Metensis ecclesiae tum ministerio fungebatur, PETRI POIRETI *Cogitationes rationales de Deo, anima et malo* examinavit, et obiectiones atque dubia sua illo mediante ad Poiretum misit, qui ad ea respondit, et nouae editioni libri sui ipsam hanc controuersiam inferuit. Qua occasione longa inde lis Baylio cum Poireto enata est, quae ad finem properante pugnantium vita valde acerba easit. Et initio quidem, cum anno MDCLXXIX nouam *Cogitationum rationalium* editionem curaret Poiretus, tum Cartesianus adhuc, intra modestiae et humanitatis limites controuersia substiuit. Quamuis enim editioni huic Poiretus obiectiones Baylianis cum censura et responsionibus suis adiecisset, laudauit^f tamen in aduersario *legentis iudicium, obseruantis anglorum, impugnantis viuacitatem, benevolentissimique animi blandam erga se propensionem; ingenii quoque penetrationem, quam vocat, et soliditatem agnoscit.* Cum autem iterata editione anno MDCCXV Cogitationes istas Poiretus vulgaret, tum dimisso Cartesianismo totus factus mysticus et theosophicus, tam acerbe famam Baylianam

e) Vid. Histor. editi Nannensis Tom. III.
p. 428. 520. 582. et passim.

f) Conf. Lettr. CLVIII. p. 611.
f) In Epist. ad Ancilonium p. 734. edit. vlt.

nam proscidit, vt *Dissertationem praemitteret nouam*, in qua *de simulo*
Petri Baylii contra Spinozae atheismum certamine egit, et in album
 impiorum Baylium referre nullus dubitauit. Licet autem detestabili im-
 pietate ad arrodendam ista ignominiae nota famam Baylii, se commotum
 esse dicat, prodidit tamen aliam longe caussam animum suum, qui antea
 Baylianis contradictiones aequa patienterque ferebat, contra illum ex-
 sperasse, indigne in ista dissertatione ferens, quod Baylius, ceteros, praes-
 ter se, omnes, qui Spinozam oppugnauerant, (inter quos haud postremum
 locum sibi Poiretus vindicabat) debiles aduersarios appellasset.
 Caussa autem arcana in eo latebat: descriperat Baylius in *Dictionario* suo
 vitam fanaticae virginis Burignoniae, eamque allatis nonnullis rumusculis
 ita depinxerat, vt parum conuenire ista imago characteri, quem effingere
 cupierat, iudicaretur, et in contemptum eam adducere videretur. Ast ad Bur-
 ignoniae partes deserto munere ecclesiastico et castris Cartesianorum transfe-
 rat Poiretus, et theosophiam foeminae cum ratione infantis velut diuinæ
 sapientiae mysteria vbique commendauerat, vt infra in eius vita dicemus.
 Suas itaque partes a Baylio arrodi credens Poiretus, et hoc sibi per aliud
 latus intentari telum suspicans, cum aegerrime ferret, inter infantes
 mulieres, Burignoniam a Baylio numerari, odio vehementer in eum ac-
 census est. Quod haud parum auxit, cum suspicacius forte, quam re vera
 fuit, coniiceret, ad excitandam magistratum feueritatem in Burignoniae
 factionem, ista Baylium scripsisse. Accedebat autem his, quod in alio
Dictionarii & loco responsiones et apologiam Poireti amaro sale Baylius
 conspersisset. Ita vero in rabiem actus theosophus, et istis locis Baylii
 non sine dicacitate respondit, et propudiosa atheismi macula infamem
 Baylium declarauit, satisque prodidit, quae eum caussa ita armauerit, vt
 in ea satyra *falsa, calumniosa, infideliter truncata, maligne, scurri-
 liter, ludicre expressa* eo dictionis genere obiiceret^b, quod in mystico
 philosopho et theologo theosophico nemo aequus facile tolerauerit. Ve-
 rum ea post illa tempora, Baylio inter Batauos versante, acta sunt, et
 in tantam animorum disiunctionem enata res est: tum autem, cum Sedani
 philosophiam doceret Baylius, ab ista quidem parte tranquilla fuere
 omnia, et controversia ista amica extitit. Disputauit quoque paulo post
 anno MDCLXXX, contra Valesium, societatis Iesu theologum^c, usus-
 que Cartesiano axiomate: extensionem naturam effentiamque corporis
 absoluere, transubstantiationis dogma acutissimis ratiociniis oppugnauit;
 de qua eius controversia infra plura dicendi aptior nobis erit occasio.
 Cum autem anno MDCLXXXI insolite magnitudinis cometa inter-
 sidera apparuerit, et diuersis ille hominum iudiciis agitaretur, suam quo-
 que sententiam dixit, et *Cogitationes de Cometis* multa eruditione refer-
 tas anonymous conscripsit, eo quod speraret, priuilegio regio munita Lu-
 D d d 3 tetiae

^{a)} Art. Roi not. C.^{b)} Conf. Vol. II. libri de Eruditione tripli.^{c)} p. 574. Edit. rec. Bibl. myst. pag. 247. 312.^{d)} Viuebat ille tum in collegio Cadomensi.

tetiae prodituras esse, si a Romanae ecclesiae ciue conscriptae viderentur. Et hac quidem ratione muneric dignitatem tueri, et philosophiae suis prodesse laboribus, inter Gallos Baylius gnauiter perrexit.

Vita Baylii §. XV. Hunc vero in modum de philosophia optime merentem graviter Belgas, uis illa procella obruit, quae res reformatae ecclesiae in Gallia prorsus prostravit. Rex enim omni illius professionis fidei exercitium in regno suo sublaturus, scholas primo omnes reformatorum soluere decreuerat. Ita professorio, quo haec tenus gauisus erat Baylius munere euerfo, res quoque eius attritae sunt^k. Factum tamen, cum in contubernio suo Sedani iuuuenem aluisset Batauum, quem philosophiae praceptis imbuerat, vt is praceptorum de se optime merentem sibique carissimum, Roterodamensis reipublicae consiliario, quem pensionarium vocant, Paetfio, quibus posset, verbis traderet, et cum in literis, tum domum reuersus, coram ita eum commendaret, vt maxima inde Baylianae doctrinae enasceretur existimatio, isque esse iudicaretur, cuius eruditione gymnasium Roterodamense egregie ornari iuuarique posset. Illo itaque viro consultissimo reipublicae proceribus suadente noua historiarum atque philosophiae professio cum stipendio honesto excitata est, cui Baylius praefici posset. Inuitatusque ad eam Spartam obeundam eo laetior Baylius obtemperauit, quo exoptatior illi locus videbatur, libertate philosophandi, quam mire deperibat, gaudendi. Igitur omisso itinere Anglo, quod meditabatur, in Belgium foederatum abiit, eumque paulo post Iurieus secutus est, quem theologiae professorem eruditio haud vulgaris acceptum fecerat. His igitur exilibus Gallis scholam istam nouam et illustrem sua doctrina ornandam et amplificandam Roterodamensis reipublicae curatores tradiderunt. Ibi primum rarae vastaeque eruditionis specimen edidit, vulgatis *Cogitationibus de Cometis*, quibus priuilegium regium Lutetiae obtinere non potuerat. Lectionis multiplicis variaque literarum cognitione refertae copiam in eo argumento tractando demonstrauit Baylius. Qui tametsi dissertatione epistolari tantum, ephimeridibus publicis^l inferenda ostendere suscepisset, si malo omni cometae appareant, quae vulgata est opinio, sequi inde fecisse Deum miracula, vt superstitionem confirmaret; tanta tamen rerum copia scribenti se obtulit, vt iustae molis librum tractatio referret. Quam licet laruato nomine conscriptam simulasset, offendit tamen argumentum et cogitationum libertas censores Parisienses, vt editio impediretur, remittereturque liber auctori, qui ad Belgas delatus, ob eam ipsam caussam librum edidit *civōvūm*. Ex insco tamen, quod Baylii manum referebat, breui apparuit, eum harum cogitationum auctorem esse^m, qui fons illi postea multarum molestiarum fuit. Quamuis enim praestantissimam illa scriptio eruditionem spiraret, accensus tamen illius gloria Iuriei animus odio

k) Lettr. XXXI. pag. 142.

l) Lettr. XXXII. p. 148. LXXIV. p. 260. Gau-debat autem Stipendio 500. florenorum.

m) Mercure galant.

n) Vid. Lettr. XXXII. pag. 149. XXXVII. pag. 158.

odio et inuidia est, vnde amara contentionum et calamitatum scaturigo Baylio postea enata est. Auxit quoque isto tempore hanc de ingenio eius et natura excellentissimo, et literis supra modum culto atque eleganti opinionem, edita *Disquisitione critica in Historiam Caluinismi*^o, quam magno conatu parturierat Maimburgius Ex-lesuita. Qui cum dolosis artibus satis callide res Reformatae ecclesiae euertere, et calumniis onerare eas partes velle videretur, ad vindicandam eius famam duarum hebdomadum spatio hanc disquisitionem generalem Baylius conscripsit, vtque erat literis apprime versatus, et acumine iudicii atque ingenii festiuitate ornatus, tanto lepore, et tractationis iucunditate, eaque subtilitate ratiociniis generalibus tantum Maimburgii copias euertit, vt in fugam primo ex congreffu hostis daretur, magna laus vero Baylium sequeretur, immo ipse Condaeus princeps eius libelli lectio delectaretur^p: narraretque *MENAGIVS*^q, adeo egregium istum librum visum esse Maimburgio, vt laudare eum coactus sit; ipse doctissimus vir autem elegantiam ingenii et viuum iudicandi scribendique genus commendaret. Nec maior forte iniunctis Baylii ratiociniis laus enasci potuit, quam quod tantum irarum inde enatum esset aduersario, vt cum rationibus refutare non posset, non qui esceret, donec regis edicto et flammis vtricibus prohiberetur^r. Nec hic furor libri plausum, apud aequos lectores ipsamque ciuitatem literariam impediuit, quae tanta auiditate et legit et coemittit, vt eodem anno auctam emendatamque editionem iterum vulgare auctor cogeretur. Cuius tamen, quod mireris diu verum nomen latuit, vnde factum, vt diuersis viris doctis liber ille tribueretur. Elegantia tamen, et perspicuitas tractationis, multis luminibus refertae, et doctrinae varietate abundantis tandem Baylium, cui in hoc quidem scribendi genere haud par alter fuit, prodidit. Responderat ad eandem historiam Caluinismi Iurieus quoque, instituta *Caluinismi et Papismi historica comparatione*, in qua ea *Apologiam pro reformatione et reformatis* dederat^s. At cum obruere multitudine rerum, quam accurate vestigia aduersarii reprimere maluisset, longe inferior Baylio in ea arena pugnauisse iudicatus est^t, id quod nouos inuidiae mortus excitauit, cum praeferriri fibi Baylium Iurieus pati haud posset. Tanta autem literarum delectatione capiebatur Baylius, tanta contentione augendis et amplificandis orbis literarii limitibus inuigilabat, vt cum fatis opima et fauentissima illi nubendi conditio eo tempore offerretur, caelebs tamen viuere mallet, omnemque aetatem in literis consumere reipublicae eruditae autem et amicis se totum deuouere statueret. Qua sententia in animo eius firmata, nouam editionem *Cogitationum de Cometis* an. MDCLXXXIII

cura-

^o) Critique generale de l'Histoire du Calvinisme.

^p) DES MAIZEAUX I. c. p. 27.

^q) Menagian. T. II. p. 22. 23.

^r) Adiecit Biographiae Baylianae regium

mandatum ea de re DES MAIZEAUX, qui loc. c. prolixie rem omnem exponit.

^s) L'Histoire du Calvinisme et celle du Papisme, mise en parallel, ou Apologie pour les reformateurs, pour la reformation et les reformez.

^t) Vid. Mensiana I. c.

curauit, et nonnullis, quae amici quidam contra Brueysium metabat, eiusque librum apologeticum conscripserant, fauentem Lucinam conciliauit: ipse *Collectionem tractationum aliquot ad Cartesianam philosophiam pertinentium* instituit, illique ea adiecit, quae contra Valesum Jesuitam disputauerat; quae collectio Amstelodami MDCLXXXV prodiit*. Ut vero liberiorem paten-

* Titulum praefixit Baylius hunc: „Recueil de quelques pieces curieuses, concernant la philosophie de Mr. de Cartes. Non enarrabimus contenta libri, id modo obseruantes, Scholastorum theologiae euertendae Baylum in ea collectione animum intendisse. Maxime vero transubstantiationis dogma Cartesiana cui tum fauebat philosophiae praecidio subrure in ea dissertatione fatigit, quam contra Valesum scriptam huic collectioni inferuit. Pomen eridos autem istud dogma, quod semper philosophantium ingenio et acumini inuisum fuit, nascente porissimum Cartesianismo vistum esse, nemo rerum nostra aetate in ecclesia et ciuitate literaria, gestarum adeo ignarus est, ut id nesciat. Cum enim nuno philosophandi genere Cartesius substantias omnes in cogitantes et extensas diuisset, illas spiritus naturam absoluere, has corporum statuerebat, et virtusque attributa haec essentia esse dicebat, vt ex Principiorum philos. P.I. §. 53. 54. p.m. 12. constat. Id quod repugnare doctrinae Romanae ecclesiae de sacrosanctis altaris mysteriis editis mox Meditationibus Cartesii vidit et obiecit ANT. ARNALDV, monens, secundum hoc dogma, sifolias, non manere hanc doctrinam posse, cum fide credat ecclesia ablata a pane eucharisticio panis substantia, sola illi accidentia remanere, ea autem esse extencionem, figuram colorum, odorem, saporem, aliasque qualitates sensiles. Quibus valde pressus Cartesius in Respons. quart. p. 118. in omnes formas se torquet, vt argumenti vim eludat, fasiliusque est, vt se istis Romanae ecclesiae decretis addictum demonstraret, in pane eucharisticio nihil plane aliud esse, quo sensus nostri afficiantur, praeter solam istam superficiem, quae sit terminus dimensionum eius corporis quod sentitur; et in qua sola superficie fiat contactus; notandum autem esse monuit, istam superficiem non ex sola corporum externa figura esse aestimandam, sed considerandos etiam esse omnes illos exiguios meatus, quae inter puluisculos farinae, ex quibus panis confatus est, et inter particulas, ex quibus vinum constat, reperiuntur. Ea spatiola alia materia subtili repleri, nec tamen ad eius substantiam pertinere, adeoque eius superficiem non externam tantum esse, sed eam, quae interne singulis particulis immediate sit circumposita. Supponit porro hanc superficiem etiam moveri ex parte, cum aliquae panis particulas ab aere aliisque corporibus eius poros ingredientibus agitentur: sic vt ex horum moro perpetuo, intelligatur superficies perpetuo in motu quodam esse: immo et hoc sibi concedendum postular, per superficiem panis non hic intelligi partem ullam substantiae,

nee quantitatis eiusdem corporis, sed tantum terminum illum, qui medius esse concipitur inter singulas eius particulas, et corpora ipsas ambienta, quique nullam habet entitatem, nisi modalem. Quibus suppositionis concludit: cum in hoc solo termino contactus fiat, et nihil nisi per contactum sentiatur, manifestum esse, quod, corpus dicatur in aliud ita mutari, vt haec nova substantia in eodem praefiso loco existat, in quo prius corpus v.g. panis existebat, necessarium sit, nouam illam substantiam eodem plane modo sensus omnes nostros afficeret, quo panis et vinum illos afficerent, si nulla transubstantiatione facta esset. Speciem enim illam externam remanentem esse illam superficiem medium inter singulas particulas et corpora illa ambientia. Valde placuit hic pullus tum Cartesio, iactanti melius se mysterium hoc explicuisse, quam Scholasticos accidentia realia *accidentia* communiscentes; tum affectis eius, inter quos biographus eius HADR. BAILLETVS, l. VIII, c. 9. ita mentem Cartesii explicuit, manere quidem eandem corporis extensionem, sed mutari panis extensionem, in extensionem corporis Christi, vt cibus in homine in succum et sanguinem convertatur. Immo haec tam plana esse et evidentia putar, vt haec explicatione iactet quamplurimos reformatorum ad amplectandam dogmatam Romanae ecclesiae commotos esse. Valde vero grauis fuit Cartesii scholae aduersa Scholasticorum factio, cui facile fuit offendere, hac explicatione Cartesiana mentem Concilii Tridentini de hoc dogmate plane euersti, ipsiusque sibi Cartesium contradicere, cum quae sola extencion cognoscantur accidentia, re ipsa essentia corporis ex eius mente ingrediantur. Ut itaque huic se labyrintho extricent, in variis, anfractus dilapsi sunt et hypotheses excogitantur suas magis opiniones, quam mentem concilii exhibentes. Quidam enim, et inter eos imprimis FRANCISCVS DES GABEZ in Philosophia Eucharistica Gallice edita, FRANC. LAMY in Epistolis philosophicis, et quem supra nominauimus, PETRVS CALLYVS in Durando illustrato cum modos sive attributa ista a substantia corporis Cartesiana saluis eius hypothesisibus, separari hac non euersta minime posse, cernebant, assumptionem quandam hypotheticam et informationem commenti sunt, affirmantes diuinam Christi naturam animamque ita per transubstantiationem corpus et sanguinem assumere, atque informare, vt eadem ratione sic corpus et sanguis Christi, quam illa quae in coelis sunt, Vehementer autem ista explicatio illis displicuit, qui succensebant Cartesianis, quod puritatem doctrinae

patentiorumque campum nancisceretur, in eruditionis latifundia exspatandi, vtque multis modis orbem sibi eruditum deuinciret, cum varietate doctrinae

doctrinae ecclesiae labefactarent: unde supra narravimus, Callum ob eam hypothesin valde Huetio vapulasse, eo quod nihil minus ista explicatio referat, quam transubstantiationem. Cautius itaque mercatus Emanuel Maignan, ex Minimorum ordine celeberrimus philosophus et mathematicus, (cuius vitam post P. SAGENVM enarravit P. BAYLE Dicit. T. III. art. Maignan p. 20.) simpliciorem rei adumbrationem commentus est. Quamvis enim medius inter Gassendum et Cartesium incederet, formas tamen substantiales et accidentia realis improbat. Huic visum, desinere quidem panem et vinum adesse in sacramento et existere, verum eandem tamen in sensu incurcionem imprecisionem, conseruare Deum, quae ante transubstantiationem fuerat. Quae licet simplicius quidem difficultatem leuare videantur, compertum tamen mox est, ita duplex ponit miraculum, cum hoc pacto Deus ordinem sensuum et impressio- nis atque sensationum mutare tolleret necesse habeat. Vnde Maignani quoque hypothesin oppugnarunt reieceruntque Nicolaus Maria Gennarus, et Augustinus de Guiditis, ipse quoque Maignan ob hanc assertione in capitulo generali ordinis sui reprehensus est, teste DANIELE in Itinere Cartesii p. 197. Indignam philosopho hanc hypothesin esse, quae miraculum miraculo explicat, Deumque ex machina prouocat, recte vidit, ROHALIVS, celeberrimum inter Cartesianos nomen, qui vt propius ad mentem magistri accederet, alium modum excogitauit, statuendo, corpus I. C. in sacramento post consecrationem ita locum panis occupare, vt eadem spatha et interrualla, quae panis occupauerat, illud iam occupet, et eandem extensionem seruer, quam habuit panis, vid. Entretiens sur la philosophie p. 48. Verum prouersa ita euerti mentem Tridentini concilii recte ab aduersariis Cartesianae factionis responsum est: eo quod isto modo sequatur, quod corpus Christi in panem, non vero panis in corpus Christi mutetur, cum essentiam panis, quae in dispositione et modificatione extensionis a Cartesio ponitur, suam faciat, et essentiales eius modos recipiat; qua de re acute nonnulla monuit P. BAYLE Dicit. I. c. not. A. Longum esset lites hoc de argumento omnes enumerare, quas cum Scholasticae philosophiae affectis Cartesiani souerunt, asserreque mira ista somnia, quae ad explicandum hoc mysterium Platonicos numeris incomprehensibilis et obscurius ex hac turba attulerunt. Clercelierius, Mallebranchius, eiusque integratorius Mironius, quaeque Franciscus Bernierius, Io. Baptista du Hamel aliisque, qui media inter vitramque partem via incesserunt, ex cogitarunt. Alium ista locum, aliam tractationem postulant. Nobis ad praesentem Baylianae vitae historiam illustrandam attentis, monuisse

sufficit, difficultates insuperabiles, quas contra hoc dogma struit Cartesiana philosophia, aduersariis Romanae ecclesiae haud leue triumphi argumentum, Cartesianorum inimicis autem fauentissimam occasionem exhibuisse, illi factioni obrectandi. Maxime Societas Iesu cum haud exigua sibi impedimenta obiecisse Cartesianum cerneret, magnis animis in eam factio- nem insurrexit, et heterodoxias accusatione aduersarios confundere satagit. Non prouocabimus ad celebre illud concordatum, vii vocant, inter Iesuitas et patres Oratorii de non traden- da iuuentuti Scholasticae Cartesiana philosophia, nec ea adducemus, quae contra Mallebranchium eiusque affectam Mironium vehementer vr- gere coepit eius *zuraywus* P. Du Tertre, de cuius obiectiobibus vid. Europe sauvante, T. III. P. II. art. 5. p. 296. T. IV. P. I. art. 7. p. 129. sed ad Cadomensem Iesuitam, Valesium prouoca- mus, qui data opera in hoc arguento Carte- sianas phalanges adortus est, edito libro, persona- to nomine, LOVIS DELA VILLE, lingua Gal- lica: Opposition de principes du Mr. des Car- tes avec la foi de l'eglise Romaine, touchant la transubstantiation, et leur conformité avec le Calvinisme. In quo tam luculententer ostendit, Cartesii principia philosophica cum hoc dogma- te consilere non posse, sed illud totum euertere, vt non modo inuincibile esse agmen Vale- si iudicauerit BAYLIVS, vid. Lettr. XXIX. p. 336. sed et Cartesiani inter Gallos, pontifici Romano additi haud parum animo deicerentur, et Regius, qui Cartesianos conuentus Parisiis instituerat, metu coactus eos solueret. Non vero folios Cartesianos sed et Gassendistas inter eos numerauerat Valesius, qui irreconciliabilem philo- sophia sua inimicitiam contra hoc dogma con- cepissent, eoque nomine dicam scriperat Bernierio. Qui cum deuiaffe ab ecclesiae doctrina videri noller, in Illustrationibus ad librum per- sonati VILLEI suspicionem a se istam amoliri conatus est. Idem fecit quem simili accusatione aggressus erat Mallebranchius, proque Car- sesi vel sua potius hypothetis verba fecit, quibus tamen apologis docta ista natio philosophica prohibere non potuit, vt non iterata vice prodi- ret nonnemo, et dissertatione Gallice scripta ostenderet, Philosophiam Cartesianam, fidei ec- clesiae catholicae repugnare, Bernierium autem denuo refelleret. Tacemus Mallebranchii ad- uersarium du Tertre, Antonium Arnaldum, aliquo- que, qui Mallebranchium a recta via declin- nauisse contenderunt. Intelligi autem nobis non monentibus potest, eos, qui ex Protestantium coetus talis suis illius dogmatis iugulum petiuerunt, otiosos in illa domestica Romanum pugna non confessisse, sed proprium ensem in eius viscera adegitisse. Id quod praeter I. LA PLA-

Eeee

Hist. philos. Tom. IV.

doctrinae et elegantia ingenii lectores mirifice delectare posset, ad edendas ephimerides literarias, quod scriptio[n]is genus recens tum exortum mirifice plerosque ceperat, hortatu Iuriei animum adiecit, et Calendis Martiis anni MDCLXXXIV Gallico sermone *noua ex republica literaria*¹ editit, libros optimae notae accurate recensuit, literariam historiam mira luce perfudit, nec sterilem enarrationem exhibuisse contentus, iudicium suum interposuit, obseruationibusque selectis argumenta librorum haud raro illustravit. Qui labor adeo feliciter cessit Baylio, ut inter ephimerides literarias, quae ob doctrinae varietatem et iucunditatem maximi fuent, summo fere loco habitus sit, certe nulli huius generis lucubrationi cesserit. Cum autem ob materiae diuersitatem varia et multiplex in eo opere eniteret Bayliana eruditio, eaque raro exemplo in omni fere arguento regnaret, dici non potest, quam commendatae istae ephimerides viris doctis fuerint, qui certatim eas summopere laudarunt². Author autem, cum indies magis literarum praestantia inclaresceret, dignus viuis est, quem Frisiae occidentalis Status ad adeundam cathedram publicam in academia Franequerana C. M. florenorum stipendio inuitarent. Sua tamen forte contentus Baylius, cum paucis viueret, opimam Spartam recusauit, foecundissimum autem calatum porro ad amplificandas literas adhibuit. Nouae enim editioni *criticae Disquisitionis in Historiam Calvinismi continuationem*³ addidit, quae tamen, licet ingenii eius amoeritatem tota saperet, cauillandi ansam nonnullis suppeditauit, cum quae-dam ridendo et iocando dixisset⁴. Valde eo tempore contentionis ferram reciprocauere magna Galliae lumina Arnaldus et Mallebranchius, quorum controuersiam miris animorum motibus agitatam cum attigisset in nouis literariis⁵ Baylius, istis quoque litibus implicitus est. Nempe praeter alia

PLACETTE, qui auctoritatem sensum contra transubstantiationem peculiari schediasticate vindicauit, fecit quoque Petrus Baylius, qui cum Cartesiana lectione addixisse, apud Sedanenses, ut supra narratum dissertationem Valefio opposuit, in qua vindicantur a Peripateticorum obiectiōnibus rationes, quibus aliqui Cartesiani probarunt, essentiam corporis sicam esse in extensiōne. In hac dissertatione, non negat Baylius, extensionis rationem et imprimis impene-trabilitatem materiae cum transubstantiatione constare non posse: vera autem esse et naturae conformia illa principia acriter defendit, et offendere ideo doctrinam Romanam principia rationis prima, clarissima et certissima, statuit. Et haec quidem summa est illius collectionis, curiositate Lectoris non indignae, quam edidit Baylius, comprehenduntur enim in ea praeter Concordatum Iesuitarum cum patribus Oratorii, obseruationibus illustratum, Bernierii annotationes, Mallebranchii responsio, refutatio noua Bernierii, et dissertatio laudata Baylii, vna cum meditationibus ad metaphysicam abbatis DE LANION, editaque ista collectio est Amstelodam.

mi 1684. 4. Plura de re ipsa dare huius loci non est. Nobis haec enarranda fuere, ut qualis hoc de arguento Baylio controvērsia intercesserit, Lector intelligat: quo pacto tamen simul quādam historiae Cartesiana, suo loco latius enarranda particulam tangere licuit. Plura qui sit, ei affatim dabunt scriptores laudati praestantissimae doctrinae theologo D. CHR. MATTH. PFAFFIO Cancellario Tubingensi, in Diff. Anti-Roger. p. 26. 48. et diff. Anti-Baeliana II. p. 28.

t) Nouvelles de la Republique des Lettres.

u) Vid. A&E. Erud. 1685. p. 511. Hist. des Ouvrages des Savans 1706. Dec. p. 545. STRVVIS Introd. in Hist. lit. c. VI. §. 43. p. 296. et qui supplementa dedere, ACKERVS, COLFRVS, LOTTERVS, IVNCKERVS de Ephimerid. erudit. p. 170. FABRIC. Praef. ad MORHOFII Polyhist. alii.

v) Nouvelles Lettres de l'Auteur de Critique générale de l'Histoire du Calvinisme de Maimburg.

w) DE MAIZEAUX I. c. p. 32.

x) 1685. Août art. 3. p. 876.

alia ad logicam et metaphysicam pertinentia, quae infra suo loco enarrabimus, etiam de morali quaestione inter viros istos doctissimos disputatum est. Cum enim nouum sibi sistema philosophicum et theologicum Mallebranchius effinxisset, idque ad doctrinam de gratia, valde tunc theologorum dissensionibus agitatem transtulisset, inter alia axiomatis loco posuit: omnem voluptatem esse bonam, et illum felicem reddere, qui ea fruatur. Quam assertionem, metaphysica subtilitate praecisioneque mentis formata acriter quoque defendit; non minori autem contentionis alacritate oppugnauit Arnaldus, ratus, ita omnem honestatis virtutisque faciem conspurcari, et foedae quoque voluptatis caussam agi posse. Quam Arnaldi obiectionem cum enarrauisset Baylius, ut accurate distinguere, partibusque idearum de quibus disceptatur, omnibus enumeratis, verborum pugnas miro artificio soluere nouerat, Mallebranchii assertum esse verissimum, pronuntiauit: eo ipso momento, quo quis voluptate fruitur, hominem felicem esse, neque tamen ita foedissimarum voluptatum caussam defendi, quas omnino fugiendas esse, fanus rerumque intelligens lubens concesserit. Nempe distinguendum esse inter caussam voluptatis formalem et efficientem; illam vero heic solam a Mallebranchio intelligi, non vero hanc, quae nisi bona et iusta sit, voluptatis rationem reiciendam esse postulet. Quamvis autem et verissima diceret Baylius, et ab aliis quoque, maxime a Gaffendo, dudum pronuntiata, valde tamen vrebatur Arnaldum, quod scripsisset, mirari se, nolle aduersarios Mallebranchii ad veram eius mentem aduertere animum, vel non posse eam intelligere. Vnde grauem ei dicam scripsit ²⁾, et cum ille non fileret, nec causae suae deesset ²⁾, ut erat acer disputator et vehemens, istam disceptationem nouis obiectibus continuauit ³⁾, quam totam de verbis pugnam fuisse, Lector prudens facile comprehendet nobis quoque non monentibus. Tetigit quoque argumentum de tolerantia, edita de ea epistola Hadriani Paetsii, quo is Moecenate vtebatur: quo tamen nomine illis displicebat, qui rigidas partes sequebantur [†]. Anno MDCLXXXVI breui sed eleganti commentario, inquisitus in causas, quo modo ad ecclesiae Romae gremium tota Gallia perducta sit, artes feueras, adhibitas iniurias, quas Reformati pertulerunt, delineauit ⁴⁾. Maxime vero ipsam sacram violentiae, quae in conuertendis hominibus adhibetur, anchoram conuellere, et quam necessaria et cum naturalibus legibus tum praeceptis Christi et regulis Christianae ciuitatis conueniens tolerantia sit, ostendere constituit, edito *Commentario philosophico, in verba Iesu Christi, compelle eos intrare: in quo rationibus quam plurimis iisque euidentissimis probatur,*

Eeee 2 nihil

¹⁾ Avis à l'Auteur des Nouvelles de la République des Lettres.

²⁾ Rotterdam 1686.

³⁾ Dissertation sur le pretendu bonheur des fans.

⁴⁾ Nempe improbat Auctor motus Bri-

tanniae sub Iacobo II. et damnabat, non aliam in Britannia religionem tolerari quam Protestantium. Quod cum partibus Guilelmo regi addictis placere non posset, etiam interpretem inuolum Britannis fecit.

⁵⁾ Ce que ce que toute la France Catholique.

nihil esse abominabilius, conuerzionibus, quae vi et coactione efficiuntur, refutantur quoque sophismata eorum, qui hac ratione agunt, et ad ea quoque respondetur, quae S. Augustinus pro excusandis persecutionibus protulit^a. Praeuidit Baylius, qui in hoc libro ad tolerantiam stabiendam commendandamque vim eloquentiae et eruditionis omnem adhibuerat, displiciturum esse hunc commentarium etiam inter Protestantium theologos illis, qui rigidiori zelo pro caufsa ecclesiae orthodoxae vigilare se et pugnare sibi viderentur. Quod genus hominum cum irritabile esse nosset, ne crabrones excitaret, Anglum auctorem Ioannem Foxum de Bruggs commentus est, et prodidisse hanc ex Anglo versionem apud Londinenes simulauit, quae ab ipso Gallico idiomate ἀγχέτυπος Amstelodami vulgata erat^b, latere tamen diu non potuit, quamvis constanter hunc foetum abnegasset. Inde vero haud parum in suspicionem adducta est Baylii religio, quod tamen latius heic enarrare non licet, cuncta eleganter exponit eius biographus DES MAIZEAVX, qui consulendus. Grauiori afflitione, eo ipso tempore turbabatur Baylii animus, cum in nouis eius literariis nonnulla Christinam Sueciae reginam offendissent, cuius tamen indignationem mitigauit iramque placuit Baylii prudentia^c. Ast quam illi sollicitudinem ea res excitauerat, haud parum leuauit academiarum regiarum, Francicae et Londinensis benevolentia, quae datis ad Baylium, literis testatae sunt, quo loco praestantissimam eius eruditionem haberent. Valde vero paulo post turbauere circulos eius insultus quidam febriles, ita, vt corpore animoque languens cogeretur ephimeridum edendarum curam Basnagio Bellouallensi, amico suo tradere, quo auctore mutata inscriptio, et noua haec literaria titulo *Historiae actorum eruditorum*^d vulgata sunt. Admodum ab hoc tempore non vires tantum corporis Baylii, continuata febris pertinacia attenuatae sunt, sed et animi tranquillitas, et ingenii quoque alacritas vehementer turbata est. Sub cinere enim gliscentem inuidiae ignem hactenus contra Baylium aluerat Iurieus, in quo et gloriae aemulatio inuidiam excitauerat, et zelus pro doctrinae puritate suspicionem accenderat, dolosum eius hostem Baylium esse. Qui cum commentarium, *Compelle eos intrare* edidisset, et tolerantiae fines late extendisset, ira et indignatione aestuans Iurieus, pro commodis ecclesiae et doctrinae purioris conseruatione contra latitudinaria Baylii principia apertum bellum suscipere constituit. Erat in eo Baylius, vt tertiam illius commentarii partem ederet, cum in arenam contra eum Iurieus descenderet, irreconciliablem ab eo tempore inimicitiam innumeris offenditionibus testatus. Quae lites indecorae inter collegas funestae quoque fuere reipublicae literariae, cum vis illa ignea et elegantia, qua supra modum excellebat ingenium Baylianum,

a) Commentaires philosophique sur les paroles de I.C. contrain les entrer &c.

b) 1686. prolix libri huius Historiam enarrat DES MAIZEAVX l. c. p. 35. quocum conferenda Epistolae Baylianae.

c) Ibid. p. 37. Quaeſtio verſabatur circa quasdam Christinæ Reginae epistolæ a Baylio vulgatas addito iudicio suo paulo liberiori.

d) Histoire des Ouvrages des Savans, vid. citati not. (u)

Baylianum, valde istis molestiis et aegritudine debilitarentur, sanitatiq; eius valde afflictæ obstarent, quo minus ex voto restitui in integrum posset: qua ratione non potuit non viuax ille, qui in Baylio regnauerat animus deprimi eneruarique. Id quod senserunt non sine animi dolore amici, qui ab isto tempore Baylium veterem imaginem non amplius retulisse, sibique similem vix fuisse obseruauerunt. Ipse Aquisgranum profectus haustis aquis salutaribus non nihil leuaminis sensit, emergere tamen ex animi luctu et moerore non potuit, praecipue cum mors illi Moeценатем, Paetium eripuisset, et in rabiem et furorem actus Iurieus vehementi eum persecutione premere pergeret. Deserendum itaque Roterodamum ratus, Berolinum sibi animo delegit, vbi exulibus Gallis exoptatissimum asylum electoris gratia parauerat. A quo statore vindiceque literarum, cuius immortalis eo quoque nomine fuit gloria, cum viris ex hac natione doctis stadium aperiretur, ad eruditio[n]is gloriam propositis praemiis impigre currendi, amicorum, maxime Ancillonii, Abbadii et Lenfantii, virorum celeberrimorum precibus Schombergio, qui copiis Brandenburgicis summus dux praeerat, et ab eo electori commendatus est. Neque effectu destituta esset ista commendatio, cum et magna esset doctrinae Baylianae fama, et plurimum amici in aula possent, nisi mors electoris intercessisset, quo pacto res euentu caruit. Reprimendas autem Iuriei iniurias et calumnias ratus *Supplementum ad Commentarium de Tolerantia*^f edidit, et aduersario respondit, separataque scriptione eius impudentiam larvatus retudit.

¶ XVI. Hactenus primae tantum velitationes belli istius literarii inter Iurieum et Baylium intercesserant, iam grauius bellum exarduit, et cruenta facta pugna est, quam et gloriae aemulatio succendere, et si fides nonnemini, domestica quoque cauſa quaedam^f augere cooperat. Nempe prodit anno MDCXC famosus libellus, qui *maximi momenti informationem exulibus Galliae reformatis de instanti eorum in patriam reditu*^e (quem vaticiniis quibusdam apocalypticis nixus suis vicinum praedixerat Iurieus) titulo promittebat. In quo libello res attritae ecclesiae reformatae Gallicanae, quae in exilio viuebat acriter exagitantur, et ad excusandam palliandamque aulae persecutionem, omnis cauſa in seditiosa axiomata et consilia exulum coniicitur, aculeato vero dicendi genere contumeliis innumeris miseri cumulantur. Qui libellus cum pseudonymus prodidisset, dici non potest, quantam indignationem Protestantum, maxime inter Britannos Batauosque meruerit, non sine graui cauſa querentium, bonam ita cauſam inauditis calumniis opprimi, et ex ipso Protestantum sinu, id quod scribendi genus abunde declarabat, progredi ausum esse,

Controuer-
fiae Baylia-
nae.

E e e 3

qui

e) BASNAGIVS in Elogio Bayliano, Hist. des Ouvr. des Savans 1706, p. 547. depuis ce tems la ce n'est plus Mr. Bayle.

ff) Vid. Journal des Savans Mai 1716, p. 596 seqq. recte vero narratiunculam in dubium vocarunt autores Biblioth. Germ. P. XLVI, p. 90.

f) Supplement du commentaire philosophique sur les paroles: contrain les entrer, 1688.

g) Avis important aux refugiez sur leur retour prochain en France 1690.

qui telum in fratrum viscera adigeret, et atrocem persecutionem iis coloribus pingeret, quibus detestabiles ecclesiae reformatae vultus viderentur. Cum autem non sine acumine et sale scriptus esset, cauillamque non exulum modo, sed omnis Protestantium ecclesiae iugulare velle censeretur, maxima de libelli *τηλευτικῆς* auctore detegendo cura fuit. Et Iurieus quidem Baylio illum tribuere nullus cunctabatur: nec id a vero valde alienum videbatur aliis viris doctis, qui luculentos characteres ingenii Bayliani, ab aliis imitatione haud facile exprimendos sibi detexisse videbantur. Vnde in grauissimam suspicionem Baylius adductus est, voluisse eum non sine exitio ecclesiae Reformatae aulae Gallicae blandiri, eiusque gratiam captare. Iurieus autem, ut inuidia aduersarium cumularet, publico scripto eum aggressus, ad expellendum hominem tam infando criminis rebus Reformatae ecclesiae noxiun ex Belgio foederato magistratus cohortatus est. Quae procella cum omnem Baylii fortunam euertere videretur, pugnis calcibusque is pugnauit, ut ostenderet, iniuriam sibi fieri, nec a se vnuquam libellum istum fuisse profectum. Quod et semper amicis affirmauit, et ad vitae finem constanter defendit, se illius foetus parentem non fuisse. Sic ut ad haec nostra usque tempora de auctore libri incerta sententia viri docti disputauerint ^{b)}. Inde vero atrocissimum contra Baylium ex parte Iuriei bellum exortum est. Is enim illum velut proditorem ecclesiae, et clandestinum hostem accusare, et ut ex foederato Belgio eiiceretur, sollicitare magistratus non dubitabat. Vim igitur vi repellere coactus telis tela opposuit et libellis sale acri refertis, quibus titulum *Cabbalae Chimaericæ, Chimaerae demonstratae, et Ianuae Coelorum*

b) De auctore famosi libri valde Baylio et viuuo et viuis eretto disputationem est, quam tamen disputationem prolixe hec referre instituti ratio prohibet. Pauca tantum delibamus. Et viuente quidem Baylio maxima verisimilitudinis nota ad eum libellum referri posse iudicatum a viris doctis est, cum et ingenium Baylianum mire referret, et qui librum imprimi curauerat, bibliopola se a Baylio eum acceptasse testaretur, manum autem Baylii msc. retulisse diceret, qui emendandis operarum erroribus praefuerat. Constanter vero id negabat Baylius, ut ex Cabbala chimaerica demonstrata patet, et ad mortem usque velut alienum foetum reiiciebat. Quod tamen non obstat, quo minus ipsi Baylii amici, et inter eos Basnagijs et Des Maizeaux dubii haerent, an non ad Baylium auctorem liber referendus esset. Post facta Baylii ultima eandem fortein ista disceptatio habuit. Nonnulli Paulum Pellissonum hunc foetum genuisse suspicabantur, at is publice se parentem esse negabat: alii Larroquano filium a Reformatis ad Romanas partes transgressum hunc partum exclusisse, et Baylio amico transmisso contendebant, ut editionem procurarer: Baylium autem inuisi libelli editioni fuisse caufabantur, quod visionum et vaticiniorum Iurieu

exagitandorum facilem occasionem inuenisset. Id amici nonnulli, et inter eos Cel. Crosaeus ipsius Baylii fide referebant: nuper autem Olivetus abbas, in Epistola ad Buhierium senatus praesidem, quae extat Journal des Savans l.c. et Bibl. German. T. XLVI. Art. 5. p. 84 seqq. ex ipsius Larroquani ore se centies audiuisse narravit, eum verum eius foetus parentem esse. Quamvis ephemiderum auctor hoc tamen non obstante ratione ostenderet, quae persuaderet, Baylium optulatrices Larroquano manus in excludendo hoc foetu porrescisse. Tandem nonnemo in Bibl. Germ. P. XLVII. art 9 p. 130 seq. qui personata Prioris de Nefuille appellatione nomen verum abscondit, inquit, si verae sunt, ad quas protocat, memoriae, rationibus demonstravit, Baylium hunc librum tum conscripsisse, cum inter Batavos omnia in eius perniciem coniurassent. De reditu enim in patriam et recuperanda aulae gratia, cum stipendium 4000. librarum ei promisisset, qui regi a confessionibus fuit, Franciscus Caesaeus (la Chaize) ea conditione ut Romanam fidem amplecteretur, cogitarem, fidei suae et sinceritatis hunc esse prodromum voluisse. Et euentum hunc in aula habuisse, ut Larroquano apud Iesuitam, et hoc apud regem intercedente stipen-

Coelorum referatae indidit¹, Iurieum vehementer repressit et ita depexum dedit, vt in contertum apud omnes adduceretur, et longa inde lis enaseretur; cuius tamen fata reliqua et euentum heic loci enarrare non licet, sed in actis ecclesiasticis huius temporis exponenda sunt. Parum utilitatis ex atroci hoc bello literario ciuitas erudita habuit. Ut itaque alia ratione literis prodeisset, ad scribendum *Dictionarium Historico-Criticum* animum adiecit, eiusque specimen ad Iacobum Rondellum edidit, ex quo constabat, similes eum labores literatos sub examen vocaturum, erroresque literarios emendaturum esse; vnde uno tantum volumine obseruationes suas comprehendi posse iudicabat². Verum et hoc institutum valde nouis Baylii calamitatibus retardatum est; quibus factum, vt tandem munere professorio exueretur. Cum enim nonnulla de pace vniuersali restituenda confilia ab amico secum communicata typis vulgasset, Iurieus autem magnos de iis clamores sustulisset, quod latentem in angue herbam prodere ipſi viderentur; suspectus factus est Baylius, quod rebus Britannorum, quales sub Guilemo rege magnam mutationem passae erant, infensior esse animo, aduersamque aulae partem Gallosque consiliis suis iuuisset; qua re magna inuidia inter Britannos cumulatus est. Qui licet his se artibus nihil tribuere, insontemque esse edita ea, quam diximus apologia demonstraret, fidem tamen non inuenit. Vnde Britannorum monitis sollicitati reipublicae proceres eum loco mouendum stipendioque priuandum esse censuerunt, cauſati, in meditationibus *de Cometis* talia eum affirmauisse, quae in viro publici doctoris axiomate ornato ferri haud possent³. Evidem non sibi defuit Baylius, et iniuriam sibi fieri demonstrata assertionum suarum innocentia, conquestus est, cum autem arcanam veramque huius calamitatis cauſam ignoraret, frustra verba fecit. Quoniam autem hunc fulminis ictum vitare haud poterat, patienter quod mutare nequibat, pertulit, contentus, Iuriei calumnias edita apologia luculenter confutasse. Cumque nec diuitiis inhiaret, nec honoribus, paucis autem contentus viueret, in ipsa afflictione ista inuenit solatium, laetus ita sibi otia suppere, cum Mufis et amicis pro lubitu congregandi tempusque omne tribuendi literis, libris vero scribendis largius indulgendi. Ita ab omni munericis vinculo liber, cogitationes omnes ad *Dictionarium Historico-Criticum* conuertit, cuius aliam iam sibi faciem finixerat, et campum delegerat paulo ampliorum. Quod saxum postquam dies noctesque impiger voluisset, tandem volumen primum et secundum anno MD CXCVII, praefixo contra mortem suum nomine edidit. In id autem velut in horreum Baylius contulit, quicquid iudicii acies vel naeuorum apud scriptores, vel cauſarum arca-

narum

i) Consulendus hic, qui fuse omnia enarrat *DES MAIZRAVX* l. c. et conferendas epistolae Baylianae, p. 313. 318. 320. 326. 348. 365. 458 seqq.

k) Extrat illa dissertatio T. IV. *Dictionarii* p. 606, ed. rec.

l) Rem omnem exponit *DES MAIZRAVZ* pag. 68. seqq.

narum in historia omnis aeui defexerat, quicquid splendidum atque elegans viuisque coloribus depictum fistere poterat ingenium, quicquid memoria suggerebat vasta lectionis copia suffulta. Vnde factum, vt certatim opus nouum et insolitum extolleretur, laudarentque viri docti Baylianae eruditionis praestantiam tot ingenii paeclaris luminibus refertam. Quae cum in vulgus nota sint, et aliquoties iteratis auctisque et emendatis editionibus opus amplum splendidumque prodierit, et in omnium manibus sit, sententias eruditorum de eo colligere nolumus. Nobis hoc loco eo potissimum nomine in partes vocandum est Dictionarium Baylianum, quia innumeris locis veteris et recentioris philosophiae historia in eo tangitur, veterum philosophorum dogmata critico examine, quod pauci haec tenus fecerant, subiiciuntur, et de rebus grauissimi argumenti et quaestionibus philosophicis satis arduis disceptatio instituitur. Verum vt haud parum eruditionis Baylianae gloria isto opere aucta est, ita famae quoque auctoris apud plurimos lectors cautos haud leuem maculam affricuit. Cum enim oculi accessissent lyncei, et ad latentia dogmata, quae passim insperfit, attenti, multis in locis visus est talia attulisse, quae vel naturali religioni vel Christianae essent inimica, et corrumpendis quoque moribus apta, scriptoris que animum proderent, nulla religionis seueritate tinctum, sed ad impietas patrocinium valde inclinantem, certe caussam Dei subdolo argumentandi genere euenterent, et quod omnium maxime displicebat, Pyrrhonismum satis periculosa methodo ipsis veritatis diuinae mysteriis inferrent^{m)}. Quam accusationem exemplis confirmarunt luculentis, quibus perditissimo scepticismi generi frigidam suffuderit, narratiunculis leuibus, ludicris et lubricis castas aures laeserit, atheorum systemata, quibus posset coloribus ornauerit et rationibus firmauerit, et quaecunque sacra et profana ipsis displicuisse satyrico sale perfriuerit, caninoque dente arroserit. Quae examinare omnia et quo merito Baylio obiificantur, despicer eō minus opus est, quo saepius loca *Dictionarii* quamplurima in partes vocationi, et sententiam de iis nostram dicendi occasio haec tenus in hac nostra tractatione suppeditata est. Maxime vero Renaudotius virgulam censoriam in hunc librum exercuit, prohibuitque ne in Gallia recuderetur, vel regio priuilegio munitus prodiret, peculiari schediasmate conquestus, nec veteris literaturae, nec religionis, nec accuratae tractationis quicquam in eo deprehendi, sed regnare vbique apertam Pelagianismi et Pyrrhonismi impietatem. Quod audie arripuit Iurieus, quem toties in Dictionario traduxit Baylius, recudique istud Renaudotii schediasma curauit, vt hoc patet contumeliam vlcisceretur. Verum nec Baylius filuit, sed editis considerationibus in illud vtrumque vehementer depexum deditⁿ⁾. Partes quoque Baylii tuendas suscepit SantEuermontius, inter cuius opuscula haec quoque scheda extat. Intercesserunt tamen amici, ne inter vtrumque

m) Conf. Cel. PFAFF. Hist. Anti-Baeliana I.
p. 5. Ven. WEISMANN. Hist. eccl. T. II. p. 973.
STOLLIVS Hist. liter. P. I. c. 6. §. 9. p. 253.

n) Etiam haec schedae adiectae sunt editioni Batavae Dictionarii, anni 1729. T. IV. p. 655 seqq.
o) A Cl. DES MAIZEAUX edita.

virum

virum celeberrimum indecora et indigna vtriusque eruditione et fama lis exoriretur. Eandem cum Renaudotio sententiam de isto libro dixit Renatus Massuetus ^p, nec aliis veteris literaturae peritis valde placuit, cum in ea minus Baylius valeret, quam in recentiori, et multa attulerit ex veterum fontibus nec fideliter satis et accurate, nec plene hausta et accurate digesta. Mirum itaque haud est, Iurieum ad omnes occasionses, quibus grauis esse aduersario posset, attentum, inuenisse in isto opere, de quibus in senatu Gallorum ecclesiastico acerbe conquereretur. Nec defuerunt censurae *ιεροδικαστῶν* ^q, qui praecipue haec desiderabant, obloque censorio configebant; esse quamplurima loca castis auribus offendiculo, et honestatem laedere; leuitatem animi prodere et contemnum scripturae sacrae, quae de Davide rege scripta essent; sistema Manichaeorum dualisticum ita ornari, confirmarique, vt ipso auctore fatente et pronuntiante inuincibile videatur: Pyrrhonismum autem, praecipue in Pyrrhonis vita ad euertenda religionis fundamenta adhiberi, vbique autem atheorum hostiumque reuelatae veritatis doctrinæque Christianæ caussam agi. Respondit ad has censuras Baylius, et nec male doloseque se egisse cum religione, nec virtuti inimicum se demonstrauisse, non sine ingenio et eloquentia ostendere editis illustrationibus conatus est. Quamvis enim vitam atheistorum non sine virtutis specie actam laudasset, non tamen se ait, ipsa venenata eorum placita probauisse, sed haud vno loco fuisse detestatum; et si recte obseruationes allatae adhibeantur, ad accendendum verae pietatis studium plurimum posse conferre: Manichaeorum obiectiones autem eo se sine vrsis contendit, vt appareat, sistema aperta absurditate ridiculum tantas tamen rationi difficultates obiicere, vt ex iis quilibet paulo attentior colligere possit, eam in religionis negotio prorsus non esse audiendam, sed recipiendam reuelationis diuinæ fidem humili sanctoque obsequio. Idem de Pyrrhonismo fassus est, nempe omnia eo tendere, vt constet, Christianam doctrinam supra rationis ordinem esse positam, et ad auctoritatem diuinam cuncta in ea referenda; non enim ideo Deum nobis illius mysteria reuelasse, vt ea comprehenderamus, sed vt illa fide humili et obsequio credamus, quibus infiniti entis decreta sine contradictione et murmure recipi debent. Licet autem historiae narrationis veritate coactus nonnulla scriptorum loca testimonii loco adduxerit, quae lasciuos mores nutrire posse videantur: functum se tamen historici munere, non tantum ab iis probandis commendandisque abstinuisse, sed et horrorem abominabilis sceleris Lectorum animis occasione ferente multoties ingenerasse. Quae omnia non rationibus tantum, vt erat ingenio foecundus, quamplurimis ornauit, sed exemplis quoque

ex

p) In pentade epistolarum ad Cl. Pezium, SCHELHORNII T. XIII. p. 278 seqq.
quam inferi curauimus Amoenit. liter. Cel. q) Acta subiuncta sunt Dictionarii T. IV. p. 665.

ex omni historiae eruditae ambitu diligenter collectis illustravit. Neque tamen hac quoque declaratione et apologia satisfecit senatus ecclesiastici iudicibus, quorum sententia Baylius iussus est, loca illa, quae offendiculum esse possunt, tollere, et prudentiori in posterum atque cautioni calamo vti. Obtemperauit Baylius senatui sacro, et in secunda editione, quae anno MD C XCVIII parabatur, multa mutauit, ad plura respondit, et de reliquis ita ad senatum ecclesiae retulit, vt ille tandem acquiesceret. Ast qui publico iudicio ita fatis fecerat, iam priuatorum obiectionibus impetrabatur. Anno sequente enim IOANNES CLERICVS, vir doctissimus qui *Parrhasianorum nomine Cogitationes miscellaneas* edere cooperat, ea aggressus est^r, quae pro roborando Manichaeorum systemate Baylius attulerat, et nodos insolubiles structos esse iactauerat. Demonstrandum autem sibi sumfit, facile istas difficultates solui posse, modo admittatur sistema Origenis emanatiuum, quod faciles responsones exhibeat ad ea, quae Manichaeorum patroni contra iustitiam Dei, naturam et necessitatem mali et similia obiciant. Quo signo dato nouum Baylio bellum enatum et longa controversiae series structa est, de argumento grauissimo, quod ab incunabilis philosophiae maximorum philosophorum ingenia tortit, nempe de systemate dualistico, et quod illi oppositum est, emanatio, in quas duas partes omnes veteres philosophos barbaros atque Graecos discessisse, ex iis, quae *Tomo primo* multis locis diximus, est manifestissimum. Reciprocarunt autem duumiri celeberrimi hanc contentionis ferram non sine animorum commotione usque ad mortem Baylii, quae demum silentium partibus impositum est. Interim, quam per quadrennium magno studio molitus erat, secunda *Dictionarii Historico-Critici* editio anno MDCCII prodiit, multo castigatior et emendatior, et altera quoque parte auctior, cui illustrationes quoque et apologiam eorum adiecit, quae in isto opere reprehendebantur, et auctori inuidiam conflauerant. In ea editione quoque, Origenis historiam enarrans ad Clerici obiectiones respondit. Magno ea applausu excepta est, adeo, ut Britanorum nonnulli consilium caperent, in Anglicum sermonem verbum vulgandi^s. Quod tamen diu euentum non habuit, cum imparibus ad hoc faxum satis grande voluendum lacertis auctores acceſſissent. Cura tamen laboris ad celeberrimum *Memoriarum literiarum*^t, quae Anglica lingua editae sunt, auctorem, P. DE LA ROCHE delata, Anglicano tandem habitu ornatum opus anno MDCCIX prodiit^u, quod tamen non, ex ipso satisfecit Cl. BERNARDO, qui videndus^v. Cum autem prolixo et difficili Dictionarii opere ingenii vires lassari sensisset, ad alia non minus utilia quidem, at minus molesta et difficilia animum conuertit, et

Obſer-

r) Conf. Lettr. CLXIII. p. 623 seqq. ubi ipſe rem accurate enarrat.

s) Vid. Lettr. CXCV. p. 743. CCVII. p. 791. CCVIII. p. 800.

t) Memoires of Literature.

ff) Londini 1700. fol. IV. Vol. Inſigne vero augmentum nuper acceſſisse; auctioris articulis quā ampliurimis, ex Actis literariis nostri temporis lectorem non latet. r) Nouvelles de la rep. des Lettres 1709. Nov. p. 596.

Observationum Historico-Criticarum et literariarum itemque philosophicarum syllogen edere hocque labore non doctis tantum lectoribus, sed et illis prodeesse voluit, qui disciplinarum cognitione non satis essent tincti. Celare tamen more suo nomen constituit, et ficto titulo anno MDCCIV *Responsiones ad prouincialem quendam*^w edidit, emendationes quoque ad *TEISSIERII* elogia virorum doctorum vulgavit, quibus auctor in noua editione ^v non sine lectoris commodo vhus est. Sed et *Meditationes suas de Cometis* continuando ^w non obiectionibus modo viorum doctorum satisfacere, sed et alia inspergere studuit, quae in controversiam venerant, et praecipue quam magna diligentia assertum iuerat, thesin istam; minus malum esse atheismum, quam superstitionem. Ex hoc autem nouo opere, noua quoque lituret et contentionum philosophicarum seges Baylio effloruit, quae eum cum Clerico aliisque viris doctis usque ad vitae finem commisit. Rem a Baylianae vitae enarratore fuse expositam ^x et celeberrimo *MOSHÉMIO* ^y quoque tactam paucis sic habet: Reprehenderat Baylius *as ἐν πρᾶξις*, cum de rationibus demonstrandi Dei existentiam ageret, hypothesin celeberrimorum viorum Radulphi Cudworthi et Nehemiae Grewi, dari naturas plasticas siue genetrices, id est naturas immateriales, at brutas actionumque suarum insicias, quae rebus formandis generandisque praefectae sint; et hanc assertionem rationem omnium optimam et euidentissimam demonstrandi Dei, auctoribus licet nec opinantibus nec ad id attendentibus euertere, monuerat, cum quod ab admirabili vniuersi structura ad concludendam inde sapientiae diuinae necessitatem deducitur argumentum ita eneruetur, et atheis hylozoicis, qualem Stratonem Lampacenum esse Cudworthus magno conatu euincere voluit, tela subministrentur, quibus in bonam Dei caussam faeuiant. Sequi enim inde, formationem rerum omnium, licet optimam et elegansissimam, posse tamen a causa irrationali proficiisci, mundumque ipsum coecam aliquam caussam parentem agnoscere. Placere sibi hypothesin naturarum plasticarum significauerat Clericus, cum in *Bibliotheca selecta* compendium systematis intellectualis Cudworthiani dedisset. Suam ergo rem in ea controversia verti, et se a Baylio impeti ratus, atque maligne suspectam reddivirorum summorum Cudworthi et Grewi religionem indignatus, ad obiectiones Baylii respondit, et corrumpi eorum hypothesin ac falso referri conquestus est, monens, nihil ab his naturis plasticis causae atheistorum accedere, cum eae a Deo conditae istisque viribus instrumentae supponantur, quae maxime rationalem et sapientissimam caussam, rerumque omnium architectum euincant; cum autem illis velut instrumentis tantum vti innuant, adeoque rem omnem tamen pro causa Dei in vado esse. Non tacuit Baylius, sed confessus, nihil se virorum laudatissimo-

Ffff 2

rum

u) Reponse aux questions d'un Prouincial.
Vid. Lettr. CCX. p. 808. CCXXI. p. 851.

spondit Baylius Hist. des Ouvrages des Savans
1704. Mai. p. 200 seqq. w) 1705.

v) 1715. Multas tamen reprehensiones carere
fundamento Teissierius contendit, ad quod re-

x) p. 86 seqq. y) Ad Syst. intellect.
Cudworth. p. 150. et in praefatione.

rum orthodoxiae detrahere, cum haec ipsis hypothesis non propria sit, sed omnibus fere philosophis, exceptis Cartesianis, communis; vrgere vero se hoc potissimum, ait, quod nexus ratiocinii, quod a structura rerum rationaliter et sapienter ordinata ad euincendam caussae summe rationalis et sapientis necessitatem ducitur, desideretur, sequi enim contrarium ex ista hypothesi, nempe non esse inter effectum istum et causam nexus necessarium, sed dari posse naturas quamvis brutas et irrationales, licet ab ente maxime rationali productas, quarum naturae conueniens sit, effectus rationales producere. Non detinebimus Lectorem enarratione controversiae totius, quae mutuis exceptionibus et responsionibus diu agitata est, cum longius ea a nostro instituto recedat, monemus tantum, Clericum conquestum esse, non recte comprehendisse Baylum mentem Cudworthi, qui has naturas a caussae rationalis et diuinae fonte, influxu et regimine non separauerit; Baylum autem Clerico obiecisse, mutari saepiuscule statum controversiae, nec ad id satis attendi, de quo inter eos lis ista intercedebat. Tandem edita *Tertia parte Responsionum ad Quæstiones prouincialis cuiusdam*^{z)}, obiectiones omnes uno fasce comprehendit, et Clerici phalangi opposuit Baylius. Nec ab hac pugna intacti mansere alii viri docti, nam difficultatibus a Baylio excitatis respondere quoque fategit illustrissimus Dublinensium archiepiscopus KINGIVS, cui acutissimam tractationem *de Origine mali* debemus. Alios quoque eo tempore antagonistas Baylius expertus est. Vir enim clarissimus I. BERNARDVS, cui *Nova literaria*^{a)} debemus, displicere sibi ea prodidit, quae de arguento pro existentia DEI demonstranda a consensu gentium petitio scripsierat Baylius. Doctissimus IAQUELOTIVS quoque, cuius dissertationem de *Existentia Dei* reprehenderat Baylius, obiectionibus eius satisfacere conatus est, edita tractatione Gallice scripta *de Concordia fidei et rationis*^{b)}. His vero, qui in aciem processerant omnibus in ista *Continuacione responsionum ad quæstiones prouincialis cuiusdam*, suas copias opposuit, et reprimere eorum impetum studuit. Pugnae tamen genere mutato, hypothesis Origenianam dimisit Clericus, et recta fronte Baylum adortus est^{c)}, qui cum ne sic quidem cederet, et ad academiæ cuiusdam arbitrium prouocaret, alienum ab ea voluntate animum Clerici deprehendit, postularitem, ut orthodoxiae testimonium ab academiæ aliquius doctoribus proferret. Non laffatus est ista pertinaci pugna Baylius, sed confictis *inter Maximum et Themistium dialogis*^{d)}, Clerico nouas rationes obiecit, quarta vero *Responsionum ad Quæstiones Prouincialis cuiusdam* parte Bernardo satisfecit. In dialogis istis autem Iurieo quoque et Iaquelotio ita respondit, ut quam alias seruare nouerat animi moderationem fere amitteret, et videretur aculeis paulo armator^{e)}. Et hac quidem

z) 1705.

a) Nouvelles de la republique des Lettres.

b) Conformité de la foi avec la raison.

c) DES MAIZEAUX p. 90. WOLF. de Mani-

chaeismo seq. III. p. 348. FABR. Syll. script. de V. R. C. c. 15. p. 383. STOLL. Intr. in Hist. liter. P.

II. c. 3. §. 31. p. 490 sqq.

d) Entretiens de Maxime et Themiste.

e) BASNAGE I. C.

quidem ratione vltimis vitae temporibus Baylio cum aduersariis doctis et grauibus concertandum fuit, sensitque eorum, iudice Basnagio, fortissimos Iaquelotum et Clericum. Cum autem omnium maxime ferueret bellum illud philosophicum, et incerta adhuc victoria esset, quod neutra pars pedem referret, inopinata mors dimicantem et strenue aduersarios repellentem Baylum opprescit. Et semestri quidem ante vltima fata peretus sensit praegrauatum, et tussi impetum, quam sequebatur febris lenta, vires corpusculi laboribus et dimicationibus quoque attenuati sensim comminuens atterensque, nihil tamen inexpugnabilis diligentiae vir vere que *χαλκέτερος* illud sanitatis dispendium sibi officere passus est, nec remedia malo serpenti opposuit, cum haereditarium et insanabile esse crederet. Ita scribens et laborans IV Cal. Ian. anni MDCCVI aetatis LIX, subitanea morte rebus mortalium litibusque omnibus subtractus est. Nec defuerunt, qui Clerico crederent, cauillanti ^f, eum refutationi sui et Iaquelotii intentum adeo ira commotum exarduisse, vt nimia corpusculi teneris et febris insultibus fracti commotione rupto vase pectoris quodam perierit, aliter vero mortis eius circumstantias philosopho digniores narrant Basnagijs et Des Maizeaux, qui videndi. Quemadmodum autem viuus *ἐν Φηγίαις* et *δυσΦηγίαις* Baylius inclarerat, ita diuersis quoque et valde contrariis sententiis de obitu eius iudicatum est. Nonnulli enim viri docti pii que ^{ff} valde doluerunt, subito auocatum fuisse ad tribunal aeternitatis Baylum, cum mente et calamo occupatus fuisse in defendenda causa pessima, atque prosequenda rixa amarulentissima, neglecto memorabili paroxismo antecedente, quo de instantibus fatis vltimis monitus fit. Illustris autem LEIBNIZIVS ^g allatis Lutheri verbis de referuato academie coelesti praedefinitionis mysterio, ob voluntatis bonitatem Baylum lumine isto aeterno collufrari iam atque circumdari, more suo, vt erat aequissimus et bene sperabat, professus est, saltem humaniter et moderate cum Baylli manibus agendum esse censuit ^h. Inter quos limites vtinam constitisset, leuitatis pudendae laudator, qui *viros magnos* nobis enarravit, qui *iocando ludendoque vltima fata subierunt* ⁱ, et hoc pacto maximam animi leuitatem contra mortis horrorem commendare voluit: is enim inter illos heroës, quibus futurae vitae cura nulla fuit, Baylum quoque referre non erubuit, ratus, iungi illum Pyrrhoni posse, qui simile institutum per totam vitam gnauiter vrsferat. Quo pacto suspicionem obitus parum Christiani, contra Baylum haud leuiter auxit. Nobis a definienda sententia eo magis abstinentendum esse videtur, quo magis contra caritatis et modestiae Christianae regulas est, de exitu vitae hominis iudicare, cuius circumstantias non ipsi attente examinauimus. Monendus autem lector est, vt ab iis sibi syrtibus caueat, quibus plerumque naufragium patiuntur, qui

F f f f 3 ad

f) Biblioth. Choisie T. XII. p. 200.

ff) Vid. WEISMANNVS Hist. eccl. T. II. p. 975.

g) Theodiceae dissert. praelim. §. vlt.

h) Hunc scopum Leibnizii fuisse coniicit

STOLLIVS l.c. p. 493.

i) Reflexions sur les grands hommes, qui sont morts en plaisantant p. 38 seqq.

ad deuia se humanae eruditionis, quamuis magnae et acuminis laude celebratissimae, abusu seduci patiuntur. Ereptum sibi autem Baylium acerbe luxit orbis literarius, non sine desiderio scriptorum eius. Id quod occasionem dedit et λειψανα tanti viri colligendi, et opera eius omnia recusa vulgandi ^k. Imprimis de amico suo bene se merere posse et eruditis gratam simul praestare operam censuerunt amici, si epistolas eius magna rerum ad literas spectantium copia refertas edidissent. Duplex huiusmodi epistolarum Baylianarum collectio extat. Primam debemus PROSPERO MARCHANDIO, qui annotationes adiecit, et indice utili auxit, Roterodami MDCCXII ^l. Acceperat has epistolas Bayianas Marchandius a Petro des Maizeaux, qui mutatas, truncatas et leuis generis notis oneratas magis quam ornatias esse, multa quoque iniuriose dicta infarta conque-rebatur ^m, ideoque nouam editionem vulgabat editam Amstelodami MDCCXXIX. Respondit tamen ad obiecta Marchandius, et nihil se fine illius voluntate omisisse, pleraque illius autem suis obseruationibus ex sua penu subministratis deberi testatus, priuatam tantum indignationem, ob non totum aere redemptum exemplar misc. eum in suam editionem armatisse, professus est ⁿ.

*Character
Baylii.*

§. XVII. Brevis haec Bayiana vitae historia, ex prolixis virorum doctorum commentariis ipsisque eius scriptis collecta, imaginem Baylian*i* ingenii animique depingere et characteres virtutum vitorumque eius describere, qualemque philosophum egerit, docere sine negotio potest, praesertim si illi quoque consulantur, qui animum illi infensum non fouerunt. Iurieum enim, Clericum, Poiretum, Iaquelotium aliquo*s* eius aduersarios iniquo eum penicillo adumbrantes non audiendos esse, aequitas postulat, quae ea in re preferendos esse praeter biographum, Basnagium, Leibnizium similesque recte dictitat. Habuisse autem Baylium, si naturae munera animo abundantissime concessa consideres, paucos sibi similares, superiore fere neminem, aequus rerum arbiter lubens pronuntiauerit. Vtebatur enim iudicio acerrimo, tanta acrimonia in nexus rerum et ratiociniorum fundamenta penetrante, tanta perspicacia principiorum et conclusionum inter se cohaerentium vincula contemplante, ut quo vel robore vel infirmitate cuncta stent cadantque, promte accurateque inteligeret. Eandem vero vim iudicandi demonstrauit, vbi vel ipse ratiocinando aliquid confirmare, vel obiectiōibus conuellere constituisset, in quo miram viri docti acrimoniā merito miramur. His vero imaginationis ea virtus accessit, quae vt miris omnia coloribus pingere, et insolita felicitate apte connectere nouerat, adeo vt viuas imagines lectori plerumque offerret, ita imprimis in inueniendis rationibus, praesertim si difficultatibus obiciendis se accinxisset, miram foecunditatem referebat. Inde factum,

k) IV. Vol. fol. Haga Com. 1725 - 1731. Vid.
Act. Erud. Germ. P. C VI. art. 2.
l) Vid. Act. Erud. 1714. p. 441. Memoires de

Trevoix 1715. Fevr. art. 3.
m) Vita Baylii p. 100.
n) Journal littéraire T. XII. P. II. art. 12.

Etum, ut cum mille dubia ex dubiis nechteret, cuncta tamen non ordine tantum enumeraret, sed eo quoque loco poneret, istisque circumstantiis vestiret, quibus lector facile irretiri, et non nisi cautissimus quisque istis retribus se extricare posset. Innumeris vero elegantias cogitationum mire cohaerentium et sermonis delicatam quandam verborum seriem seruantis suppeditabat ingenii Baylii amoena, sic ut miris illecebris et vi quandam in lectoris animum mox irruente mox illabente et cum suauitate quandam se insinuante scripta celeberrimi viri vniuerso orbi literario, et illiteratis quoque se commendauerint. Cuius-luculentum testimonium est, quod *Dictionarium Historico-Criticum* rara operum ingentium et carissimorum felicitate aliquoties editum sit^o, et lectores repererit innumeros. Praeter istas vero naturae dotes magna quoque Baylio inerat doctrinae copia, per omnes fere disciplinarum partes diffusa, et imprimis philosophiae, tum Aristotelico-Scholaisticae, tum recentioris peritissima, porro lectionis vastissimae copia, qua ex omni scriptorum genere, maxime recentiorum (veteres enim parcus attigerat^p), magno iudicio et felicissima memoriae fidelitate collegit, digesit, et in usus suos adhibuit, quicquid elegantiarum, quicquid observationum memoratu dignarum, quicquid circumstantiarum singularium paucisque notarum deprehenderat. Quibus omnibus cum inexpugnabilis improbi laboris patientia, et constantia accessisset, mirum non est, Baylium inter summa seculi nostri ornamenta fuisse relatum. Quod ad animi virtutes attinet, valde extollunt, qui eum intus nouerunt honestatem animi, inferuendi promptitudinem, temperantiam, ambitionis et iactantiae fugam, eamque recti amantissimam indolem, quae ab avaritiae, calumniarum, morumque paedagogicorum sordibus plane immunis fuerit, et amicitiae dulcedine et sinceritate, amicis, quibusunque autem posset, ne aduersariis quidem exceptis, aequitate se probaret. Quae ut omni laude digna sunt, ita maximopere optandum, ut in tanto viro ea reprehendi non possent, quae memoriam eius tot meritis coruscantem non immerito obscurasque censemur. Totam enim eius vitae historiam accurate perpendenti, et scripta eius quoque attente et cum cura legenti patebit, virum summum, cum timorem et reverentiam Numinis, qui cardo actionum omnium viri sapientis et philosophi esse debet, negligisset; et animi sui tot dotibus instructi magnitudini nimium tribueret, sibi suisque viribus relictum in periculosos labyrinthos multoties deuiasse. Non disquiremus prolixe, vtrum verum sit, quod ἐγκωμιασται Baylii perhibent, in tota eum vita sua honestatem et virtutem expressisse, et nulla

in

^{o)} Editiones viuo Baylio excusas iam memoriavimus. Et Roterdamensem et Amstelodamensem commandant elegantia et nitor. De his vero editionibus inter Maflonium et Marchandium, quorum ille huic interpolationem obicit, litigatum est. Vid. Journ. lit. T. VIII. P. I. art. 9. Innocentem autem esse Marchandium agnouerunt CLERICVS Bibl. anc. et mod. T. VI. P. I.

art. 2. et BERNARD. Nouv. de la R. L. 1716.
Sept. art. 4.

^{p)} Eis specimina complura in nostra tractatione attigimus. Sed in Historia Literaria recentiori quoque eum saepe lapsum esse CEL. REIMMANN. in Disq. Critica Halae 1711. vernacula edita, demonstrauit.

in re a rationis et prudentiae vel temperantiae regulis recessisse, ita vero vixisse, vt ne locus quidem suspicioni datus sit, principiorum et axiomatum detestabilium virus eum clanculum aluisse. Concedemus haec viris doctis et amicorum eius fidei tantum tribuemus, vt hos eum characteres externos retulisse satis certe dici queat. Nos autem, qui ex scriptis eum tantum nouimus, eo tutius iudicari posse ex hoc indice persuasissimi sumus, quo luculentius scriptorum indoles inclinationes animi latentes prodere solet. Haec autem intuentibus, nisi nos omnis fallit attentio, manifestum est, in id omnes contulisse virum acutissimum ingenii atque eruditionis vires, vt omnia incertitudine repleret, et certissima humani intellectus fundamenta, non corrasis, vt Sceptici alii solent, miseris ratiunculis et leuis notae sophismatibus, sed ratiociniis vim ingenii summam prodentibus conuelleret, et sic Pyrrhonismum summo, quod illi conciliari potest, robore suffultum in aciem produceret, vt cuncta, quae ipsi displicebant, euerteret. Quae ferri minore dolore possent, si intra humarum rerum limites substitissent; ast tantum virum in id omnia Scepticismi tela conuertisse, et in eo ingeniosissimum fuisse, vt insuperabiles nodos contra diuinias veritates necereret, eaque dubiorum retia tenderet, quae non nisi cautissimi et exercitatissimi euadunt, animis vero ad peruersas inclinationes firmandas, excusandas augendas pronis arma subministrasse, quibus aggredi pietatis moenia impietas solet, id non satis deplorari posse existimamus. Et fatemur quidem, vt aequo iudicio in historia Baylii versemur, nimios esse, qui inter atheos Baylum referunt^{q)}, id quod praeter Iurieum, Clericum, Iaquelotum aliasque, qui inimicis signis in Baylum insurrexerunt, peculiari dissertatione sibi demonstrandum sumvit **P E T R U S POIRETUS**^{r)}, caussatus, dicis gratia tantum Baylum Spinozae impietatem refutasse, et magis confirmauisse, quam destruxisse; mysteria religionis Christianae autem perniciose Scepticismo prorsus eneruasse. Quamquam enim hoc negari non potest, falso tamen illud Baylio imputatur, qui et fassus est amicis, et haud uno loco Dictionarii^{s)} prodidit, se nullatenus de hoc primo omnium axiomate dubitare: esse Deum. Neque ea, quae contra Spinozam disputauit, ita comparata sunt, vt simulatam pugnam referant, sed satis fortiter tela Spinoistica retundunt, licet cum principiis Poiretianis toto coelo diuersis non conspirent. Verum valde dubitamus, an certam dogmatum Christianorum fidem Baylius habuerit, qui in pueritia lectis innumeris eristicorum scriptorum disceptationibus illud fluctuationis mare ingressus est, in quo pedem figere non posset. Sane sine hac animi incertitudine vix nobis periuademus fieri potuisse, vt ad Romanensium castra iterata vice transitum meditaretur, et maligno illo libello rebus afflictis ecclesiae, cuius publicam fidei professionem sequebatur,

q) Conf. **BUDDEVS** Thes. de Atheismo c. 1. §. 24. p. 156. REIMM. Hist. atheism. Scđt. III. c. 5. §. 28. p. 426. WEISMANN. Hist. eccl. T. II. p. 1352.
r) Loco supra citato.

s) Vid. Art. Maldonat. not. vlt. art. Zabarella not. F. conf. Memoires litteraires de la grande Bretagne T. II. art. 5. p. 485. Bibl. Angloise T. VII. p. 477.

tur, acerbe illuderet. Nec diffitemur, quamvis atheismum ipse non professus sit, frigidam tamen impiae genti suffudisse. Cuius, nisi fallimur, luculentum exemplum dedit, contendendo obiectiones Manichaeorum, licet a priori absurdas esse constet, a posteriori tamen, ut loqui amant, refutari haud posse. Maxime vero atro lapillo philosophus Roterodamensis notandus est, quod machinis Scepticis ipsa veritatis Christianae propugnacula et adoranda mysteria, quibus nihil sanctius et inuiolabilius homini Christiano esse debet, abortus sit, eaque dubia obiecerit, quae non satis confirmatis veritatem sanctissimae religionis nostrae in dubium vocare aptissima sunt. Non id exemplis demonstrabimus, cum in *Dictionario* multis ea locis occurrant ^f, et ad hanc nostram tractationem non pertinent, viri autem docti nefandam Baylii audaciam in apricum protulerint, et qui eleganter in hoc argumento versatus est, celeberrimus P F A F F I - v s ^g cuncta mira eruditione illustrauerit, suisque denudata praefidiis euerterit. Id vero tangendum est, hanc potissimum excusationem attulisse Baylium ^h, non se mysteria reuelata euerfa cupere, quorum certa fides ex reuelantis auctoritate constet, sed ostendere tantum velle, incomprehensibilia ea rationi esse, eiusque principiis et axiomatibus prorsus contraria, adeoque captiuandam rationem nimis angustam, incertam, ambiguam sub obsequium fidei. Quod etsi definire nolumus, vtrum serio statuerit Baylius, quod soli *καρδιογνώση* notum est: certum tamen est, Baylium hac incertitudine, ea ipsa principia confellere aggressum fuisse, quibus omnis reuelationis et diuinae fidei certitudo nititur, vel faltem quibus aduersus impiorum cohortes ea potest defendi. Deinde dolendum quoque haud parum est, tot obscoenis narratiunculis, nefandos in lectorum, maxime iuuenum incautorum, animis igniculos et impuras flamas accendere aptis, dictieriis falsis et iucundis at modestiae Christianae severitatem ex mente eiicientibus et philosophum Christi disciplinam profitentem minime decentibus scripta sua, et praecipue, quod in omnium manibus est, *Dictionarium* suum contaminasse. Legimus diligenter et sine partis studio, quae pro hac licentia scribendi excusanda pingendaque magna eloquentiae contentionе attulit Baylius, at fatemur, Baylium nos acutum videntem desiderauisse, et vix fidem habuisse oculis nostris, virum tanti acuminis tam friuolas ratiunculas, et inanes aranearum telas ad hanc nuditatem suam tegendam adhibuisse, quae vel a mediocriter moralis sapientiae perito detegi possunt. Quis enim in tam accuratae eruditionis viro ferat, detestabilem diligentiam veterum et recentiorum lasciviam et petulantiam colligendi, et verbis mellitis ac iucundissimis incautis lectoribus propinandi, exemplis veterum nouorumque sciptorum incaute in ea parte versatorum excusari? quasi nesciuisset Baylius, qua erat perspicacia, verborum

f) Vnum art. Pyrrh. legenti res erit manifesta.
g) Tribus dissertationibus Anti-Baelianis.

t) In Illustrationibus, vbi pec. capite de obiectione sibi Pyrrhonismo agit.

borum obscoenitatem nihil ad veritatem conferre, eamque nudam quoque esse castissimam. Quae omnia satis probant, caruisse virum eruditissimum vera Numinis reuerentia, sine qua friget animus incontinens, et ad erraticos ignes diuertitur. Ceterum facile credimus amicis eius fidem nobis facientibus caste et continenter eum, licet coelibem, vixisse, nec illubenter in eam fententiam concedimus, fabulam sapere satis popularem, quod nonnemo tradidit^u, inimicitiae inter Baylum et Iurieum tot annis flagrantis flamas ignes Baylianos thoro theologi molestos accendisse. Ast si continenter vixit, quo quaeso scopo a modestia scriptoris Christiani homo si non Christianus, certe philosophus, isque magnae existimationis discedere maluit?

*Scepticismus
Baylii.*

§. XVIII. Ex dictis sole meridiano clarius patere existimamus, iure suo Petrum Baylum inter Scepticos recentiores relatum, et summum in hac philosophorum cohorte locum illi tributum esse. Id enim in ipsa iam adolescentia egisse, huius semina ex horreis Michaëlis Montani accepisse, iis fluctibus iactatum ad alienos coetus defecisse, has partes iuuenem velut optimas commendasse, ad hanc metam viri omni iudicii robore instructi studium collineasse, et hanc Venerem illi innumera dubia suggestissime larga manu vbique dispersa, in antecedentibus dignis fide testimonii docuimus. Et id tota disputandi et in inumeros anfractus lectores seducendi consuetudo et ratio, quae vbique in scriptis eius elucet, comprobat. Non alio testimonio opus est, quam ipsius Baylii, qui haud vno loco omnem philosophiam et rationis usum condemnat. Scribit enim^v: „Nemo est, „qui dum ratione vtitur, peculiari Dei auxilio et contactu non opus ha- „beat: fine eo enim illa seductrix magis, quam dux est, compararique „philosophia potest cum medicaminibus corrosiuis, quae vbi vulneris pu- „tredinem consumferunt, sanam quoque carnem arrodunt, et ad ossa vs- „que depascunt. Nam refutat philosophia quidem errores, verum nisi „hic pedem figamus, ipsas veritates aggreditur, et si illi obtemperatur, „vt genio indulgere possit suo, ita in praeceps abripitur, vt, quo loco sit „ipsa nesciat, et quibus fidem habere possit, non inueniat. Id quod im- „becillitati intellectus humani tribuendum est, et viribus iactatis vanissi- „me at male adhibitis. Bonum autem, vel potius prouidentiae diuinae „decretis sapientissimis tribuendum, quod pauci homines in has syrtes „incidere, (nempe ob defectum iudicii et ignorantiam) valeant“.

Quibus an atrocior in philosophiam iniuria excogitari et impudentior pro Scepticismo apologia scribi possit, dubii haeremus. Et similia quidem passim suggerit, ac ne leui suspicione ea dixisse videatur, ipse exemplum praeceundo, rationem vbi potest rationi opponit, et in eos lectorem labyrinthos ducit, ex quibus ne filo quidem Ariadneo eluctare plerisque licet. Nempe Penelopes telis similem rationem putat tela ea noctu fol- uentis,

u) Vid. not. (f).

v) Dict. art. Acosta, not. F.

uentis, quae texere interdiu cooperat, et erroneous ignes sugerere statuit, quibus seducitur incautum genus mortalium. Probe vidit Baylius, detestabilem hunc esse Pyrrhonismi vultum et deformitatem suam nimis prodere. Ut itaque eum pingeret, alio duce opus esse statuit, nempe reuelationis lumine, et hac ratione magnifice iactat, quam utilitatem ex Scepticismo religio capiat. Nec is solus est, qui ita praecipit, similia enim Vayerium et Huetium monuisse supra dictum est. Ast quod hi ecclesiae suae auctoritati velificantes dixerunt, eodem scopo scripsisse Baylium nemo facile crediderit, qui hominum fidem et auctoritatem toties in religionis negotio derisit. Vtrum vero oraculorum sacrorum definitionibus sine contradictione, et non obstantibus rationis et philosophiae obiectionibus acquiescendum, et coeco obsequio parendum esse ex animo statuerit, prudenti lectori, quibus machinis in incertos sensus sacrarum paginarum effata haud raro detorqueat, consideranti expendendum relinquimus. Certe valde suspectum facit Baylium, si verum est, quod Cel. Pfaffio ^{w)} narravit Basnagijs, inter defuncti schadas repertas esse obiectiones confignatas contra diuinam prouidentiam. Sed ponamus, hunc rationis humiliandae scopum intendisse Baylium, an ferendum in viro philosophiae praceptis accurate imbuто, ipsa formalia rationis principia, fine quibus nihil vel diuini vel humani cognosci potest, lubricis dubiis euerti? et annon periculi plena alea est, a tanti ingenii et acuminis viro, qui in arte dubitandi parem non habuit, ipsi rationi apertum bellum indici? Quae omnia uno fascie collectae vbi comprehendimus et accurate meditatione expendimus, lubentes fidem damus, S. Reu. PFAFFII narrationi, Baylium de Scepticismo suo ipsum incertum fuisse, ratum, nimis multa se scire, quam ut illi nomen dare totus possit, et nimis pauca scire, ut ex his fluctibus possit emergere. Itaque recte fecisse censendi sunt viri docti, qui Pyrrhonismi eum accusarunt, laudandaque diligentia celeberrimi CROVS AZI, qui ad hunc Baylii Scepticismum euertendum eruditionis et iudicii, quo pollet, vires adhibuit ^{x)}. Nec illi frustra egisse, sed caussae optimae egregie inferuiisse censendi sunt, qui subdola tela viri cetera eruditissimi accurata responsione etiam post mortem retuderunt: Inter quos eminet illustris LEIBNIZIVS, qui in celebratissimo Theodiceae opere obiectionibus Baylii ex Manichaeorum schola petitis noua hypothesi vsus respondit. Quod pari ratione fecerunt Perogierius, Gaudinus, Iacobus Saurinus, Durandus, Blackmorius, Naudaeus, Clarkius, Hauteuillaeus, Buddeus, Pfaffius, Bulsingerus, alii. Et haec quidem Baylianae philosophiae facies est, hic foetus viri inter maxima aetatis nostrae ornamenta et portenta ingeniorum numerati. Cuius imagini, parum feliciter effictae hoc subiecit elogium Cl. Moneta:

*Baylius hic ille est, cuius dum scripta vigebunt,
Lis erit, oblectent erudiantue magis?*

G g g 2

S. XIX.

w) Diff. Antibaeliana I. p. 5.

x) In Examine Pyrrhonismi, Gallica lingua edito.

Observationes criticae de Scepticismo recentiorum.

§. XIX. Quid de hac Scepticorum schola sentendum sit, qua indole gaudeat, quibus se characteribus prodat, quibus ex caussis exorta sit, vnde incrementa defumserit, quem euentum fortita sit, quibus incommode philosophiam presserit, et quae alia quamplurima sunt, quae de Scepticismo tractantibus occurrere solent, si accurate persequi vellemus, magna nobis amplissimae dissertationis succresceret materia, nec inutilis nec iniucunda, et quae observationibus haud contemnendis posset illustrari. Verum haec quamvis utilissima a scopo et instituto nostro remota sunt, et ad artis rationalis praecepta, quae hostibus rationis opponuntur, pertinent, a viris doctis autem, ad quos supra ex parte prouocauimus, accurate ita tradita sunt, vt hic intellectus humani morbus satis dignosci possit. Nobis intra limites historiae subsistentibus sufficiat, paucas quasdam more nostro observationes ad formandum rectum de hoc philosophandi genere, iudicium adducere, quae ex ipsa horum philosophorum historia nobis enatae sunt, ea vero consulere simul iubemus, quae initio huius capituli, de Scepticismo eiusque variis generibus diximus. Et quidem

I. Varias Scepticorum classes esse, supra iam obseruauimus, et ex narratione Scepticismi recentioris est manifestissimum. Ut taceamus enim, non exiguum esse discrimen ratione disciplinarum philosophicarum, quibus dubitandi artem inducit humani ingenii peruersitas, ut supra satis luculenter demonstratum: ipse potissimum scopus Scepticorum, caussaque, quae commouit viros doctos, ut ad hoc dubitationis et incertitudinis asylum confugerent, diuersissimos nobis Pyrrhonismi vultus confinxit: quae res, operae pretium est, ut paulo accuratius explicetur. Nempe fuere inter viros eruditos nonnulli, nec mente adeo mala corrupti, nec prauis animi praeiudiciis in praeceps ita acti, ut in perniciem rationis, et simul omnis honestatis, pietatis et religionis coniurarent: at qui vel tantas intellectus vires non possidebant, quibus hostium religionis arma retundere possent, vel experti nouerant, illud ecclesiae, cuius decretis affixi detinebantur, patrocinium, artis ratiocinandi vel philosophiae auxilio acquiri non posse, quod extra teli iactum illas partes poneret, et victoriam promitteret indubitatam. Viam itaque certissimam et breuissimam esse rati sunt, si confirmata et assumta rationis humanae infirmitate, et innumeris eius dubiis, atque fluctuantis opinionis ambagibus productis in medium et quantum possent, exaggeratis, totam aduersariorum pharetram confringerent, et spicula formidolosorum istorum telorum deiicerent. Nempe sibi persuadebant, fore, ut qui rationibus ante fortissimis pugnauissent, et opiniones suas erroneas roborauiissent, ita non haberent, ex quo arma contra dogmata ecclesiae desumerent. Coactum enim iri, ab oppugnatione terrae alienae ad defendenda propria latifundia recurrere, et ecclesiae propugnatores liberos dimittere. Nec hoc vnum emolumentum esse putabant, sed credebant quoque, demonstrata humanae rationis incertitudine et intellectus imbecillitate, conuictum iri dissentientes aduersarios, alium iudicem, aliud-

aliudque certitudinis fundamentum necessarium esse, nempe reuelationis fidem; et, cum ea nullo intellectus humani criterio possit dignosci, audiendam esse ecclesiae vocem, et obsequium illi sine examine praemissum esse praestandum, adeoque ad amplectenda eius decreta animum aduentendum, illum autem iudicem agnoscendum, qui ecclesiae nomine definiendi sibi ius arrogauerit. Diu est, ex quo iam hanc Scepticismi viam ingressi sunt, theologi nonnulli Romanae ecclesiae addictissimi. Certe hanc potissimum rationem ad vertendum *SEXTI EMPIRICI* opus *aduersus mathematicos* se commouisse iactat *GENTIANVS HERVETVS*, in *Dedicatione ad Carolum cardinalem Lotharingum* scribens: „Mihi „persuasum, hunc vel maxime ex eo fructum esse capiendum, quod cum „aperte ostendat, nullam esse apud homines adeo recte constitutam „disciplinam, quae non labefactari, nullam adeo certam scientiam, „quae constare possit, si rationum et argumentorum oppugnetur ma- „chinis, futurum sit, ut humanas leuiter praeteruecti scientias, „quae inflant, non aedificant, nos ad Christianorum propriam con- „feramus disciplinam ac scientiam, nempe ut fidem habentes a Chri- „sto nobis factae reuelationi, et promissorum bonorum spe innitentes, „Deique praeceptis parentes charitatem semper teneamus et amplexemur“. Et ut recte id intelligatur, et non ad gentiles modo philosophos, quorum „errores diu desierunt vigere vtile esse credatur, addit: „Hoc cum ad „gentiles et externos philosophos confutandos nobis sit adiumenti pluri- „mum adlaturum, non paruam quoque suppeditabit copiam argumento- „rum aduersus nostri temporis haereticos, qui, quae sunt supra naturam „naturalibus metientes rationibus, quae sola fide percipi et apprehendi „possunt, non intelligunt, quia non credunt. Nam cum quae sunt mere „naturalia, adeo sint ad percipiendum difficilia, ut quaecunque de iis di- „xeris aut cogitaris, facile euertantur: quid mirum, si quae sunt superna- „turalia ingenii humani captum superant? Hoc certe, si nihil aliud Calui- „nistis nostris deberet persuadere, ut simplici verbo Dei credentes, quo- „modo quod ab eo dicitur, fieri possit, Capharnitarum instar minime „inuestigarent. Quod si facerent, non se praecepites darent, in tantum „impietatis barathrum, ut cum ipso Christo temere pugnarent, dum eius „verbis suam derogant dignitatem et efficaciam“. Ex quibus Herueti, ardentzi zelo aliis quoque scriptis contra haereticos insurgentis, verbis clarissimum est, haud leuem auxilii spem harum partium *περιμαχος* contra haereticos posuisse in Scepticismo diligenter adhibito et confirmato. Idem recentiori aetate factum, sed maiori artificio, ne inuisum Sceptici- mi nomen offenderet. Nempe cum de nouis artibus reuocandi haereticos superiori seculo maxime inter Gallos et Germanos esset actum, inter alias quoque methodos, (qua voce nouum pugnae genus insignire placuit) ea quoque nonnullis viris doctis ex coetu Romanenium valde commendata est, quae ostendere conatur, impossibilem esse viam examinis, et unam

G g g 3

aucto-

auctoritatis semitam in eligenda inter Christianos dissentientes sententia sequendam esse. Qua de re quae a Nicolio et Pellissonio, quibus nemo acutius contra Protestantes in aciem processit, disputata fuit Claudio et Iurieo illis acriter se opponentibus, in annalibus ecclesiasticis enarrari solet^z. Cum autem non modo verisimilitudine careat, sed ipsam rationem hominis offendat ista assertio, quae oculorum usum mortalibus eripit, omnino pingenda, ornanda, confirmanda erat: nec aliud auxilium supererat, nisi Scepticismus; quo in philosophiae adyta admisso, prona consequentia fluere videbant astuti thraunes, ereptis armis nuda pectora obuertere debere hostes, ut uno auctoritatis ecclesiae telo iugularentur. Id quod tantum abest, ut celauerit Pellissonius, ut potius postquam ipse abiecta ratione eiusque sententia ad ecclesiac auctoritatem transfugisset, contenderet, aduersarios Romanae ecclesiae aut Scepticismum vniuersalem admittere debere, aut traditioni atque, quae ea nititur, auctoritati ecclesiae collum submittere. Et hunc quoque scopum fuisse Vayerii et imprimis Huettii, supra adeo luculentis rationibus demonstratum est, ut dicta repetere et nouis rationibus confirmare non sit opus. Has autem voces imitatus est nuperus *Historiae Criticae Philosophiae* auctor, declamatorio dicendi generre more suo, superficiariam de Pyrrhonismo veteri tractationem hoc quasi „epiphonemate obsignans^z: „Ars haec dubitandi maxime ingenua et fin- „cera confessio est, imbecillitatis intellectus nostri, et profundae, cui toti im- „mersi sumus ignorantiae. Et quid quaeso utilius efficaciusque ad ingene- „randam nobis erga nostrae mentis lumina diffidentiam? Quid aptius no- „bis ad religionis partes amplectendas commouendis? Illa enim sola non „decipit, et fallere quoque potest neminem“. Quae quo scopo ab auctore dicta sint, nemo non intelligit.

II. Ut autem nihil est inter homines, quod non ad diuersos et saepe ad contrarios usus adhibere potest humani ingenii audacia: ita cum Scepticismo quoque factum; aliud enim hominum genus extitit, quod cum pati non posset, luxurianti et ad pessima quaevis degeneranti animo frena a Christianae legis severitate iniici, et a reuelata religione in ordinem cogi; occasione mysteriorum rationis angustias superantium ad Scepticismum confudit, ut his machinis religionis reuelatae moenia deiceret. Ita enim satis commode et tuto impietati velificare licebat. Quae cum aperto Marte sacris religionis reuelatae mysteriis bellum indicere non auderet, eo quod legum metus obstaret: per latus confodiendam esse religionem statuebat, et aptissimum ei pugnae generi telum in Scepticismo inueniebat. Eo enim adhibito non opus erat, veneranda doctrinae capita punienda audacia arrodere, sed sufficiebat ea contra illa dubia afferre, hancque incertitudinis

y) Reple vero obseruatum P. BAYLIO Diſ. T. III. art. Nicolée not. C. p. 502, viam auctoritatis non esse remedium contra Scepticismum, sed eius parentem, cum longe maioribus dubiis sit exposita

quam via examinis. conf. Bibl. vniuers. T. IX. p. 105. LA PLACETTE de Scepticismo ecclesiae Romanae.
z) T. II. p. 368. conf. p. 400 seq.

dinis arenam ingredi, qua euinci posset, nihil esse in ratione, eiusque principiis, quod non reuelationis assertiones euerteret omnemque mysteriorum rationem eneruaret. Ast vt non obstante maximo, quod ex hac aggressione religioni metuendum est, periculo sine metu in insidiis latenter, induendus erat Scepticismus colore pio; ideo professi sunt vaferrii homines, prorsus ineptam esse rationem, quaeque ex recto eius vsu enascitur philosophiam ad agnoscendas istas veritates, vbique eam coecutire, nec habere, vnde certa esse de diuinis istis veritatibus possit. Obsequium itaque fidei sine rationis vsu praestandum esse, et eam triumphos agere debere captiua ducta subiugataque intellectus humani iudicandi acie. Nil ita caussae suae nocuit gens impia, licet incautis persuaderet, maxime ipsos pro caussa et gloria Dei et religionis pugnare. Probe enim videbant, plurimum victoriae iam se adeptos esse, si euicissent, esse in dogmatibus Christianae religionis *αριστα*, nulla rationis ope sananda, et destitu hominem criteriis illis, quibus veritas reuelationis dignosci debet. Nam hac ratione facile erat, de his semel perfusos eo adducere, vt credant, omnem plane reuelationem esse velut falsam et apertis absurditatibus refertam reiiciendam. Non legisse oportet eum Collini, Tolandi, et similium nugas, qui ignorat, has infidias Scepticismum religioni struxisse *. Et huic quoque, si plerosque audis, classi Scepticorum adnumerandus est Petrus Baylius.

III. Cae vero credas, Lector, vel pietatem Scepticismum dictitasse, et reuerentiam reuelationi debitam, vel animi modestiam eum preecepisse. Ab hac enim meta tota ista hominum improborum natio aberrat longissime, quae ita iudicandi aciem, rationis excellentissimum usum, praeiudiciorum agnitionem et inspectionem, et vt verbo absoluamus, maximam intellectus vim et perfectionem se possidere solam autumat, vt sibi vni fortitudinis gloriam in debellandis vulgi opinionibus vindicet, alias reuelationi pretium, quod par est, tribuentes, inter vulgaria et exilia ingenia referat. Sed loquendum ita erat, ne in leges publicas, quae a contentu sanctissimam religionem vindicant, peccasse viderentur, haberent autem, quibus a seuera ista, quae immoderatis praui animi affectibus extirpandis tota destinata est, doctrina liberarentur. Nam abiepto hunc in modum religionis iugo, quod in finu deridebant, velut ineptum, contradictionibus et vulgi praeiudicis refertum, et a magnis huiusmodi viris non ferendum; rationis quoque et conscientiae stimulis velut incertis et nullo vero fundamento nixis, electis et eiuratis facile erat, fine labore, angore metue corrupti animi per innumera deuia ad cupiditates ineptas malasque grassantis inclinationem sequi, et ita contra religionem, contra conscientiam, et ipsam honestatem ambitiosum et ignavum munire animum. Quo fructu Scepticismi nihil potest esse pestilentius.

IV. Non

*) Conf. DE CROVSAZ de la liberté de penser p. 68.

IV. Non tamen omnes, qui Scepticismo nostra aetate adhaeserunt, tam venenatos huius mali fontes fuisse, vt credamus, aequitas postulat. Nempe inuenti sunt quidam, qui cum voluntate satis recta instigarentur, intellectus tamen vires illi pares et sufficientes nae*cti* haud sunt. Cum enim vel natura hebetiores in soluendis difficultatibus, quae in inquirenda veritate occurunt, essent, vel neglecta animi cultura matura sobriam ratiocinandi artem non recte didicissent, nec nosset vera a falsis, certa ab incertis et verosimilia iuxta gradus fidei discernere, sicque cognitioni humani intellectus modum ponere, non potuere non fieri tandem incertissimi, quo pacto omnino in huiusmodi conflictibus cum Pyrrhonismo ipsis erat succumbendum dandaeque manus victae. Et hac quidem ratione Scepticismum de Huetio primo triumphasse, supra obseruauimus.

V. Alii rationis quidem acerrime iudicantis viribus destituti haud fure, ast ambitio animi suis dotibus se efferentis effecit, vt, cum plurimum illi ingenii excellentiae tribuerent, vbi cunque possent, excogitatis innumeris dubiis et ratiociniis veritatibus euidentissimis obiectis demonstrare cuperent, quanta ingenii vi pollerent, et supra alios eminerent. Quod vbi semel iterumque factum erat, et plausum imperitorum laudesque acuminis insoliti comparauerat, ita honoris cupidos inflammauit, vt in hac potissimum arte se exercerent: quam, cum ingenium supra modo felix nae*cti* mire didicissent, vsu et exercitatione quotidiana euenit, vt consuetudo haec in naturam transiret, et semper occurreret intellectui ad necandas et excogitandas difficultates assueto, de quo dubitaret. Quam Scepticismi Bayliani praecipuam causam fuisse, etiam illi forte fabebuntur, qui omnium mitissime de celeberrimo viro iudicant.

VI. Fuit quoque unus et alter, qui, cum satis ut iudicio recto non nosset, audissetque a summis viris veteribus pariter atque recentioribus ἐποχὴν commendatam, humanae mentis imbecillitatem deploratam, modestiam sentiendi summis laudibus elatam esse, videretque porro, quantis difficultatibus in inquirenda veritate saepissime humanus sepiatur animus: stuparet autem tot virorum summorum lapsus et αβλεψιαν, ipse denique viam in multis tentatam frustra esset expertus, ad Scepticismum declinavit, ratus eum a viris istis summis non sine ratione fuisse commendatam. In quo boni isti viri vehementer decepti sunt. Qui si ista monita, et quae obseruauerunt humanae imbecillitatis exempla se excitare passi fuissent, vt seruata mentis modestia intra certos limites intellectus confisteret, nec quae certo tantum gradu cognosci possunt, ad summam euidentiam exigenterent: si ad prouidum cautumque examen rationum ista transtulissent, si certa ab incertis et verisimilibus distinguere didicissent, si ad abiicienda praeiudicia ista imbecillitatis humanae agnitione fuissent usi, si dissentientes tolerare inde

inde voluissent, et si tandem calcar animo addidissent, ad ea inquirenda et exploranda, quae dubia, et incerta videntur, maximum ex hoc morbo intellectus vsum et emolumentum habuissent, nec in Scepticismo perstitissent, sed eum scientiae et veritatis parentem habuissent. Dubitationem enim et ἐποχὴν σοφὸν φάγματον philosophantibus esse nemo prudens negauerit.

VII. Ex his vero strictim enarratis, iudicium haud difficulter Lector ferre potest, vtrum Scepticismo recentiores philosophi, philosophiam vlla ratione adiuuerint? Id quod magnificis quidem verbis iacent Pyrrhoniae istius sapientiae sectatores, immo vnam hanc philosophiam veram esse, mira ostentatione exclamat: re ipsa autem examinata, contrarium pronuntiandum esse, certo certius videbitur. Omnis enim Scepticismus, quaecunque eum causa genuerit, hunc sibi finem proponit, vt rationis vsum destruat, cognitionis omnis principia inter se committat, criteria veritatis, sine quibus nulla datur vel diuinarum vel humanarum rerum notitia, tollantur, et ita iuris diuini et humani regulae atque fundamenta vel omnia, vel quedam tamen, et quidem praestantiora, concutiantur, euertanturque. Quibus si adiicias, et intellectum suis viribus atque robore destitutum insignem in Scepticismo morbum prodere, et voluntatem male affestam plerumque ancipitis mali caussam esse, nobis non monentibus Lector intelliget, non modo nihil ad iuuandam philosophiam Scepticismum recentiori aetate contulisse, sed ne nomine quidem philosophiae, quae contrariam potius scientiam veri et boni innuit, esse dignum. Quod non partis studio nos, sed dictante veritate dicere, mali Scepticorum mores, dictatoria ambitio, tantum non omnes inter vulgi feces referens, risus amarus et cauillatio eorum, quae aliis sacro sancta sunt et fide dignissima, exemplum auctoritatis ineptissimum, et quae alia se voluntatis vitia prodere solent, luculenter euincunt. Cui hominum generi sua quidem felicitas non inuidenda est, ex orbe autem philosophico in intermundia Epicuri ablegandi sunt, vt suo genio sine philosophantium detimento, fine cura et labore ibi queant indulgere.



C A P V T I I.

DE PHILOSOPHIS MOSAICIS
ET CHRISTIANIS.

§. I.

*Philosophia
Mosaica et
Christiana
quomodo
enata?*

* N on Scyllam modo esse philosophantibus, quae incautos perdat, sed Charybdin quoque, in quam deuiantes incidere queant, nisi accurate medium teneant, viamque tutam sequantur, secta haec comprobat. Recte illa vidit, erroribus illaqueari illos, qui sectariam Graecorum philosophiam sequuntur, cum nulla secta ab errore immunis sit, et regiam ad veritatem viam sine labyrintho pandat, nec ignorauit stultitiam magis, quam sapientiam promittere Scepticismum, oculosque humanae menti eruere. Haec vitanda esse, nec ad hoc saxum offendendum philosophantibus, aequissima sententia statuit. Quae si abiecto iugo sectario, proprias intellectus vires adhibuisset, veritatis studium suo Marte coluisse et selectis ex omni philosophantium circulo illis, quae probari et admitti possunt, iter nouum ad cognoscendas rerum omnium causas et euentus suscepisset, certa vero ab incertis, et verisimilia iuxta evidentiae gradus distinxisset, modumque intellectui humano posuisset, recta sane via ad philosophiae verae portum peruenisset. Verum in alterum extremum prolapso, cum nec sectarios nec Scepticos rectum tenere cursum obseruauisset, iudicaret autem vitium in rationis humanae impotentia haerre, et non satis eam sufficere ad eruendam veritatem, ad reuelationem recurrit, et ex sacris, quae ad salutem animi consequendam Deus humano generi patefecit, oraculis desumenda esse illa principia credidit, quibus certius scientiae naturalis et moralis aedificium inaedificari possit. Qua ratione dum intellectum suo lumine gaudere non finit, duo cognitionis principia, ab uno quidem auctore profecta, at suis tamen limitibus distincta, et diuersis finibus destinata confundit. Duplici vero modo hunc cursum tenuere hi philosophi. Quidam literam scripturae sequentes, quae de cosmogonia rebusque naturalibus sacri scriptores tetigerunt magis, quam enarrarunt, ad construendam nouam physicam sacram adhibuerunt, et decalogi praecepta moralis doctrinae compendium esse differunt: qui cum vel Mosen auctorem fibi delegissent, quem omnem sapientiam, etiam humanam summo gradu asseditum esse contendebant, vel vniuersum Christianae doctrinae complexum considerandum esse statuerent, Mosaici et Christiani philosophi inde dicti sunt. Alii depressa intellectus luce connata, lumen aliud et diuinum longe maius et perfectius ex coelesti reuelatione fundamentum esse debere philosophiae clamarunt, adeoque neglecta

scriptu-

scripturae litera, mediante allegoriae machina, internum aliquod lumen a Deo inspiratum et humanis mentibus infusum, dictis oraculorum diuinorum adaptantes, in hoc fundo excitandum esse philosophiae aedificium censuerunt: quae autem humana conferre possit ratio ex referatis ignis beneficio naturae adytis inspectaque chemicae artis ope rerum indole et arcanis, desumenda esse dixerunt. Quod genus philosophorum cum reliquos omnes despiceret, theosophicum se et dici passum est, et ipsum appellauit. Priorem hominum philosophantium classem hoc capite considerabimus, posteriorem in sequenti contemplabimur.

§. II. Esse hoc philosophiae genus non hodie natum, vel resuscitata demum literarum gloria excogitatum, sed iam olim in has syrtes incidisse luxuriantium ingeniorum audaciam, ea quae de philosophia Iudeorum *Tomo secundo* diximus, quaeque de Christianorum veterum philosophia *Tomo tertio* attulimus, euidentissimis exemplis comprobant. Tota enim Cabballistica Iudeorum philosophia Mosaicae titulum nomenque sibi vindicavit, et ad illustrem gentis suae doctorem atque ducem suas nugas retulit, ea Mosi affingens, quae ex impuris gentilium somniorum lacunis apud Aegyptios hauserat. Qua ratione praeter alios Philonem fuisse nugatum Mosenque nobis atque Mosaicam philosophiam ex Platonica, vel potius ex Aegyptiaca philosophia exsculpisse, suo loco ita demonstratum est, ut dubium superesse nullum possit. Nec alia ratio fuit philosophiae Alexandrinae in ecclesiam admissae, et sacris ciuitatis Christianae dogmatibus attenuatae: ea enim Mosen sibi aliosque summos Hebraeorum viros velut principes et autores doctrinae suae vindicavit, et ad nostra usque tempora istam ambitionem continuavit, unde, si, quis paulo latius huius capituli extendere velit, non repugnabimus, si philosophi Pythagoreo-Platonico-Cabballistici, quos in *superiori Libro* in scenam produximus huc referantur. Nobis tamen, ut distincte in recentiori philosophiae historia versemur, illi modo hoc loco considerandi veniunt, qui neglectis humanarum sectarum praeceptis, vel ex reuelatione mediata, vel ex immediata et interna nouum sibi philosophiae genus exsculpserunt atque fabricati sunt.

§. III. Distincte autem in hoc argumento versandum est, ne in hunc censum referantur, qui ad eum non pertinent. Fuere enim quamplurimi, qui cum scriptura S. philosophiam coniunxerunt, sed alio longe fine, alio modo, et hac moderatione, ut distinctos tamen vtriusque luminis, rationis et reuelationis, limites seruarent. Quem in numerum omnes illi referendi sunt, qui philosophiam, qualis habere poterant, quaeque apud plerosque sectaria fuit, suis cancellis retentam, suisque finibus circumscriptam ita ad doctrinam sacram, quae in diuinis paginis traditur transtulerunt, ut ostenderent, quem visum philosophia, vel in interpretanda scriptorum sacrorum mente et explicandis verbis, vel in illustrandis, quae

*Mosaicae se-
tiae anti-
quitas.*

*Varia gene-
ra secun-
dum scri-
pturam S.
philo-sophan-
tium.*

H h h 2 ab iis

ab iis proposita sunt, dogmatibus habere possit. Quod genus virorum doctorum interdum leuem quidem, at haud raro egregiam quoque operam disciplinis sacris praestitit. Huc itaque referendi sunt, qui logicas sacras, et theologicas scriperunt, enumerati a praestantissimo FEVERLINO ^a, inter quos post ALSTEDIVM ^b, B. SAL. GLASSII ^c et PHILIPPI ZEISOLDI ^d diligentia eminet. Tum, qui ad explicandas res naturales, quae in vtriusque foederis voluminibus occurunt, haud contempnendam eruditionem attulerunt. Quorum cum satis magnus numerus sit, illi a nobis hoc loco enarrari omnes non possunt, contentis monuisse, plerisque in hoc argumento se probasse FRANCISCI VALESII diligentiam, cui *sacram philosophiam, siue de iis quae scripta sunt physice in libris sacris* debemus, de quo tamen celeberrimi huius philosophi opere supra iam inter Peripateticos recentiores nonnulla diximus. Tacemus magni BOCHARTI ^e, IO. HENRICI MAI ^f, IO. HENRICI VRSINI ^g et similium ea in re diligentiam: quos tamen non aequis modo passibus secutus est, sed suo quoque modo superauit celeberrimi viri IO. IACOBI SCHEVCHZERI eruditio, qui illustre splendidumque opus *Physicae sacrae* condidit, et quicquid naturalis scientia recentissimorum philosophorum obseruationibus aucta, quicquid disciplinae mathematicae arsque salutaris, quicquid experientia virorum summorum continet egregii ad illustrandos oraculorum sacrorum sensus mira doctrina et felicitate transtulit. Qui cum indicem scriptorum, qui in hac arena desudarunt amplissimo operi praefixerit, illis, qui plures ex hac classe scriptores nosse cupiunt, omnino adeundus est ^h. Eandem virorum doctorum industriam metaphysica Aristotelico-Scholaistica experta est, maxime ex quo seculo XVII ea inter Protestantes in scholas theologorum iterum inuecta est et sacra dogma isto habitu vestita in scenam producta sunt, quae tamen hoc loco enumerare nihil attinet ⁱ, recensita autem dabit, IO. FR. BVDDEVIS ^k, qui consulendus. Simili instituto qui moralem doctrinam a philosophis traditam ad sacrarum literarum praecepta transtulerunt, haud pauci sunt, infra ex parte nominandi. Quorum scopus et scribendi tractandique modus ex GEORGII GRABOVII *Ethica Christiana*, IO. PIKERI *Aretologia Christiana* similibusque laboribus facile intelligi potest. Nec ciuilis doctrina hac in parte ad sacras disciplinas sua conferre distulit. Huc enim eorum opera respexit, qui politicas biblicas scriperunt, enumerati a celeberrimorum virorum BVRC. GOTTH. STRVII et LVDOVICI MARTINI KAHLLI diligentia ^j, quibus merito ob illustre scriptoris nomen IACOBVM

a) In Progr. de Logicis paradigmaticis, theologicis, medicis.

b) eius extat Logica theologica.

c) Adiecta est Logica S. sed non absoluta ab auctore et perfecta incomparabili philologiae sacrae operi.

d) In Logica N. T. e) In Hierozoico.

f) In Historia animalium in sacro codice memoratorum.

g) In Arboreto Biblico.

h) Alios dabit BVDDEVIS Isagog. P. I. c. 4. p. 276 LE LONG. Bibl. S. T. II. art. 9. p. 1045.

i) Commendari solet ABR. CALOVII Metaphysica diuina, inter eius opera philosophica occurrentes et FB. ALB. AEPINI Compendium metaphysicae ad theologiam applicatae.

k) l. c. p. 256.

l) Biblioth. philos. c. 7. §. 7.

COBVM BENIGNVM BOSSVETVM^{m)} adiicimus". Maxime vero illi in hunc censum referendi sunt, qui theologiam naturalem cum reuelata coniungendo, eo respicere diligentiam suam iusserunt, ut quae in sacris voluminibus instillatur Dei notitia ex naturae operibus illustretur, et quae in maximi momenti argumento harmonia inter rationis et reuelationis lumen sit, acutis demonstrationibus pateat. Cuius generis scriptores praeter BVDDEV Mⁿ⁾ fuisse enumerauit IO. ALB. FABRICIVS^{o)}, qui videndus. Nec aliis scopus fuit virorum doctissimorum, qui vel physicas diuinias scripserunt, quales nobis dedere Clarissimi viri RVDIGERV^s et WVCHERERV^s, vel rerum naturalium effectus et fines ad hunc scopum collineare demonstrarunt, in quo argumento eminuit illustris CHRISTIANI WOLFFI eruditio^{r)}. Hi, quos strictum recensuimus, omnes ad hanc nostram tractationem non pertinent, eo quod philosophiam suis circulis circumscriptam relinquentes, eius modo usum in illustrandis diuinioris doctrinae capitibus ostendere sunt aggressi. Fuit et aliud philosophorum genus, quod si capit is huius inscriptionem respicias, huc referri posse videtur: illi scilicet, qui vbi semel sectae cuidam adhaesissent, eiusque decreta pro vera philosophia habuissent, ostendere conati sunt, consentire ea cum scripturae diuinae placitis, inque illis manifesta suae sectae vestigia deprehendi, nihilque esse in religione, quod non amice cum suis opinionibus conspiret. Qua ratione nec Aristoteli, nec Cartesio, nec aliis apologia defuit^{t)}. Cum autem horum philosophorum mens non fuerit, ex sacris voluminibus nouam philosophiam exculpere, sed id modo fategerint, ut concordiam inter facros scriptores et suae sectae conditores ostenderent; eos magis commode, ordini consulturi in sequentibus explicabimus, vbi de Syncretismo philosophico trademus. Et haec ordinis atque perspicuitatis ratio quoque est, cur de theosophis capite peculiari dicere constituerimus, quamuis hi quoque allegoricae explicationis auxilio sacras literas ad comenda commendandaque ingenii sui somnia, reuelationi internae adscripta, et male inter se cohaerentia adhibuerint, et venerandum Mosis nomen haud raro suis nugis praefixerint, qua ratione ROBERTVM FLVDDVM siue a FLVCTIBVS Philosophiam Mosaican vulgasse in sequenti capite ex instituto exponemus. Itaque illi modo restant, qui cum ex rationis humano intellectui connatae luce, veram de rebus naturalibus et moralibus sententiam assequi posse desperarent, ad facrorum oraculorum, et praecipue ad Mosis narrationem confugerunt, et praeeunte sacrae reuelationis dictamine nouum philosophiae sistema conde-

H h h 3

re ag-

^{m)} Politique tiree de l'ecriture sainte Bruxel. 1710. 8. et Germanice Argent. 1712. 8.

ⁿ⁾ Similem Aristopolitiam Biblicam ex libris regum constructam et nondum editam reliquit GEORGIVS REMVS ICtus Norimbergensis, de quo eius instituto, si placet, videnda dissertatio epistolica a nobis ad B. Sig. Iac. Apinum scripta.

^{o)} loc. cit. pag. 289.

^{p)} In Syllabo scriptorum de V. R. C. c. 7. p. 287.

^{q)} Vid. Catalogus scriptorum illustris viri, quem in Pinacotheca scriptorum nostrae aetatis illustrum decade prima exhibuimus.

^{r)} Exemplum dabit ZEISOLDI tr. de consensu Aristotelis cum Scr. S. et AMERPOLII Cartesius Mosaizans.

re aggressi sunt. Horum autem, qui in hac palaestra se exercuerunt, et in hunc censum referri possunt, haud exiguus numerus est, quorum omnium recensere nomina eo minus opus est, quo magis plerorumque in hac re obscura sunt et incerta merita, potiores autem viri docti enumerauerint, qui hanc eruditae historiae partem absoluerunt, **B V D D E V S**, **G E N Z K I V S**, **S T R U V V I V S**, **S T O L L I V S**, alii^z. Nobis celeberrimos et non sine eruditionis praesidiis hoc pelagus tentantes in lucem produxisse pro instituti ratione sufficit, inter quos omnes anteuerunt **I o. Amos Comenius et Ioannes Bayerus**.

*Philosophi
qui hoc phi-
losophiae ge-
nus tenta-
runt.
Guil. Bigo-
tius.*

*Libertus
Fromondus.*

*Otto Casman-
nus.*

§. IV. Primus Christianam huius generis philosophiam dedit **G V I L-
E L M V S B I G O T I V S**, cuius supra iam facta est mentio, si fides **P.
B A Y L I O**, hunc eius librum laudanti: „Christianae philosophiae praelu-
„dium opus cum aliorum, tum hominis substantiam luculentis expo-
„mens rationibus Tolosae MDXCIV. 4. Adeo vero rari sunt libri Bi-
gotii, ut hunc librum saepius quaesitum inuenire non potuerimus.
Vtrum igitur, et quo nomine in hunc censum referendus sit philosophus
ille, partes Aristotelicas strenue fecutus, non inspecto libro, dicere non
possimus. Cl. REIMMANNVS autem inter primos, qui philosophi-
am Mosaiam et Christianam commenti sunt **L I B E R T V M F R O M O N-
D V M** refert, Haccurianum Eburonem, qui Antwerpiae ad S. Michaëlem,
teste Avb. **M I R A E O**, triennio philosophiam docuit, totis vero XIV
annis Louanii, dein regius sacrarum literarum interpres Cornelio Ianse-
nico ad cathedralm Irenensem promoto, suffectus est, cuius ingenii amoe-
nitatem doctrinamque politissimam, omnifariae lectionis copia ornataam
libri cum critici et ad explanandas res veterum pertinentes, partim ma-
thematici, et imprimis *Anti-Aristarchus sive de Orbe terrae immobili
contra Phil. Landsbergium*, partim philosophici, inter quos tractatus
de Anima et Quæstiones meteorologicae eminent, comprobant^a. Val-
de autem veremur, ne philosophia Mosalca et Christiana, quam ille me-
ditatus esse dicitur, cum syncretistico studio sectariam, et imprimis Ari-
stotelicam, philosophiam cum sacris dogmatibus conciliandi confundatur.
Sed Casparem Manzium quoque huc refert **C H R. T H O M A S I V S**,
cuius tamen nihil, quod hoc pertineat, vidimus. Maxime autem **O T-
T O C A S M A N N V S** huic classi aggregandus est, qui cum Lyceo
Stadeni diu praefuisse, anno MDCVII fatus functus est. Is enim ma-
gno studio, et quamplurimis libris huius generis philosophiam confirma-
re et orbi philosophico obtrudere conatus est. Testamur libros eius, eum
in

^{s)} Hist. phil. c. 6. §. 6. p. 376 seq.

^{t)} Hist. phil. p. 239 seqq.

^{u)} Bibl. philosoph. c. 5. §. 9.

^{w)} Hist. Liter. P. II. c. 4. §. 29. p. 541.

^{y)} STEPH. KAZAVERI *Dissertationes duas
de philosophia Christiana, et de Scriptoribus
philosophiae Christianae promissa vtrum vide-
rit orbis eruditus ignoramus.*

^{z)} Diſt. T. I. art. Bigot. not. D. p. 363.

^{a)} Hist. Liter. Germ. P. III. p. 201.

^{b)} De Script. Sec. XVI. c. 220. p. 311.

^{c)} Conf. VOSSIUS de Script. mathem. c. 66.

^{§. 7. p. 388.}

^{d)} Conf. VALER. ANDREAS Bibliotheca
Belgica.

^{e)} Introd. in phil. aulic. c. 2. §. 58. p. 66.

in finem editos: *Biographiam triplicem, naturalem, moralem et oeconomiam, indeque deductam ethicam et oeconomicam theosophicam: physiologiam: anthropologiam: sistema doctrinae et vitae politicae: nucleus mysteriorum naturae: angelographiam, uranographiam et similes.* Immo, cum a nonnullis hoc eius consilium reprehenderetur, apologia dicta defendere agressus est, edita modesta assertione philosophiae et Christianae et verae aduersus infanos hostium eius et nonnullorum hierophantarum mortuorum et calumnias^f. Quamvis autem Casmannus ab inspectis philosophiae Aristotelicae naevis et sophismatibus esset instigatus, ad condendum novum philosophiae genus, quod in physicorum theorematum, ut ipse scribit, consideratione potius sacrarum literarum decretis, sicubi haberit possunt, quam paganorum philosophorum antiquis etiam placitis staret; negaret etiam, de rebus physicis scripturae testimonia ad receptas Aristotelicae philosophiae regulas esse interpretanda, multa quoque praecipue cordateque contra Aristotelicae tyrannidis iugum moneret, et in quibusdam a decretis Lycei recederet, recte tamen obseruatum B. EVDDEO^g, cum ad rem ipsam atque caput causae veniat, eum a recepta scholae sententia se dimoueri non pati. Cuius exemplum ex *Cosmopoeia* eius vir laudatus affert, quo loco Peripateticos animam mundi contra Platonicos negantes acriter defendit. Quam autem fibi philosophiam Mosaicam et Christianam conceperit, inde colligi potest, quod Christianam grammaticam, rhetoricae, logicam, arithmeticam, geometriam, opticam, musicam &c. promiserit^h. Quo pacto misceri et confundi omnia, et iungi gryphes equis, rerum huiusmodi non ignarus, nobis non monentibus, manibus palpabit. Casmannus iungimus HENRICVM ALSTEDI-
V M, virum singulare diligentia commendatumⁱ, quem inter artis Lullianae commentatores *initio huius Tomi* laudauimus. Is eum praeter fas-
cas literas, quas diu Herbornae Nassouiorum, tandemque Albae Iuliae docuit, in id quoque curam suam conuerteret, ut iuuentuti humanitatis literas et seuiores disciplinas traderet, quem in finem praeter *Commen-
tationem in artem Lullianam* suo loco enarratam, *Encyclopaediam* quoque conscripsit, et praeter industriae laudem eruditionis quoque et haud contemnendae lectionis testimonium retulit^k, ad facrorum quoque librorum normam philosophiam conformandam esse censuit. Edidit eum in finem: *Triumphum Biblicum, sive Encyclopaediam Biblicam, exhiben-
tem triumphum philosophiae, iurisprudentiae et medicinae sacrae item-
que sacrae theologiae, quantum illarum fundamenta ex scriptoribus
sacris veteris et noui testamenti colliguntur*^l: in cuius libri praefatione eos quoque tangit, qui simile institutum secuti sunt. Quamvis autem hoc scripto et voluntatem et industriam probasset suam, recte tamen censue-

runt

f) Francfurti 1601. 8.

g) Intr. ad Hist. phil. Hebraeor. §. 36.

h) In Assertione phil. Christ. c. 16.

i) Inde Anagramma, Alstedius, Sedulius.

k) Vid. GATAKER. Praef. Cinni, BAILLET Ju-
gemens des Sauans T. II. n. 269. p. 328. REIMM.

Hist. lit. Germ. P. III. p. 183.

l) Francfurti 1625. 8.

runt viri docti ", cum deesset auctori iudicandi virtus, ut recte obseruatum MORHOFIO ", infeliciter eum in hoc campo fuisse versatum, et iudicium rectum atque prudentiam in eo argumento non probauisse. Unde cladem magis quam triumphum biblicum librum istum vocandum esse Ven. REIMMANNVS ° pronuntiauit. Hoc enim tramite si incedere licet, triumphabit quoque de omnibus scientiis vel Hippocrates, vel TRIBONIANUS, vel Scriptor quilibet, qui admotis machinis in omnes figuras mutatur. Sane idem Alstedio de sacris paginis cogitanti accidit, quod veteri Graeciae, in Homero omnium omnino disciplinarum, et sectarum quoque praecepta quaerenti, nempe dum omnia inuestigantur, nihil prorsus inuenitur. Et eandem quoque censuram meruit PFEIFERI *Pansophia Mosaica* °.

*Philosophia
Mosaica spe-
cialis.*

*Conradus
Aslachus.*

§. V. Quod per omnes philosophiae partes tentauit laudatorum viorum diligentia, id in singulis nonnulli perficere conati sunt. Et artis quidem rationalis praecepta ex sacris haurire fontibus instituit IO. BAYERVS, cuius in sequentibus mentio facienda est, edito *Filo labyrinthi, vel cynosura seu luce mentium vniuersali, cognoscendis, expendendis et communicandis vniuersis rebus accensa* °. Excitatus auctor Verulamii monitis ad contemnendam, quae in scholis vigebat logicam illuc traducendam esse statuit, ut non speculationum inutilium parens esset, sed rebus praeclaris inueniendis inseruiret: id quod omnium optime istius philosophiae ductu obtineri posse credebat. Maxime vero hac cynosura duce profundum doctrinae naturalis pelagus tentarunt viri nonnulli doctissimi. Cum enim sectaria Graecanicae philosophiae principia parum satisfacerent eorum ingeniis, physicam quandam Mosaicam et Christianam commenti sunt, et Σενεκεgov Mosaicum fundamentum iacentes nouum rerum natura- lium Systema illi inaedificarunt. Inter quos praeter Comenium et Bayerum infra pluribus commemorandos et Casmannum, de quo dictum, id magno studio egit CONRADVS A SLA CH VS Bergensis Noruegus °, vir non indoctus, qui cum Hafniae beneficentia capituli, quod vocant, studiorum cursum iniisset, per triennium, quo in familia Tychonis Brahei fuit, occasionem habuit fauentissimam naturae artisque miracula, et prae- cipue sideralem scientiam praeclare discendi: regio autem stipendio auctus, cum Germaniae, Italiae, Galliae, Britanniae vrbes inuisisset, virosque summos et doctrina illustres adiisset, innumeras autem doctrinae accessiones in isto itinere literario fecisset, in academia Hafniensi ab initio seculi XVII philosophiam et linguas docuit, et cathedrae tandem theologicae admotus inter theologos Danos eminuit, denatus anno MDCCXIV, ut ex ERASMI VINDINGI Academia Hafniensi discimus °. Is enim non moralem tantummodo disciplinam Christianis placitis conformem tra- dere

m) Vid. BAYLE Dict. T. I. art. Alsted. p. 166.

n) Polyhist. T. II. L. II. c. 7. §. 74. p. 400. add.

GUNDLING. Hist. phil. moral. c. 7. p. 65.

o) loc. cit. p. 494. a.

p) Lipsiae 1685. 8.

q) Caflouiae 1663.

r) Natus est 1564.

s) Conf. FAEHERI Theatrum p. 419 seqq.

dere, sed et physica praecepta Christiano habitu refingere, edita *Physica* et *Ethica Christiana*, conatus est. Eadem chorda oberravit L A M BERTVS D A N A E V S, Aurelianensis, vir inter reformatae ecclesiae theologos celeberrimus; qui cum iuris disciplinae se in iuuentute tradidisset, praeceptoris pro religionis fide martyrium suscipientis constantia ad theologiae capessendum studium permotus est; et ab anno MDLX, quo hoc studium apud Geneuenses initit, tanta alacritate in eo currexit, ut non ministerio tantum Geneuensi adiiceretur, sed et cathedralae publicae praeficeretur. Quam tanta cum laude tenuit, ut praeclara doctrinae eius fama passim disseminaretur, qua factum, ut ad Lugdunensem apud Battuos cathedralm, et deinde Gandavum, tandemque Castrum Languedociae vocaretur, quo loco anno M D L X V I, aetatis L X VI, obiit, relicta praeclarae eruditionis laude, et libris insignia eius specimina edentibus^{*}. Inter eos autem praeter *Ethicam* et *Politican Christianam*, de quibus in sequentibus dicendum, *Physica Christiana*, quoque est*, in qua rationis principiis revelationis mysteria admisit.

Lambertus
Danaeus.

§. VI. Diuersum ab his philosophorum genus est, verum in hanc quoque Mosaicorum philosophorum classem referendum, quod cosmogoniam, sive mundi origines iuxta ductum Mosaicae narrationis explicare aggressum est. Inter quos familiam ducunt ex Anglorum gente viri doctissimi EDMUNDVS DICKINSONVS, medicinae doctor, et THOMAS BVRNETIVS. Et prior quidem ingens hoc faxum voluit edita *Physica veteri et vera, sive trattatu de naturali veritate hexaëmeri Mosaici, per quem probatur in historia creationis, tum generationis vniuersae methodum atque modum, tum verae philosophiae principia strictim atque breuiter a Mose tradi*^y. Supponit in hoc libro lucernam olente auctor, Mosaicam genesis non esse vniuersi, sed materialis huius mundi tantum, quem intuemur creationem. Duos enim mundos factos esse statuit, superiorem immateriale, quem Moses appellat coelum coelestorum, beatum spatium, quod Deus assignauit angelis atque spiritibus ministerantibus, et inferiorem hunc mundum, in quo degimus, cuius fabrica materialis est, quem Moses vocat coelum et terram, nempe totam molem istius materiae, quam veteres Graeci chaos dixerunt. Huius mundi inferioris origines Mosaicas explanaturus, philosophiam corpuscularem assumit, eiusque antiquitatem exponendo hoc potissimum rerum *γενέσεως* fundamentum ponit, ita tamen, ut atomorum concursione summam rerum omnium caussam efficientem et dirigentem praeficiat. Ast hanc philosophiam antiquissimam esse, et has Mosaicas archaeologias rerumque omni-

Cosmogoniae
Mosaicæ
commentatores.

Edm. Di-
ckinsonus.

t) Hanouiae 1613. 8.

u) Plura de eius vita dabunt MELCH. ADAM, in
vitis theol. exter. p. 177. FREHERVS p. 298. et vi-
tarum scriptores, Craffus, Verdierius aliquie li-

bris notissimis. x) Genueae 1588. 8.
y) Londini 1702. 4. Roterod. 1703. 4. Ham-
burgi 1705. 8.

um principia totamque philosophiam ab Adamo ad posteros Heberi et Abrahamum, et ab eo ad Mosen propagatam fuisse, adeoque vetustissimam philosophiam esse contendit. Quae omnia in sequentibus vrget, et huc omnes veterum theogoniarum, (quas cosmogonias adumbrasse, suo loco docuimus) traditiones refert, ostensurus, vniuersitatem materiae creatae per chaos veterum designatam in cosmologia Mosaica supponi, adeoque esse amplissimam, nec vnius tantum materiae particulae opus esse creationem. Quam materiam curiose peruestigando, miram, ait, quan-dam particularum omnigenarum congeriem indispositam, immotam, la-xam tamen atque vacuolis vndequaque sparsis interpunctam fuisse. Cu-ius formationem ita factam esse coniicit, vt materiam hanc particulis qui-dem, sed non vere atomis, constantem dupli motionis genere agitatam esse dicat, uno leni et transuerso, quod particulas inter se committebat, vnde factae sint moleculae igneae, aëreae, aqueae, terreae, et ex illis posthaec elementa: altero circulari, quo tota moles abyssi gyrabatur. Et hinc extitisse coelum empyreum statuit, et igneam regionem, ex particu-lis rotundis subtilissimis constantem, a quibus separata corpuscula etiam rotunda, sed maiora, aquas empyreas, siue superiores (quas magna dili-gentia vindicare conatur) constituerint. Et sic reliqua quoque creationis Mosaicae opera et dies prosequitur, et curiose explicat, qua ratione ex aliis particulis longulis per gyrationem totius separatis circa centra sua semper rotatis coelum inferius siue expansum Mosis factum sit, licet ita dies nondum serena facta sit. Has vero particulas longulas sufficere posse putat, ad demonstranda cuncta, quae in aëre fiunt. Qua occasione expansi naturam, per quam terram et maria, solem ac lunam ac omnia sidera conti-net, explicare nititur. Ex inferioris porro coeli motu expansio aquas con-gregatas et terram fundatam cum maribus, planitie et montibus deriuat, et fluminum fontiumque mechanicam rationem a fluui oqudam maximo a polo arctico ad antarcticum transeunte per terrae viscera deriuat, ex quo rami exeant: vt vero in visceribus terrae generata explicit, ignem centralem quandam in partes vocat: et plantarum ex semenibus germinantium incremente aduocat. Ut autem calorem sufficientem Deus mundo se condito largiretur, particulas igneas per expansum dispersas in vnam massam nempe solem, collegisse statuit, cuius corpus constet particulis irrequietis, facies vero sit mutabilis; quod ne dissipetur, crassam, qua cingitur, ma-teriam et adspirationes corporum coelestium atque terrestrium impedire affirmat; eumque ideo per coelos rotari Deum iussisse contendit, vt lumen, calorem et vires omnibus impertiret. Et hac quoque ratione reliquorum siderum generationes explicat; et eorum constellationibus ab initio et nomen et vires Deum dedisse asserit. Tum ad animalium origi-nes progressus, eorum semenibus a Deo impressum esse typum rei gene-randae supponit, et brutorum animas ex terra factas et corporeas esse affirmat, adeoque per generationem quoque speciem multiplicari posse, ait.

ait. Brutorum autem animas esse intelligentis naturae largitur, ita tamen, vt ab intellectu et ratione hominis immane quantum differant. Non repugnare enim, credit, res corporeas per Dei potentiam fieri sensitius, intelligentes atque dociles; ast impossibilia esse animantia spontanea. Longius autem in explicando ortu et natura hominis Mosaica occupatur auctor. Quem in finem post originem corporis ex argilla selecta et eleganti, naturam mechanicam, et animae vim plasticam in scenam producit, et animatum semen omnia peragere absque matris ope, animam humanam autem de coelo venire contendit. Qua occasione feminis vim plasticam, et necessitatem in utroque sexu, generationis humanae rationem ab anima rationali ad vegetatiuam et sensitivam progredientem, membrorum configurationes et connexiones explicat, et speciei propagandae opus coniecturis definit, et hac occasione generationem ex ouo explodit, Deum autem putat species ideales foetui imprimere, et membra prima delineare, calore vero aethereo uti animam in generationis opere, in quo semen per inflammationem sat idoneum receptaculum animae. Ex quo patet, auctorem, ut hominis imaginem Mosaicam exprimeret, ad generationem requirere, et semen ex duabus mixtum personis, et spiritum a Deo immisum, qui generationis opus vi coelestis et aetherei caloris obeat sapientissime, quamuis interim nesciat ipse, quid agat. Animae porro duplē vitam esse dicit, inesseque homini vegetablem atque metallicam naturam; itemque lucidam et igneam effentiam, quae et phosphori et pyropi naturam auream referat. Et haec longa illa fabula est, quam Mosi supponere, et pro vetustissima sapientia et archaeologis Hebreorum venditare Dickinsonus non erubuit. Quem meritis postulatis, coniecturis, hypothesibus incertis, petitionibus principii suam cosmogoniae Mosaicae explicationem superstruxisse, ex vero pronuntiavit Ven. REIMMANNVS²⁾. Tacemus ita adhibuisse systema corpusculare auctorem, ut qualem illi vultum fingere debeat, nesciuisse ipse putandus sit, nam ab atomis ea corpuscula fecernit, et tamen ex iis coaliuisse omnia dicit, vnde nec Anaxagorae, neque Empedocli, nec Democrito; et inter recentiores nec Gaffendo, nec Cartesio iungi potest. Quae luculento exemplo esse possunt, quam mire deliret ingenium humanum, vbi antiquissimi temporis sapientibus sua somnia ausum est supponere. Quae si omnia, prout sibi illa finxit Dickinsonus comprehendantur, ipsis febricitantium deliriis absurdiora videbuntur. Recte itaque acerrimi iudicii philosophus NIC. HIER. GVNDLINGIVS³⁾ de Dickinsoni contentibus pronuntiavit, eum, qui haec omnia capere et intelligere clare possit, imaginationis vim plusquam humanam adsecutum videri: ita ineptire hominum corruptum genium; his nugis delectari animum noua parturientem et inaudita: ea incommoda, recte monet, necessario propullulare,

Iiii 2

dum

2) Cat. Bibl. theol. P. L. p. 1108.

3) Hist. phil. moral. c. 7. p. 67. HEVMANNVS Act. phil. Vol. II. p. 26. 30. 31.

dum primos homines, patriarchas, Israëlitas eadem decempeda, qua se, metiantur, et potentiam Dei secundum motus leges a se inuentas et exco-
gitatas aestiment. Idem aliorum quoque virorum sobria mente praedito-
rum de huius scriptoris philosophia Mosaica est iudicium ^b, quod non ex-
scribimus.

Thomas
Burnetius.

§. VII. Elegantius multo comtiusque hoc argumentum ornauit, suaequae hypothesi adaptauit THOMAS BVRNETIVS, vir veteris pa-
riter atque recentioris philosophiae consultissimus. Qui quanta perspic-
acia veterum systemata expenderit in *Archaeologis* luculenter demonstra-
tum dedit. Quo nomine toties eum in partes vocauimus, vt hoc loco,
quo inter Mosaicos philosophos iure suo primum fere gradum meruit,
eius res strictim enarrare omnino fas sit. Quamvis autem vir doctus um-
bratilis et priuatam vitam plerumque egisset, et a negotiis publicis absti-
nendo cum mortuis magis, quam viuis, consuescere soleret, quo factum
est, vt pauca de eius vita innotuerint; curiositati tamen Cel. H E V-
MANNI pleniores eius notitiam debemus, V. C. G V I L E L M U M
W O T T O N U M exorantis, vt biographiam Burnetii fide dignam con-
signaret. Quam cum ab humanissimo viro accepisset, rem fecit, recen-
tioris historiae philosophicae studiosis gratissimam, quod eam *Aëris phi-
losophorum*, elegantissimo et iucundo operi, inseruerit ^c. Hoc auctore
scimus, ortum habuisse Burnetium ex generosa stirpe, natum autem esse
A. S. R. MDCXXXII, in pago Richmondensi. Iactis domi literarum
rudimentis ad Cantabrigiem Musarum sedem conuolauit, vbi more
in Anglia recepto in collegio Christi inter sodales cooptatus, cum ege-
riis naturae dotibus esset ornatus, tanta diligentia et felicitate in optimarum
literarum studia incubuit, vt cum diu in eo stadio curreret,
praestantissimam eruditionem sibi acquireret. Praeerant tum scholae
Cantabrigiensi viri omnis doctrinae laude inclyti, Radulphus Cudwor-
thus, Henricus Widdringtonus, Ioannes Sharpus aliquie, de quibus
supra inter Platonicos recentiores actum, et quanta diligentia veterum,
imprimis Platonicorum lectionem iuuentuti studiosae commendauerint,
dictum est. Hos cum duces studiorum suorum haberet Burnetius, ma-
ture ad fontes veteris philosophiae, maxime Platonicae, traductus est:
quos praecceptores suos strenue fecutus Burnetius, nihil veteris philoso-
phiae intactum reliquit: sed iudicium tamen vbique interposuit, nec se
magistrorum auctoritate fascinari passus est, vt non naevos veterum phi-
losophorum candide agnosceret, et maturum sobriumque de iis iudicium
interponeret. Inde factum est, vt cum miris modis Platonismo adhae-
rerent Cudworthus, Morus, Widdringtonus, reliquie Cantabrigensis
scholae doctores, Burnetius Platonem, quem in morali et theologico
argumento plurimum valere fatebatur, in physiologicis et cosmologicis
con-

b) Vid. BVDD. Hist. eccl. V.T. Tom.I.p.174.

c) Aë. philof. Vol. III. p. 434 seqq.

contemneret⁴. Ipse cum se totum philosophiae studio dedisset, in nullam magnopere sectam iurabat, veteribus tamen, quam recentioribus, addictior, et eclectica libertate mire gaudens: quam ne quidem in sacra Christianorum doctrina declaranda depositus. Corrasis hunc in modum per annos complures, quibus in isto collegio libris antiquorum et recentiorum impalluit, eruditionis diuinitis, iter literarium ingressus est, et magnam Italiae, Galliae, Belgii et Germaniae partem in comitatu dum Ormoniae et Boltonae, quorum vterque dignis eruditionem eius praemiis remunerabant peragravit. Et in eo itinere ad id potissimum respexit, ut quam meditabatur, veteris terrae imaginem ex ruderibus in praesenti relictis colligeret. Certe in ea peregrinatione literaria illum foetum animo concepit, quem domum redux anno MDC LXXX exclusit edita *Theoriae sacrae telluris parte prima*, Latino sermone perspicue eleganterque conscripta, in qua systematis mundani, qualem secundum Mosis narrationem conceperat faciem luculenter delineauit. In quo libro cum noua quamplurima et inaudita protulisset, eo autem omnia dictionis nitore, et sententiarum luminibus exposuisset, quae non poterant non librum eiusque auctorem commendare, tantus istam tractationem plausus fecutus est, ut inter praestantissimae eruditionis cultores referretur, ipse Rex Carolus II autem, quem elegantiarum summum iudicem appellat Wottonus, tanti eum ob illum librum faceret, ut eius hortatu atque voluntate Burnetius hospitio Carthusiensi anno M D C LXXXIV praeficeretur. In quo splendido et opimo munere constitutus Burnetius, otium nactus est largissimum totum se literis inebriandi, et elegantissimum ingenium praestantissimis singularis doctrinae speciminibus demonstrandi. Inter quae tum eminuit *Theoriae pars altera*, quam cum Guilelmo III, Britannorum regi, dicasset, adeo elegans foetus principi placuit, ut auctore et parario viro illustri Ioanne Tillotsono archiepiscopo Cantuariensi inter facellanos regis, siue interioris admissionis clericos regios cooptaretur. Neque tamen aulae strepitum tolerare diu potuit vir Musarum silentiis addictus, sed post Tillotsoni mortem aula valere iussa intra hospitii sui claustra et libros se abdidit, et prodeesse orbi literario lucubrationibus suis perrexit. Inter quas tum prodierunt *Archaeologiae philosophicae*, magno iudicio et veteris philosophiae notitia instructae, quas theoriae telluris ideo iunxit, ut constaret, eam, quam sibi de Mosaica cosmogonia conceperat, sententiam ad gentes peruagatam vbique vestigia reliquisse. Et fatendum omnino est, multa in veterum theogoniarum scriptoribus, et in physiologia philosophorum vetustissimorum vidisse Burnetium, quae alios latuerunt: multa eum praeclare atque erudite monuisse. Ast cum singulares de ortu et interitu mundi, de historia creationis et lapsus protoplastorum, de serpente seductore, de diluvio et simili-

I i i 3

libus

d) Vid. Archaeolog. philos. Lib. I. cap. 13. pag. 440.

libus hypotheses^a, quibus posset coloribus pingeret commendareque, et libere satis parumque caute opiniones suas spargeret, suspectus factus est theologis, et graues fibi passim inimicitias contraxit; quibus longae et molestae controuersiae implicitus est, ex qua ad vitia finem extricare se non potuit. Summi enim viri, qui reuelationi librisque sacris inimicum eum fouere animum suspicabantur, contra eum in arenam descenderunt, inter quos eminuere Herbertus Croftius et Erasmus Warren, quemadmodum de eodem quoque arguento cum Io. Wisthono et Io. Keilio contentionis ferram satis aspere reciprocauit: vt alias taceamus, qui extra insulam nouam eius theoriam confutarunt, alibi f enumerandos. Et non defuit quidem causae suae Burnetius, sed scripta apologia contra aduersariorum insultus se defendit; ast noua tela a Warrio aliisque expertus est: quo factum, vt iniqua foetus huius ingenii sui fortuna territus a vulgaris in posterum libris abstineret, sibique et hospitio suo viueret, denatus valde senex annum agens octogesimum sextum, Carthusiae an. MDCCXV. Tantus vero fatorum iniquitate et litium theologicarum atque philosophicarum, quibus impetus erat, molestia metus Burnetium inuaserat, vt quae alia scripta in scriniis affecta habebat, flammis ante mortem deleret, exceptis libellis *de Statu mortuorum et resurgentium*, et *de Fide et officiis Christianorum*, quorum pauca quaedam exemplaria amicis tantum distribuenda typis imprimi curauerat, eo quod a recepta Anglicanae totiusque Protestantium ecclesiae in multis libere satis in iis recessisset.

*Hypothesis
Burnetiana.*

§. VIII. Singularis prorsus hypothesis est, quam de Cosmogonia Mosaica sibi finxit Burnetius, et quam a philosopho quodam Habessiniae, FRANCISCO PATRICO^g memorato, eum accepisse, non sine plagii infimulatione nonnulli contenderunt^b. Huc autem potiora redent: inter initium finemque mundi plures esse posse periodos intermedias, siue naturae mutationes generales, quibus mutata terrae totius facie nouus rerum ordo emergat: et non nisi decursis his stadiis secuturam rerum consummationem, ideoque has potissimum catastrophas explorandas esse. Eas autem ad hunc mundum sublunarem tantum restringit Burnetius, et huius tantum vnius planetae, quae tellus dicitur, theoriam se quaerere affimat, mutationes eas detecturus, quas vel iam subiit, vel olim subitura fit, quarum illa paradisus est et diluvium, haec conflagratio futura. Ha- rum mutationum theoriam ex scripturis diuinis monumentisque sacris definien-

e) Eas strictum enarrat Ven. REIMMANNVS Catal. Bibl. T. I. p. 691.

f) Scriptores hos enumerandi labore nos liberauit Cel. FABRICII diligentia Syll. Script. de V. R. C. c. 13. p. 363. qui omnes huc pertinentes assert, et loca ephemeredum nominat, in quibus foetus hic Burnetianus in compendio exponitur.

g) Dial. 1. de Rhetor.

h) A 1.B. Helmontio Burnetium prima semi-

na accepisse, et multa debere Ios. ANT. GON-SALEZ DE SALAS Dissertationi paradoxae, de dupli ciuiuentium terra, Lugd. 1650. editio contendit REIMMANNVS loc. cit. SLOANE Voyage to the Islands, of Ma-diera, &c. vid. Bibl. Angloise T. XIII. P. II. art 3. ROBERT SAINT CLAIR The Abyssinian phi-losophy confuted London 1697. vid. AG. Erud. 1698. p. 219.

finiendam esse monet, quia par sit, credere, post sacratiora fidei mysteria in iis conseruari memoriam rerum et temporum longinquorum; cum his demum comparanda esse, quae apud profanos auctores paucim occurunt. Quae vbi praemonuisset, et diluui Noachitici vniuersalitatem demonstrauisset, haec sibi potissimum exponenda esse statuit: tellurem primaeuam, siue quae primo emersit ex chao, alterius compagis et formae fuisse ab hodierna; eamque fuisse talem, et quae dissolutione obnoxia esset, et ex cuius dissolutione necessario oriaretur vniuersale diluum; hodiernae autem telluris faciem et formam, montibus, oceano locisque subterraneis conspicuam euincere, regionem exteriorem terrae esse reipsa disruptam et dissolutam. Quae omnia late et luculenter prosequitur, et quibus poterat, rationum demonstrationibus confirmare aggreditur. Nempe supposito D. Petri testimonio id ex apostoli verbis clare constare putat, discri- men intercedere inter formam naturalem veteris et noui mundi; quorum ille ita constitutus fuerit, ut diluicio posset esse obnoxius; hic, ut conflagrationi locus esse possit. Et haec ratione quoque constare contendit, quae dictitet, scriptura et traditione vetustissima concinente, omnia ex quodam chao originem traxisse, id est, ex massa materiae exsoluta, indiscreta, et fluida, multisvariis partibus maioribus, minoribus, omne genus referta et composita. Ex hac vero massa fluida non potuisse exoriri orbem habitabilem, qualis iam est tellus nostra, id est globus terraqueus et montuosus; eo quod fluidorum ea sit natura, ut partes eorum superficiales se teneant aequaliter remotae a centro, vnde superficies emergat laevis et aequabilis, non congesta in cumulos aut depresso in lacunas et voragini. Quae prolixe roborat ex modo consistentiae, quam terrae globus ab aqua cooperatus in prima origine accepit, qua necessario compages terrae plana, continua, solida, aequaliter strata, superficie uniformis et sibi simili euadere debuerit. Ingenium autem, quod supra modum foecundum habebat Burnetius, in eo exercet, ut varias facies successivas chaos, et sub qua tandem forma in orbem habitabilem cesserit, exponat. Supponit ergo, in chao partes maxime crassas et solidas, subito deorsum delatas compressaque et indurescentes terrae interiora constituisse: ceteram massam leuiores et supernatantem, et liquidum et volatile, id est, aquam et aërem constituisse; hanc ex partibus tenuissimis et leuissimis, illam ex minus tenuibus, languidioribus motu et leuitate mediocribus. Sed et alteram separationem concipit, qua liquores macri siue tenues a pinguisbus discreti fint; et his irretiti puluisculi ex aere subidentes, pingue quendam limum siue terram limosam constituerint, faciem abyssi obuoluentem. Et hoc quidem pacto terram consolidatam primigeniam atque primum orbem habitabilem constitutum esse sibi persuadet Burnetius, et talem formam eius prodigie atque temperiem, quam recens mundus postulare videretur. Omnia vero eo redeunt: primam concretionem externam atque formam stabilem et permanentem prouenisse in superficie aquarum seu massae liquidae, ex limo quodam siue

vda

vda et molli materia ibidem collectam, leuioris terrae particulis et liquoris intermixti composita, cuius partes progresu temporis magis magisque coaluerint, atque ita tandem calore solis et spirantibus auris totam massam induruisse et plane cessisse in regionem terrae firmae et habitabilis, schema autem nouae telluris fuisse quo simile. Et ex his iam magnis molimini- bus suppositis et diluui rationem et caussam, et paradisi felicitatem, et nostrae telluris conditionem deriuat. Nempe statuit: terram exteriorem solis ardoribus continue expositam progresu temporis exsuccam aridam- que factam esse, et deglutanibus inde partibus hiasse, nec potuisse redimpleri ab hyeme, quae tunc nulla esset, sed currentibus annis telluris compagem magis labefactatam, vaporibusque auctis infra terram et maiori vi se dilatantibus tellurem tandem ruptam diffiluisse, molibus illis in abyssum subiectam vario situ delabentibus. Qua ratione non potue- rint non aquae abyssi in terras irrumperet, et diluui tellus euerit. Non enarrabimus, quibus haec omnia rationibus Burnetius muniat: nec qua ratione hodiernae telluris formam et phaenomena isti hypothesi conuenire putet, prolixiora enim sunt, quam ut hic locum capiant. Id notasse sufficit, ostendere philosophum, et montium iuga, et cavitates subter- raneas, et voragini marinae et insularum origines inde repetendas esse, verbo omnem ex eo telluris inaequalitatem esse deriuandam, quae in facie globi nostri reperitur. Ita vero diluui caussis et tel- luris hodiernae origine delineatis, felicem illam terrae primigeniae faciem et paradisum conjecturis assaequi *Libro secundo* contendit; cuius tem- perie et salubritate ex scriptoribus sacris et profanis descripta, eam nostrae quam hodie incolimus, telluri conuenire non posse, ob situm hodiernum coeli et terrae putat, sed obtinere debuisse contendit maximam coeli cle- mentiam, aequalemque et temperatam actionem aëris in tellurem. Eam autem aequabilem et felicem primigeniae telluris conditionem prouenisse putat, ab eius situ recto in ecliptica; cum ex eo situ felicissima illa temperies exoriatur, illaque uniformis constitutio, qua omnia in- crementa sumere potuerint laetissima, et tempora nascenti mun- do fuerint placida ac vniuersae naturae silentium. Quae omnia in sequentibus cum veterum cosmogoniarum traditionibus compa- rat, et vbiique hanc suam theoriam nouam se deprehendere sibi videtur. Et hoc pacto quidem nouam se Mosaicae cosmogoniae lucem accendisse Burnetius eo magis sibi persuasit, quo magis, ut erat ingenio mire foecundo, aptissime omnia composuit et verisimilitudinis rationem vbiique habuit. Similia de mundi conflagratione comminiscitur, eamque ex cauf- sis naturalibus necessario non tamen sine Dei prouidentia, euenire statuit. Quae tamen cum huius loci non sint, illis non immoramus: nec quae de nouo mundo post conflagrationem ex oriente differit, huc adducimus. Lepidam et ingeniosam Burnetium fabulam nascentis et pereuntis mundi nobis enarrauisse, quis est, qui non fateatur? Ast fabulam tamen esse, tot hypo-

hypotheses preario assumtae tot machinae historiae Mosaicae admotae, ut illis respondeat, tot frustra in partes vocata paginarum diuinorum loca comprobant. Ut taceamus aliam nobis terrae primigeniae faciem illas de pingere, quam delineauit Burnetius. Qua de re tamen, cum ad nos limites iudicium illud non pertineat, plura non adducimus, videndi autem quae viri docti passim in hoc systemate Mosaico desiderarunt¹. Quod tamen maiorem verisimilitudinem habere, quam Cartesianum, iudicauit B. BUDDEVS², quo iure? alii dispiciant. Maxime vero cum ea mundani systematis explicatione comparanda est Theoria telluris, quam illi opposuit GVL. WHISTON V's, edita noua *Theoria originis et consummationis rerum omnium*³. Is enim non Burnetiana tantummodo refellere, sed Mosaicam quoque cosmogoniam secundum literam philosophiae principiis conuenientissimam esse demonstrandum sibi sumfit. Quae tamen generationis et natalium mundi explicatio IOANNI KEILI Odisplicuit⁴, et theologi inuenierunt, quod in ea reprehenderent⁵; quam arenam praeципue ingressi sunt IO. EDVARDVS⁶ et DANIEL WHITBY⁷, ut alios taceamus. Whistonianis autem placitis *Geologiam sive Philosophiam de Genesi ac structura Globi terreni*, lingua Germanica edita⁸, superstruxit DETHELEVVS CLVVERIVS: qui tamen Bentleii quoque, Nicolii, Newtoni aliorumque naturae interpretum obseruationibus usus est. Qui cum etiam a narrationis Mosaicae litera recesserit, sine censura quoque dimissus haud est⁹. Plures adducere, qui cosmologiam Mosaicam philosophice explicuerunt¹⁰, institutum vetat¹¹.

§. IX. Si-

i) Vid. laudati FABRICIO I. c. p. 363. REIMMANN. I. c. SPANH. H. E. V. T. T. I. Opp. p. 283.
k) Elein. phil. theor. T. I. p. 74. 105. 170. 190.

l) A new theory of earth from its Original to the consummation of all things, Lond. 1698. 8. vid. Act. Erud. 1697. p. 535. Germanice vertit, sed parum feliciter MICH. SVENIVS, Francof. 1713. 4.

m) Edidit is lingua Anglica examen theorie sacrie telluris Burnetii et animaduersiones in theoriam Whistoni. Ox. 1698. 8. ad quas in Apologia respondit Whistonius 1700. 8. conf. Hist. des Ouvrages des Savans 1698. pag. 326. 1699. p. 131.

n) Whistonum theoriam Burnetianam emendaturum eam reddidisse deteriorem, illique sexcentas maculas addidisse, Burnetio paradoxorum monstrositate superiorum, dicendi facultate et doctrina inferiore, iudicat REIMMANNVS Cat. crit. T. I. p. 693.

o) In Demonstr. exist. et prou. diu. T. I. p. 147.
p) In tentamine defensionis historiae Mosis de Creatione mundi Lond. 1705. 8. idiomate Anglo.

r) Atheismi eum postulauit ZACH. GRAPIVS pec. Diff. illi opposita, conf. REIMMANN, I. c. c. 13. p. 361 seqq.

s) Pertinet huc THEODORI BARINI mundus nascens, sive creatio mundi ex principiis simplicissimis et historiae Mosaicae consentaneis demonstrata, Traj. 1686. lingua Gall. vid. Act. Erud. 1686. p. 199. vbi Mallebranchium sequi auctorem, obseruantur. Sed referri hue etiam debent tentamina physica probata ex experientia et Scriptura S. Paris 1684. 8. vid. Act. Erud. 1685. p. 496. itemque Moyses illustratus, itidem lingua Gallica, Amst. 1707. 12. vid. Act. Erud. Germ. T. VII. p. 361. Quin et Io. ESPAGNETI Physicae restitutae compendium huc referri potest, nam et is Mosaica principia Aristotelicis opposuit, reiectaque materia prima aquam et terram principia prima fuisse afferuit, haecque elementa commutari non posse statuit. Ignem autem mundanum in sole ponit, huncque creatoris oculum vocat. Quae omnia Molaica esse prolixius probare voluit, in arcano opere Hermeticae philosophiae conf. SORIL. de Perf. hominis P. III. p. 481. MORHOF. Polyhist. T. II. p. 168. STOLL. Hist. liter. P. II. c. 4. p. 541. BAYLE. Dict. T. II. art. Espagnet.

t) Pertinent huc suo modo omnes, quos nominat FABRICIVS Syll. Scriptor. de V. R. C. c. 13. p. 361 seqq.

K k k k

Ethicae Christianae conditores.

§. IX. Simile philosophiae moralis, ex scripturae sacrae paeceptis emendandae perficiendaque consilium, institutumque ethicam quandam Christianam exhibendi multis viris doctis arrisit, ratis, ita exaltato rationis lumine et perfecto, accuriores corrigendi animi felicitatisque acquirendae institutiones dari posse. Qua ratione illustris VITVS LVDOVICVS SECKENDORFIVS emendanda esse academicae iuuentutis studia censuit ^z, idem iam ante eum monente Io. HENR. BOECLERO ^x, aliisque viris piis et vitae emendationem urgentibus, quorum monita exhibet Io. GEORGIVS PASCHIVS ^y, qui consulendus. Quibus se paruisse videri vult ARNOLDVS GEVLINGSIVS, qui *Ethicam* suam, post fata auctoris a Philareto editam *Tubo Batauico*, id est, verbo *Dei acceptam retulit*, quia eius ope viderit, et non nisi ope eius vidisset, quae se iam eo seposito aliquantis per videre, immo quaedam talia tam perfecte cerebere, ac si illo instructus esset, afferit. Eadem viam praeter BECKMANNVM ^z, V. C. ARNOLDVS WESENFELDIVS in *Consilio emendandae inter Christianos ethicae*, vernacula edito ^z, commendauit; putat enim vir doctissimus, supponenda nonnulla dogmata Christianorum ad fundamentum religionis pertinentia, et ita rationis aciem augendam, firmandam et ad sanctos usus transferendam esse, ut quod inter naturam et gratiam discriminis intercedat, constet, et ita ad veram mentis emendationem, felicitatis omnis parentem, via paretur. Quod qua ratione praestari possit, tum in eo libello, tum in dissertatione *de necessitate Philosophiam ex Scriptura S. inter Christianos emendandi* pluribus docuit, quod hoc transscribi non potest. Et laudandum omnino esse virorum optimorum consilium, ille modo negauerit, cui pietatis sensus nullus inest; at limites tamen inter reuelationis et rationis paecepta ponendos esse, nec confundenda, quae sua natura distinguuntur, ipsi, qua sunt perspicacia, facile concedent, viri eruditissimi, qui theologiam quandam moralem loco ethicae philosophicae nobis commendare videntur. Sane, ubi non omnia rite inter se discernuntur, non potest non obscurum et incertum tractationis moralis chaos exsurgere. Id quod hanc arenam ingressis multoties accidit, quorum aliqui reuelationis et rationis principia inter se miscuerunt, nonnulli honesti, iusti et decori rationem et discrimen perturbarunt, quidam Aristotelem ipsum sacris Christianorum paeceptis immiscuerunt, et pessimum pseudo-virtutum genus sanctimoniae Christianae attexentes, purpurae diuinae veritatis turpissimos morologiae Peripateticae panniculos infelici conatu assuerunt: nonnulli infidias sacris dogmatibus ita struentes gratiae diuinae telum intentare dolose impieque contati sunt. Cuius exemplum qui volet, luculentum ex SAMVELIS CRELLII *Ethica Christiana* capiet. Vnde caute legendi sunt, qui in hac

u) In *Statu Christianismi* Lib. III. cap. 8. §. 6.
Pag. 55.
x) In *Praef. ad AMBROSIUM de Officiis.*

y) *De Variis modis tradendi moralia* c. 6.
Pag. 481.
z) In *praeognitis moralium.*
a) *Francof. ad Oder, 1721. 8.*

hac palaestra se exercuerunt. Quos hoc loco nominandi otium nobis fecit, celeberrimorum virorum lo. FR. BVDDEI^b, et B. G. STRV-VII^c diligentia. Illi vero praecipue hoc loco notandi sunt, qui philosophiam moralem secundum regulas decalogi exposuerunt: illi enim manifesto indicio sunt, quam turpiter inter se commisceantur non sine animi periculo ratio et reuelatio. Specimen eius rei dabunt LAMBERTI DANAEI^d, „Ethicae Christianae libri tres, in quibus de veris actionum „humanarum principiis agitur, atque etiam legis diuinæ, sive decalogi, „explicatio, illiusque cum scriptis Scholasticorum, iure naturali sive phi- „losophico, ciuili Romanorum et canonico collatio continetur, praeterea „virtutum et vitiorum, quae passim vel in Scriptura S. vel alibi occur- „runt, quaeque ad singula legis diuinæ præcepta reuocantur, variae de- „finitiones“^e. Tanta enim in hoc libro regnat principiorum tum co- gnoscendi, tum agendi confusio, vt quid Christiano fas sit, quid philo- sopho, nemo facile Danaeanis istis institutionibus vñs dixerit.

§. X. In ciuili doctrina, et viuendi imperandique prudentia, quamvis ea connatum homini lumen manifeste testetur, ex Christianae tamen sapientiae præceptis haud parum proficiendum esse, immo ipsa illa consilia regulasque prudentiae et architectonicae et politicae ex Christianae ciuitatis constitutione deriuandas esse multis placuit, quorum nomina atque libros designat Cel. STRVVIVS^f. Inter eos haud postremum nomen consecutus est, CAROLVS SCRIBANIVS edito *Politico Christiano* f. Ait diuersissimam ciuitatis sacrae et profanae indolem esse, nec tuto satis eas misceri confundique posse, ad naturam vtriusque paulo attentius respi- cientes erit manifestissimum. Fuerunt etiam, qui architectonicam ciuilis doctrinae partem ex consideratione theocratiae Israëliticae deriuandam esse censuerunt, et reipublicae recte constitutae indolem ex illa ciuitate prorsus peculiari forma vigente nosci posse dicenter; quos quia triumui- rorum celeberrimorum, BVDDEI^g, FABRICII^h, PEAFFIIⁱ, diligentia pene omnes enumerauit, malumus Lectorem ad hos fontes ablegare, quam aridis eius fitim eludere riuulis. Qua vero felicitate id fieri possit, factumque sit a viris doctis, qui in hoc stadio cucurrerunt, Lectori, singularem prorsus reipublicae Israëliticae indolem consideranti expenden- dum relinquimus. Iuris autem naturalis præcepta haud felicius cognosci posse, quam si statu integritatis ex reuelatione supposito ad eum officiorum regulæ, et quae in statu corruptionis mutationem passa sunt, exigantur, non sine ingenio demonstrare aggressus est, VALENTINVS ALBERTI, sacrarum literarum et philosophiae rationalis atque transcen-

*Politicae
Christianæ
auctores.*

K k k 2 den-

b) Introd. in Philos. Hebraeor. §. 53. et Hist. phil. c. 6. p. 388.

c) Bibl. philos. c. 6. §. 23. cum add. VV.CC.

Akeni, Lorrei, Kahlii.

d) Genevæ 1582. 8.

e) loc. cit. esp. 7. §. 7. f) Osnabrug. 1625. 8.

g) loc. cit. §. 54.

h) Bibliograph. Antiquar. p 477 seqq.

i) Praef. ad SPENCERVM de LL. Hebraeo- rum ritualibus.

dentalis publicus apud Lipsienses doctor, de sacris literis paeclare meritus. Is enim *Compendium iuris naturae orthodoxae theologiae conformatum Lipsiae MDCLXXVI* edidit, et fundamentum omnis iuris naturalis, ex natura hominis integra, atque labe nondum infecta deriuauit, et conuenientiam actionum cum statu integratatis et disconuenientiam ab eodem moralitati actionum antecedenter ad legem, quam barbara Scholasticon natio afferebat, supponendam esse censuit, hancque philosophiam Christianam paestantiorem esse vulgari praedicauit. Quam tractationem cum iuri naturali, quod vrgente et docente Samuele Pufendorfio prodierat, quodque tum quidem temporis valde commendabat Christianus Thomasius, opposuisset, idque variis modis iugulare contendisset, grauis inde lis illi enata⁴, hocque ius naturale Christianum a Thomasio valde exagitatum est, cuius tamen litis historiam hic omittimus, cum commodo magis loco in historia illustris aduersarii ea queat enarrari.

Io. Amos Comenius.

§. XI. Hactenus per lancem quasi saturam Mosaicos et Christianos philosophos adduximus. Enarrandi iam paulo plenius Comenii et Bayeri conatus sunt, eo quod pae aliis in hoc philosophiae genere exornando commendandoque industriam posuerunt suam. Et memorabilem quidem, vt in ecclesia, ita in orbe literario personam effinxit IOANNES AMOS COMENIVS. De cuius vitae circumstantiis certissima notitia hauriri potest ex *Praefatione operibus eius didacticis* praefixa. Et egit quoque de Comenii fatis SAMUEL MARESIVS, *Capite primo antiheretici sive defensionis aduersus Comenium*, qui vero cum atra lolagine calatum tinxerit, nemo non intelligit, caute fatis eius narrationi fidem esse dandam. Ex his vero fontibus sua hausit, qui res eius quoque enarravit PETRVS BAYLE¹, qui tamen, cum fanaticum eius ingenium et vaticinia inani spe deludentia amaro risu prosequatur, prodidit, non sine affectu parum aequo ad conscribendam se Comenii historiam accinxisse, cum iniuriarum Iurie, istiusmodi vaticiniis languentes suorum animos erigere cupientis, memor insensum in huius generis homines animum seruaret. Quemadmodum ex altera quoque parte, pietatis specie, quam magnopere pae se tulit Comenius, seducti viri nonnulli docti, magis paeclarata et laudanda in eo viro viderunt², quam re vera deprehendet Lector a partis studio vacuus. Nos sine ira, sine amore res celeberrimi viri enarrabimus, et vbi licet, sententiam nostram adiiciemus. Natus est Comenius Prenouiae in Moravia V Cal. April. anno MDXCII, ingenio ditatus a natura felicissimo, in scholis, et paecipue in gymnasio quod Herbornae Nassouiorum floret, humanitatis et philosophiae disciplinas magna felicitate didicit. In patriam anno MDXCIV reuersus scholae

prae-

k) Consulendi, qui iuris naturalis historiam enarrarunt, LVDOVICI §. 65. p. 41. THOMAS. c. 6. §. 23. 31. 34. add. REIMM. Hist. lit. Germanor. P. III. p. 53 seqq.

l) Dict. T. II. art. Comenius p. 202.

m) B. BVDEVS l. c. §. 36. et qui praefationem et vitam Comenii eius vni necessario paefixit Editor Halensis.

praefectus, et biennio post Fulneccensi ecclesiae doctor datus est, ita tamen, ut scholae quoque, quae ibi excitabatur, curam gerere iuberetur. Scholasticis itaque laboribus occupatus, dum de promouendis iuuentutis Scholasticae commodis cogitat, et methodi vſitatae vitia perpendit, ad nouam et faciliorem feliciorumque delabitur, cuius specimen eo anno edit. Disiecerunt tamen cogitationes eius tumultus bellici, qui eo tempore Bohemiam, et paulo post Germaniam omnem repleuere, et sanguine, rapinis, igne miscuerunt et eueterunt omnia. Furori bellico enim Comenius quoque non sine magno malo suo cedere, et in direptione istius oppidi, quod solo aequauit militum Hispanicorum furor, supellecilem librariam cum fortunis suis amittere coactus est, qua calamitate simul, quas in chartam coniecerat, meditationum suarum exemplum perdidit. Auctum est malum malo, cum edicto Caesareo anno MDCXXIV ministri ecclesiistarum Protestantium omnes terris istis excedere iuberentur. Asylum tamen aliquantis per apud Georgium Sadowsky de Slaupna inuenit, apud quem in montanis Bohemiae delitescens, ut filiis Maecenatis gratificaretur, consilia sua scholastica et methodica recoxit, diu tamen ista securitas durare non potuit, anno MD CXXVIII enim cum aliis, qui in Bohemia delituerunt, regno excedere coactus est. Ita patria exul ad Polonos confugit, et Lesnae consedit, vbi Latinam linguam docuit. Cuius faciliorem et commodiorem methodum explanaturus, anno MD CXXXI *Ianuam linguarum referatam* edidit. Dici non potest, quanto plausu et approbatione liber exceptus fit, famaque Comenii ex eo incrementa ceperit. Adeo enim consilium eius vbiique locorum probatum fuit, ut, quod ipse tradit, libellus in Latina, Graeca, Bohemica, Polonica, Suevica, Belgica, Anglic, Gallica, Hispanica, Italica, Hungarica, quin et in Arabica, Turcica, Persica lingua prodiret, isque ab eo tempore iudicaretur esse Comenius, cuius in emendanda re scholastica iudicium et consilium plurimum esset sequendum. Quem plausum vtrum reuera fœtus hic Comenianus meruerit, hoc loco dispicere non licet, consulendus autem est D. G. MORHOFIVSⁿ. Non contentus autem humaniores literas suis consiliis adiuuasse, ipsam quoque philosophiam noua luce colustrare statuit. Edidit itaque anno MD CXXXII apud Amstelodamenses *Synopsin physicae ad lumen diuinum reformatae*, plenus an. MDCLXIII recufam^p, et initio decurrentis seculi a Cel. Io. IOACHIMO LANGIO thesibus^o comprehensam, in qua naturalem philosophiam ad reuelationis traditionem exigere et emendare, reiecta physica Peripatetica, conatus est, quo scopo etiam *Prodromum Philosophiae* edidit, emendandae philosophiae initium isto libro facturus. Cum autem maxima esset peritiae eius in doctrina scholastica existimatio, ad exterros quoque vocatus, et in Sueciam atque Angliam ad emendandam rem scholasticam anno

K k k k 3

MDCXXXVIII

ⁿ) Polyhist. liter. T. II. L. I. c. 15. §. 18. p. 120.
^o) Habet haec editio appendicem et addenda.

^p) Theses physicae Comenianae ad lumen diuinum reformatae. Berolini 1702. 8.

MD CXXXVIII inuitatus est. Reiecto itinere Suecico, licet illuc consilia sua misisset, in Angliam abiit; vbi cum sua non probari intellexisset, quod regni motus obstarent, reuersus ad Suecos, vbi magna de eo erat expectatio, proceribus regni, inter quos summa tunc auctoritate potiebatur Cancellarius regni Alexius Oxenstierna, ita methodum, quam parturiuerat Scholasticam commendauit, vt stipendio auctus veniam nanciseretur, quae animo conceperat, accuratori studio elaborata in lucem tandem proferendi. Eum in finem Elbingam se contulit, et post quadriennium exactum, quae conscripserat in Sueciam allatis probatisque, redux ultimam manum imponere constituit. Intercessere tamen huic quoque consilio fata aduersa, quae ad Polonos eum reuerti coegerunt. Tum anno MD CXL VIII ad Transyluaniae principem Sigismundum Ragozium profectus est, qui eius opem ad emendandam in terris suis rem scholasticam implorauerat. Cui cum et diligentiam et doctrinam probauisset, re confecta anno MD CL VI Lesnam, non sine malo omni, rediit. Polonorum enim militibus urbem incendio delentibus, (quam in Comenium culpam transfert MAR SIVS¹⁾) facultatum pene omnium, et imprimis supellectilis librariae, atque eorum, quae de meditationibus suis in chartam coniecerat, iacturam fecit: erepta sunt flammis pauca pansophica et apocalyptic, humi defossa. Ita sede sua orbatus et exul, incertam vitam agere coactus est, et primo apud Silefios, tum in Brandenburgicis ditionibus, imprimis Francofurti ad Oderam, et ob peritis metum eo loco relicto Hamburgi cum familia vixit, tandemque Amstelodamum translatus est. Ibi inter viros primariae dignitatis, et facultatibus affluentes inuenit haud paucos, qui ei bene cuperent. Praecipue autem in Ludouico de Geer, diuiniis opibusque florentissimo Moecenatem expertus est exoptatissimum. Is enim, cum in miseros exulesque quorum spectata esset pietas et eruditio, maxima benevolentia ferretur, Comenium autem sciret parenti suo fuisse commendatissimum, quippe qui eum in Sueciam inuitauerat, non hospitium modo illi liberaliter praebuit, sed sumptus quoque ingentes ad excudendos conatus Comenii philosophicos et pansophicos fecit. Quo patrono obstetricante pars eorum, *Operum didacticorum* titulo anno MD CL VII Amstelodami prodit, nec tamen omnes lucem viderunt. Et his quidem circulis occupatus Comenius, maxima existimatione eo tempore gauisus est. Cum autem maiora affectaret, et apocalypticarum visionum interpretatione securus, nescio quas maximas regnorum conuersiones, et afflictæ ecclesiae mutationem gloriofam perfentiscere crederet, sibi ipsi malum accersiuit. Nempe splendida eo tempore vaticinia iactabant Christophorus Kotterus, Silesius, Christina Poniatouia, Bohema, et Nicolaus Brabitius, Morauus. Quorum somnia cum probaret, et maximam inde orbi rerum commutationem promitteret, ea vulganda esse censuit, *Lucisque in tenebris* titulo anno MD CLI edidit, quibus postea anno MD CLIX *Historia reuelationis*

q) loc. cit.

*nis horum hominum accessit*¹⁾: qui libellus vterque inter rarissimos hodie numeratur²⁾. His vero conatibus innumeris fibi molestias et aduersitates concitauit imprudens et πολυπόρων Comenius. Cum enim Austriacae genti infelicia quaevis minarentur ista vaticinia, et seditionum semina spargere crederentur, eius auctoritate pleraque exemplaria suppressa sunt. In arenam autem contra has visiones descenderunt Samuel Maresius, et Nicolaus Arnoldus, qui famam Comenii miris conuiciis prosciderunt, et superbiam, αὐστηρεόδια, artes fordidas, inconstantiam, et Quackero- rum atque Fanaticorum ac Enthusiastrarum insaniam quamlibet atroci accusatione illi obiecerunt: quo fundamento, qua veritate? hoc loco dispicere non licet. Comenius autem, quem spes instantis regni millenarii lactabat, quod anno MDCLXXII, vel sequenti aduenturum ex computati- one apocalyptica definierat, isto se tuebatur solatio; et opportune anno MDCLXXI, XVII Cal. Iul. mors eum rebus humanis, dolorique et pudori de frustrata spe sua atque vaticiniis Amstelodami anno aetatis LXXXI, eripuit. Maior futurus, si his se nugis decipi passus haud eslet, et intra didacticorum suorum limites substitisset, quae licet nostris se temporibus non probent, ea tamen aetate maximam prudentiae scholasticae opinionem meruerunt. Verum de his eius conatibus in praesentia dicendi locus haud est. Commemorandus autem nobis est, quia inter philosophos Mosaicos primam fere sedem occupat. Nempe cum erudienda iuuentuti scholasticae operam tribuisset suam, et philosophiam quoque illi tradere suscepisset, minime satiatus spinis scholasticis in **L V D O V I C I V I V I S** libros *de Tradendis disciplinis* incidit. In quibus cum maxima luce perditissimae philosophiae errores naeuosque perfusos videret, illam quidem vehementer perhorruit, at, quod melius sequendum sit a Viue demonstratum non inuenit. Incidit autem, dum haec animo meditabatur, in eius manus *Prodromus Philosophiae instaurandae* a **T H O M A C A M P A N E L L A** conscriptus, qui cum mire illi placeret, *realem* quoque *philosophiam epilogisticam* eius atque libros *de Sensu Rerum* euoluere cum cura constituit. Et placuit quidem Comenio libertas philosophandi, dispicebat autem, ea principia poni, quae Mosaicae narrationi, triada principiorum innuenti, contradicerent, et fibi non fatis apte cohaererent. Magni Verulamii libros autem et consilia licet magnopere probaret, clauem tamen monstrari, non vero adyta naturae recludi, vidit. Proprio itaque Marte pelagus hoc tentandum ratus, vt ad certiorem rerum naturalium cognitionem perueniret, Peripateticam philosophiam ve- lut multis in partibus deficientem, intricatam, ambagibus diffuentem, et erroneam adeoque Christianis inutilem et noxiā deferendam esse statuit, assumtisque philosophandi fontibus, sensu, ratione et Scriptura, philosophiam ita reformare ac perficere constituit, *vt omnia*, quae sunt et sunt, ad sensum, rationem et Scripturam harmonice

reu-

¹⁾ Fuse Historiam horum vaticinorum enarravit G. ARNOLDVS P. III. et IV. Hist. eccl.

²⁾ Vid. VOGT. Cat. libr. rar. p. 361.

reuocentur, et ea euidentia seruetur, vt sparsam vbique veritatem palpare cuius mortalium liceat. Non enim veritatem detegi posse credebat, nisi tria ista cognitionis principia coniungantur, cum et foli sensus ineptas opiniones gignant, et ratio sola in mera phantasmatu abripiatur, et, Scriptura fine ratione perueratur. Hanc tamen velut certissimum philosophiae fontem commendat, laudatque philosophos Christianos, Vallesium, Danaeum, Lemnium, Lydyatum, Aslacum, Casmannum, quod nouae philosophiae semina in SS. Bibliorum codice quaesiverint. Et his quidem principiis innixus *Physicam illam ad lumen diuinum reformatam* construxit, cuius principia ex dicendis constabunt. Valde placuere conatus Comenii viris nonnullis doctis, quos studium pietatis, quod prae se ferebat, ceperat, vnde bene de eo iudicarunt THEOPHILVS SPIZELIVS^t, GODOFREDVS ARNOLDVS^u et Io. FRANCISCVS BVDDEV^x, tum quidem, cum, Mosaicae et Hebraicae philosophiae magnum adhuc pretium statueret. Aliter tamen aliis visum, qui ferre non potuerunt humana diuinis miseri et confundi omnia, coruosque deludientes. Vnde acerrimus harum rerum et peritus arbiter Nic. HIERONYMVS GUNDLINGIVS^y, physicam hanc oleam et operam non commeruisse, iudicat, quemadmodum Comenium operibus didacticis patronos pecunia emunxisse, sibique tempus melius collocandum eripuisse censet, et vaticinia infana affectuumque vehementiam in eo improbat: Quae an vel excusari vel negari possint, Lectori Comenii scripta euoluenti dijudicandum relinquimus. Illi autem subscriptimus, quod addit Gundlingius: *Iuraturum je, Mosen non agniturum esse, quae ipsi dogmata ab ipsis hominibus attribuantur.* Nam inferre sua somnia et intrudere in historiam Mosis viros bonos sed iudicio philosophico destitutos vel lippus potest cernere.

Ioannes
Bayerus.

§. XII. Eandem viam calcauit IOANNES BAYERVS, obscurum cetera nomen. Natus is est, teste DAVIDE CZWITTINGERO^z, apud Eperienses, et senatus stipendio auctus in academia Leucorea philosophiam, sacrasque literas et artes mathematicas tanta industria et eruditionis laude didicit, vt facultatis philosophicae doctoribus adiungeretur, iuuentutemque academicam cum laude docere posset. Tum in patriam vocatus est ad scholam regendam et dein Neofelium ad obeundum munus ecclesiasticum, quo Varallii quoque functus est. Edidit is praeter filum labyrinthi, siue lucem mentium supra memoratam, *osium* vel *atrium naturae ichnographice delineatum, id est, fundamenta interpretationis et administrationis generalia, ex mundo, mente et scripturis iacta, Cas- souiae anno MDCLXII.* Multa in hoc systemate physico innovauit

Bayerus,

^t) In Literato felice p. 1051.

^y) Hist. phil. moral. c. 7. p. 65.

^u) Hist. eccl. T. II. p. 197.

^x) loc. cit. Add. biographus eius Ha-

^z) In specimine Hungariae literatae pag.

lenias.

44 seqq.

Bayerus, Aristotelicae philosophiae valde infensus, quo si standum sit, nunquam ad certam metam philosophos peruenire posse, sed de singulis disputaturos esse in infinitum censuit. Secutus autem est in principiis rerum naturalium explicandis Comenium, ita tamen, ut multa innouaret, et proprium sibi doctrinae naturalis aedificium construeret. Tria scilicet principia Mosaica cum Comenio assunt, materiam, spiritum et lucem. Et materiam quidem, ut Peripateticum vocabulum vitaret, massam Mosaicam vocavit, eamque in dupli statu posuit, nempe creationis primae, unde vniuersalis est, et creationis secundae, quo particularis illi dicitur. Illum statum diem modo primum durauisse, hodieque nullum esse afferit. Alterum in constitutione massae sub peculiaribus formarum distinctarum characteribus, posterioribus creationis diebus introductis ponit, eumque hodie durare, et pro certis rerum generibus distingui affirmat. Hinc distinctio illi orta, inter massam corporum primordialem vel semifinalem, natuam vel aduentitiam, permanentem vel fluxam. Ut vero rerum omnium genesis explicaret, hoc praecipue axioma assunt: massam in vniione spiritus et lucis constituere corpus. Massam autem licet informem fingat, et instar fumi vel vaporis discontinuam; porosam tamen et partibus suis cohaerentem statuit, quae consistere simul non posse recte monuit MORHOIVS^{a)}. Post massam mundi naturam fabricantem inter principia retulit, et hac voce ambigue, non Deum modo, sed et spiritum vitalem, Mosaicum plasmatorem, et extrinsecos patratores comprehendit, horumque mira imaginationis foecunditate indiuiduis qui busuis in specie certa tributorum alium communiscitur solitarium, alium totalem, qui sine concursu alterius concaussae sufficiens sit ad semet ipsum seminaliter per nouorum indiuiduorum generationem propagandum et multiplicandum; alium socium siue partiale, qui cum aliis socias manus iungit. Spiritus vitalis origines ex Spiritu S. massae Mosaicae incubante deriuat, eumque agens et finitum creatum ab illo dicit, ut naturas corporreas secundum assignatas ideas efformet. Eam autem naturam fabricantem id est spiritum vitalem, vel internam et immediatam, vel externam et mediatam esse vult; eamque dicit esse auram illam vitalem, seu spiritum vitae, intelligentem et sapientem, actuosum et penetrantem, qui omnia exequatur in formandis corporibus, omnia penetret, ordinet, formet. Hunc licet a rerum formatione plasticum esse dicat, illi tamen patratores externos addit. Non enumerabimus diuisiones illius spiritus, quem vel vniuersalem vel particularem, vel natuam vel aduentitium, vel supracoelestem, vel sidereum, vel elementarem, substantificum et modificatum, &c. facit, prout illi vel originem adscripsit, vel subiectum, in quod operetur tribuit: his enim difficilibus nugis Lectoris patientia abuti nolumus,

a) Polyhist. T. II. L. II. P. I. c. 3. §. 5. p. 161. vbi de toto systemate Bayeriano iudicat.

mus, sed monebimus tantum, huic naturae plasticae, siue spiritui vitali in tot particulas dissecto, fermentationem Bayerum potissimum tribuere, qua potior pars operationum eius absoluatur. Binis his principiis passiuo et actiuo, instrumentale quoque addit et ministrans, nempe lucem, quam mediae, dicit, esse naturae inter massam et spiritum, et necessariam esse ait ad operationes huius in illam perficiendas. Quam vbi in primogeniam siue vniuersalem, et ortam siue characterisatam distinxisset, eius ministerium ponit in motu, agitatione et vibratione, hancque vel ad peripheriam vel ad centrum fieri contendit, hincque caloris et frigoris notiones deriuat. Ratione subiecti autem multis iterum modis hanc lucem distinguunt, et nominibus compellat suis, hoc loco non enumerandis. Similis est in reliquis enucleandis, vbi singulis fere capitibus noua entia producit, v. g. naturam dirigentem, siue ideam, dotes naturarum fabricantem, naturam sigillatam, seu characterem corporum discretuum ac determinatum, quo corpora naturalia configurentur. Quam formam siue oriri siue deriuari tamen putat ex configuratione massae, concentratione spirituum, et temperamento lucis, in vnione ac penetratione mutua. Et tamen huius iterum proprietates distinguunt, et formam partiales, subordinatas, graduales, ascendentales, secundarias et similes comminiscitur. Plerasque enim proprietates et affectiones in principia commutat; vnde constitutiones facultatesque tum receptivas tum impressivas naturas dicit esse ornantes ac instruentes. Hae affectiones vel proprietates sunt extensio, terminus, figura, continuitas, contiguitas, situs, quibus singulis suas facultates receptivas tribuit, cum omnis actio sit vel a spiritu vel a luce, vel ab utrisque. Sed et proprietates a Spiritu, principio altero, prouenientes, adducit, vitam, cognitionem, cupiditatem, vim, nisum siue conatum, operationem, de quibus multa minuta differit. Has vero proprietates a spiritu corporibus induci putat, vnde sequitur, corpora vita, cognitione, conatu, cupiditate, operatione gaudere, id est habere intellectum et voluntatem: in quo Campanella corporibus sensum tribuente multo est intolerabilior. Porro principiis quoque inter se iunctis nouas affectiones tribuit, entitatem, subsistentiam, numerum, locum, similesque: et naturis quoque stimulantibus siue mouentibus, nempe amori, auersationi, cupiditatibus et fugae, itemque naturis consociatis siue conspirationibus et hostilitatibus natura similia attribuit, et innumeratas *λεπτολογίας* sequitur. Ex quo breui physicae huius Mosaicae Bayerianaee conspectu Lector vel mediocriter iudicio instructus comprehendit, non magis eam Mosaicam doctrinam referre, quam refert physica Peripatetica, in multis sibi auctorem non constare et contradicere: et imprimis tum entia innumera nullibi, quam in imaginatione cerebri sui extantia comminisci, quam ideis obscuris, vagis, incertis, et nihil significantibus in principiorum natura locum suffectis loco theatri naturae, nobis campum aperire spectrorum atque lemurum, et quod rectissime obseruatum MORHOFIO^z, nihil

b) loc. c. T. II. p. 120.

praeter

praeter terminos, et nomina, sed plane noua, quibus nihil subest demonstrationis, exhibere: reliqua enim, si verum dicendum, a Scholasticis, eiusmodi entibus physicam doctrinam replentibus, mutua accepit, et noua veste donata in scenam produxit. Tacemus innumera male cohaerentia et *ἀσύρα*, quae acute notauit MORHOIVS^{c)}, qui videndus. Certe Mosen hic in Mose, etiam Democriti lucerna accensa frustra quaebras. Mirum itaque haud est, exigua fortuna hanc naturalem philosophiam vsam esse. Quamuis enim ineunte seculo, quo viuimus, viri quidam docti in Halensi academia hanc physicam Mosaicam restituere conarentur, quod imprimis fecisse Christianum Thomasium, ad illustris viri historiam delati fuse docebimus: euentu tamen res ista caruit, ipsique viri isti doctissimi hunc conatum haecque consilia abiecerunt, cum intelligerent, coruos ita deludi hiantes, nec nostris temporibus, principia quaerentibus, quae pectus saturant, et sensus implent, ipsamque naturam ducem exhibent, istis commentitiis principiis satis, quod est, praestari posse.

§. XIII. Parum promouisse naturalem philosophiam ex hoc virorum piorum quidem et laudabili consilio inflammatorum, at naturae rerum non satis intentorum conatu Mosaicam philosophiam restituendi, ex dictis est manifestissimum. Sole meridiano enim clarius est, eos, cum sectariam philosophiam euitare voluissent, in alterum extremum prolapsos omnem philosophiam cum reuelatione confusisse, et huic quoque sui ingenii somnia, perobscura et difficilia subornasse, hac vero ratione dum Charybdis euitare voluerunt, in Scyllam incidisse. Paucis id, more nostro observationibus, ad monendum Lectorem comparatis, ostendemus.

Observationes generales de secta et philosophia Mosai- corum.

I. Posuisse viros eos doctos, quorum *Φιλοσοφεία* in hoc capite adduximus, pro indubitate axiomate: sacras paginas, quaeque in illis reuelata est homini, sapientiam non modo ea recludere, quae ad obtinendam animae salutem sunt necessaria, sed humanarum quoque rerum naturam ita exponere, ut certissima inde scientia gignatur, si rationis ministerio in scientiae formam redigantur, ex ipsorum effatis in antecedentibus adductis est certissimum, et tota philosophiae huius Mosaicae et Christianae constitutio atque indeoles comprobatur. Qua in re haud uno modo peccatum ab illis est. Quamuis enim extra dubitationis aleam constitutum sit, non repugnare sibi inuicem, quae ab uno patre lumen profecta sunt, principia ista duo, quae intellectum nostrum illuminant, rationem puta, et reuelationem, nec veram ostendi posse contradictionem, ita ut quod unum ponit, euertat alterum; manifestum tamen, tum ex cognoscendi principio, quod vocant, quodque vtrumque diuersum ponit, tum ex fine, quem vtrumque respicit, valde ea differre, nec inter se esse committenda. Ea vero quae ad naturam hominis rerumque naturalium cognoscendam pertinent, cum illis, quibus salus hominum innititur aeterna, quaeque al-

L III 2

tioris

c) loc. cit. pag. 162 seqq.

tioris sunt indaginis, et alium nobis orbem recludunt, non esse confundenda, sed suis limitibus distincta ad certam normam certosque fines esse exigenda. Quo tamen asserto non negamus, ex reuelatione in facris oraculis comprehensa posse perfectionis atque augmenti aliquid ad rationis disciplinam, quae philosophia dicitur, accedere, vt ex morali eius parte satis luculenter demonstrari posset, si id ageremus. Ast misceri cognoscendi principia, et ex reuelatione ea axiomata desumi, quibus philosophicum systema inaedificari possit, id non *αταξιαν* modo, sed et ipsam rerum confusionem innuit: longe vero aliis rei usus est, quae in comparatione vtriusque luminis in argumento philosophico versatur. Quamuis enim positis semel rationis (ast non praeiudiciis sectae et auctoritatis vel aliis praecognitis opinionibus in praeceps actae) regulis et definitionibus, si cum facris paginis comparentur, possit intelligi, in quo naturalis cognitione deficiat, in quo supplementum quoddam suppeditare possit reuelatio, quid cognosci non possit, et intra angustos humani intellectus limites spelendum quasi et lubenter ignorandum sit: nisi tamen caute in eo negotio verteris, in deuia mox abripi animum a recta via aberrantem necesse est. Nempe id potissimum caendum est, ne, quod suppeditat velut supplementum quoddam atque auctarium reuelationis doctrina, habeatur pro philosophico, et rationi innotescente, licet vel calculum ratio adiiciat, vel negare tamen illud non ausit, sed id sacrae inspirationi a Deo factae acceptum referatur, quo pacto quae ad doctrinam moralem augendam et perficiendam commodant sacrae paginae, non ad ethicam philosophicam, sed ad theologiam moralem referenda sunt: et scopus porro scripturae sacrae nunquam ex oculis dimittendus est, sed cogitandum, fontes reuelationis diuinorum ad eripiendos hominum animos ex connata miseria, ad emendationem mentis et reconciliationem mortalium cum Deo, et ad obtainendam aeternam felicitatem ex diuinae sapientiae oceano scaturiuisse. Quae vbi accurate obseruantur, ducet quidem moralis doctrina ad morum emendationem, quam diuiniores paginae docent, at diversis tamen circumscribitur limitibus: naturalis autem doctrinae studiosus cum longe alia tradat reuelatio, hos sibi cognitionis fontes non fuisse datos clare intelliget, nec recurrentum esse ad sacras paginas in rerum *γενέσεως* adumbranda statuet, eo quod hunc sibi finem Deus in aperiendis humano generi mysteriis suis non proposuit, vt de natura rerum edocerentur. Verum utramque hanc cautelam satis negligenter oblii sunt, philosophi hi, quos descripsimus Mosaici et Christiani. Non enim reiecta quod recte factum erat, philosophia sectaria, id sibi proposuere, vt sine auctoritatis, antiquitatis &c. praeiudicio, naturam rerum vel moralem vel physicam accurate attenteque intuerentur, et detectis principiis teste connato rationis lumine, veris, et evidentibus, ea quae sua sponte consequuntur, inde deducerent, et notionibus usi perspicuis certisque et propriis, quid ratio definit, stabilirent: et haec demum cum reuelatione compararent,

cum

cum quibus conueniant, in quibus discrepent, intelligerent. Hoc sane si fecissent, non magnopere haberemus, quod reprehenderemus. Sed ad longe alia hisque contraria dilapsa sunt, et utrumque cognitionis lumen misere turbauerunt, et temere omnia miscuerunt, sic ut obscurum inde chaos non potuerit non emergere, ex quo quid naturae lux definiat, qui lumen coelitus collatum manifestatumque tradat, nemo facile potest intelligere. Et haec quidem vera causa est, cur ita philosophia Mosaica tot principia, terminos, assertiones habeat, quae non tantum claram nobis et distinctam rerum, de quibus praecipiunt, notitiam non suppeditant, sed et sibi ipsis haud raro contradicunt, nec cohaerent, et inuicem consequuntur, multoties autem se ipsa euertunt. Quod, nisi fallimur, satis manifestum indicium esse potest, caruisse hos philosophos arte ratiocinandi, qua qui destituuntur, in philosophiae campo parum promouent. Maxime vero in eo porro aberratum ab his viris bonis est, quod ita ad Scripturam in condenda noua philosophia, praesertim ea, quae de rerum natura agit, recurrerint, ut ipsum reuelationis diuinae oraculorumque facrorum finem euerterint. Id quod manibus palpabit, qui paginarum diuinarum cauſas, cur nobis traditae sint, paulo penitus explorauerit. Non enim ineffabilem Numinis benignitatem commouit ea ratio, ut de rebus ad hunc mundum pertinentibus curiosius instruerentur homines, sed ut agnita deplorataque, qua tota mortalium natio depresia iacet miseria, verum, quod cum irato iudice supremo homines reconciliat, momentum mediumque diuina luce collustrati intelligerent, hocque beneficio emendatae mentis et vitiorum tyrannidi eruptae ita libarentur, ut reuocatae diuinae, ad quam condita est natura humana, imaginis elegantia, et innumeris coelestis fauoris muneribus illis collatis incipient vera in hac vita felicitate frui, aeternis et infinitis post eam bonis cumulandae, si parario Dei filio ad hanc felicitatem progressae, rectam semitam non deseruerint. Quem scopum cum diuina sibi constituisse benevolentia, et felicitati huic omnes, quorum miseriam leuare et infelicitati succurrere decreuerat, destinasset, reuelanda haec fuere omnibus, eo quidem modo, ut nemo esset, vel iudicio hebetior, vel aetate viribusque infirmior, qui non ex his oraculis istud consilium Dei discere idque sequi posset. Quae ut ipsis sacris paginis conformia sunt, a nemine negari possunt, qui diuinae traditionis summam in ipsis voluminibus comprehensam pro diuina recipit; ita clarissime euincunt, mysteria quidem maxima, incomprehensibilia, et nostrae intellectionis sphæram longe transcendentia, in ipsis reuelari, ipsam tamen eorum enarrationem simplici et aperto modo factam esse, et hac ratione ostendere, nihil quod artificiosum systema, quodque reclusa naturae adyta præse ferat, in sacris literis esse quaerendum. Ad hunc vero scopum viri boni non attenderunt, sed cum sacras paginas a sapientiae fonte profectas esse scirent, omnis quoque cognitionis humanae fundamenta in ipsis recludi iudicarunt. Qua in re optandum

dum esset, ut voluntati in se bonae et laudandae, iudicij accuratio respondisset, nec ex institutionibus diuinis de salute hominum systemata pansophica, Christianamque et Mosaicam philosophiam effinxissent. Quod quam noxium sit, et ad deridenda sacra mysteria apud profanas mentes aptum, non ignorant, qui seculi nostri proteruiam attento considerauerint oculo. Viderunt id viri docti, hosque naeuos philosophiae Mosaicae cordate reprehendere non neglexerunt, quorum verba et observationes, ne nimii simus, legi velimus apud MORHO FIVM^d, GASENDVM^e et nuperum AVCTOREM Gallum *Historiae Criticae Philosophorum*^f: pulchra enim nonnulla hac de re monent, et Lectoris attentione dignissima. Non celandum tamen, ad hanc nostram censuram, quam praeuiderat, respondisse COMENIVM^g. Sribit enim „fateor, scripturam diuinitus inspiratam ad docendum, arguendum, corrigitendum, et erudiendum in iustitia datam esse: fateor, hunc esse scripturae ultimum finem. Quis tamen nescit, vnius rei plerunque plures esse fines etiam in humanis, nedum in diuinis, vbi totam se vix peruestigabili nobis artificio complicauit adorandi Dei nostri sapientia? profecto si per totam naturam id artificii deprehendimus (ita autem est) ut quaelibet creatura creatureque pars, et partis particula pluribus seruiat vobis, cur hunc summae sapientiae characterem detrahamus codici, non video“. Pro uocat etiam ad dicta scripturae, quibus omnem sapientiam ex lege haurire iubemur. Ast mire ignoratione elenchi, quam vocant, fallitur atque fallit Comenius. Non enim de fine Scripturae S. aut uno aut multis quaestio est, sed vtrum ad addiscendam philosophiam praeципue naturalem ea reuelata sit? Et longe alia fuit, et a pansophia Comeniana toto coelo diuersa sapientia, quam discere iubebantur Israëlitae, nempe legis diuinae et mysteriorum diuinorum. His vero arenosis fundamentis eueris, tota corruit philosophia ista Mosaiaca.

II. Valde hanc censuram philosophiae Mosaicae et Christianae confirmat ipsa eius natura et indeoles, tota, quanta quanta est, philosophiae nomine indigna. Cum enim ob diuersam ab-hoc confilio sacrorum oraculorum conditionem, ne principia quidem certa, vniuersalia, adaequata ex iis de humanis sapientiae disciplinis illius sectatores haberent, vellent tamen noua dicere, et ornatus philosophari, necessario ad fingendi imaginandi que facultatem, in his hominibus supra modum foecundam recurrere, necessum habuerunt. Ita vero audaciore facti, dum diuinioris sapientiae titulo mire fibi placent, exorbitantis ingenii somnia sacris scriptoribus tribuere, et genuinis adulterina supponere ausi sunt: Cum vero vel ex pristine studio quaedam retinuissent, vel nouum doctrinae aedificium exstruere tentassent, suas cogitationes, lerido praejudicio seducti, ita sacris scriptoribus tribuere non erubuerunt, vt admotis machinis, renitentibus rectae interpretationis legibus, obnitente sensu verborum, reclamanto textus

d) loc. cit. pag. 153 seqq. e) Exam. Phil. Fludd. P. II. c. 4. f) T. I. p. 169. g) In Praef.

textus connexione, contradicente omni euidentia eorum verba in partes suas obtorto collo raperent, quadrata rotundis miscerent, et inutiles, obscuras, parumque vel nihil significantes gerras sacris dogmatibus affri- carent. Quae audacia, licet pietatis nomine cohonestata, dici non pot- est, quantum apud homines profanos detrimenti facrorum librorum au- toritati attulerit.

III. Mirandum ob dictas caussas non est, euidentiam tantopere ex his systematibus exulare, vt Cimmeriis cuncta tenebris obsepta atraque nocte cincta compareant. Qui enim ideis vagis, notionibus nihil signifi- cantibus, entibus imaginariis vni, inanibusque distinctionibus capti sunt, vt magnos exercitus laruarum, velut nouae philosophiae principia, axiomata, regulas viderent; eos nec se intellexisse ipso, nec alios eorum mentem capere, magna admiratione dignum haud est. Ita enim euenire necesse est, vbi quid dicendum sit, intellectus non capit distinctione comprehendit; vo- luntatis autem sese efferentis ambitio et *καινοφίλια* tamen melius quid dare, et elegantiora afferre affectat. Non enim certis et distinctis, quas vel ratio suppeditabat, vel reuelatio exhibebat, notionibus, principiisque sua luce radiantibus hi homines vni sunt, sed ex facrorum voluminum narratione ea excerptentes, quibus commenta sua inaedificari posse iudi- carent, obscuros atque peregrinos sensus illis assuerunt. Quod non po- tuit non densas illas nebulas in hac philosophia gignere, per quas clare videre, quid hi homines velint, multo vero magis, quid verum sit, mini- me liquet. Qua ratione vero et omne philosophiae incrementum suffoca- tur, et difficilibus istis nugis Siculisque gerris deterrentur homines, vt magno intellectus humani detimento philosophari desinant. Vnius Bay- eri *Atrium* his spectris et laruis plenum rem satis illustrat; plura qui desiderauerit, ei sequens caput Robertum Fluddum sistet: simili infania circa Mosaicam philosophiam delirantem.

IV. Sed et aliud malum hoc philosophandi genus secutum est. Nem- pe plerique eorum, qui hanc veritatis inquirendae viam ingressi sunt, in ea retia inciderunt, quae nimis caute euitare cupiebant. Cum enim a pueritia sectariae, et praecipue Aristotelico-Scholasticae philosophiae essent innutriti, illa vero minime satiati et animo expleti, tandem odio eius ducerentur, ad noua quidem et meliora in sacris tabulis quaerenda se accinxerunt; cum autem istius, quam iam eiurare cooperant, philosophiae notionibus, terminis, axiomatibus, methodoque philosophandi memo- riam repleuissent, nec in scripturae diuinioris foliis talia inuenirent, quae his surrogari possent, eo quod diuersissima traderent; illa quibus dudum assueti erant, et quae dimisisse credebant, ignari in sacram historiam in- tulerunt, et inaudita ex ea mysteria exsculpentes, dum verba innouant, terminosque alios parturiunt, veteribus fordibus philosophiam non libe- rant, sed cumulant, sacram doctrinam autem inquinant. Cuius summa et diuina maiestas, simplicissimo verborum sensu demonstrata ita istis lu-

xuri-

xuriantis ingenii nugis eneruata est, vt occasio inde impietati enasceretur, ipsam simul reuelationem cum ista philosophia sanctiore deridendi.

V. Neque illi multum praestitisse iudicandi sunt, qui cosmogoniam Mosaicam hypothesibus suis inter se diuersissimis explicare sunt aggressi, eo quod ad Mosaicae narrationis scopum indolemque praeiudiciis suis occupati non attenderunt. Tametsi enim indubitatum est atque certissimum, veram vnicamque cosmogoniae narrationem Mosen scriptam reliquiss, nihilque in ea est, quod, si recte reputes, illam non reliquis theogoniis et cosmogoniis omnibus mille modis preferendam esse euincat. Non tamen ista scriptoris sacri mens fuit, vt nobis origines mundi philosophica explicatione panderentur, sed is eam maximi argumenti narrationem eo fine suscepit, vt cum in omnium hominum gratiam scribebat, ab omnibus posset intelligi, nossetque humanum genus, cui erudiendo sacram historiam destinauit, non se et mundum aeternum fuisse, sed habuisse initia, et originem accepisse, a maximo coelorum terraeque rege, huncque suam tantopere in creationis opere sapientiam, potentiam et maiestatis gloriam ideo demonstrauisse, vt necessario ad hunc fontem suum colendum celebrandumque homo adduceretur. Qui Mosis scopus, vt toti systemati diuino est conuenientissimus, et disertis sacrorum librorum testimoniis confirmatur, ita luculenter docet, eum non tam ad causam creationis formalem, quam vocant, atque ad modum eius explicandum, quam ad creatoris potentiam, sapientiam, benevolentiam demonstrandam respexit, nec internas leges, ordinemque, secundum quem omnia creator condidit, curiose explicare voluisse. Vt taceamus, cum vna iubentis oris voce omnia potentissimum Numen creauerit, nondum euictum esse, vel determinari quoque posse, vtrum eodem modo iisdemque legibus in condendo mundo versatum sit, quibus hodie in conseruanda rerum vniuersitate vtitur, et a quibus occasionem cosmogoniarum Mosaicarum scriptores sumunt sua philosophemata incrustandi. Quae cum ita se habeant, manifestum inde est, temeritatis culpam illos non effugere, qui ex iis, quas in rerum mundanarum conseruatione obtinere vident, putantue legibus ordineque concludunt, ita quoque rem a principio obtigisse, quique inde noua sibi principia vel ipsi configunt, vel ab aliis allata adsumunt, vt philosophiam et cosmogoniam quandam Mosaicam excusperent. Cuius haud obscurum indicium praebent hypotheses precario excogitatae et inter se adeo diuersae, vt vna alteram iugulet; recte enim, nisi nos omnia fallunt, concludimus, malesanam philosophorum curiositatem veram ea de resententiam modumque, quo in condendo mundo Deus versatus fit, non inuenisse, et has hominum magis conjecturas esse otiosas et vanas, quam philosophiam Mosaicam. Quam tamen vbi reiicimus, non culpamus laudabilem virorum doctorum diligentiam consiliumque, ex operibus naturae stupendis, et creationis modo, scopo atque fine contra impietatis patronos veritatem, sapientiam, pulchritudinem, bonitatem supremi creatoris demonstrandi.

Haec

Haec enim ut fierent, ipse nobis D. P A V L U S ^b auctor extitit. Ast humani ingenii modiolo immensa diuinae potentiae opera non metiri modo, sed denudata humani intellectus circulis comprehendere velle, illud nimis audax et ineptum merito illis censetur, qui modestiam in philosophando amant. Placet nobis celeberrimi S C H E V C H Z E R I ^c, moderatio, qui cum Cartesii cosmogoniam, suo loco infra explicandam, vana potius imaginatione nixam, quam solida demonstratione, iudicasset, sibi haec mysteria introspicere non datum esse candide fatetur.

VII. Ex his autem omnibus strictim enarratis iudicium, quod de hac secta dedimus, abunde probatur. Quis enim verae philosophiae characteres ibi inueniri dixerit, vbi cognoscendi principia inter se confunduntur, vagis, incertisque notionibus et terminis ac sine mente sonis omnia replentur, ipsa axiomata male cohaerent, et natura adeo non recluditur, vt potius mera aenigmata enarrentur; multa vero sibi contradicunt: nec satiare potest aliquid animum in recessus naturae inspicere gestientem? Quae, nisi plane coeucutimus, fatis euincunt, inter peruersos philosophandi modos hunc quoque esse numerandum.

§. XIV. Possunt haec ad noscendam naturam, indolem modumque huius generis philosophiae sufficere. Poscit tamen methodus, quam hactenus seruauimus, vt ipsius systematis Mosaici delineationem exhibeamus. Ast hic labor, hoc opus est. Non enim, qui huic se sectae addixerunt, eodem omnes modo philosophati iisdemque principiis vni sunt, sed in diuersa abeuntes, contrarias haud raro fouerunt sententias; ita vt impossibile sit, vna imagine totam huius philosophiae faciem exprimere. Satis autem facere nos posse putamus instituto nostro, si potissimum Comenium audiamus, physicam diuinam his potissimum, quas ex multis selegimus, assertionibus comprehendentem, quas cum Bayerianis comparauiimus, exemplum praeeunte B. Io. FRANC. BVDDEO ^d. Ita vero haec physica Mosaica secundum istos philosophos statuit:

- I. Tria sunt rerum omnium principia, materia, spiritus et lux.
- II. Materia substantia corpulenta est, per se bruta et tenebricosa, quae corpora constituit.
- III. Huius materiae tantam Deus massam produxit, quanta ad expledam creatam abyssum sufficeret.
- IV. Licet eadem sit inuisibilis atque tenebricosa et plane informis, extendi tamen, contrahi, diuidi, vniiri et omnem suscipere formam atque figuram, apta fuit.

V. Mate-

^b) Rom. I, 19. 20.

ⁱ) Physic. S. Tom. I. p. 2. ed. Lat.

^c) Introd. in Phil. Hebræor. §. 48. seqq.

V. Materia haec duratione aeterna et per omnes formas, ne quicquam eius perire possit, indissolubiliter quoque cohaeret, ut nulla parte discontinuari et vacuum relinqu spatium, patiatur.

VI. Spiritus substantia subtilis est, per se viua, inuisibilis et insensibilis, corpora inhabitans et vegetans.

VII. Spiritus hic massae rudi ac mortuae primitus incubatione spiritus diuini per omnes sui partes infusus est ad eam inhabitandum, permeandum, vegetandum, et iuxta ideas inditas et assignatas particularia corpora lucis ministerio efformandum, facultatibus instruendum, propagandum, et sapienter operandum.

VIII. Spiritus hic vitalis plasticus est vel vniuersalis vel particularis, prout nempe in subiecta diffunditur, itemque ratione corporis cui inditur, vel nativus vel aduentius, vel perennis vel fluxus:

IX. Est porro ratione ortus sui vel primordialis, isque tum supra-coelestis, tum fidereus, tum elementaris, et hic partim substantificus, partim modificatiuus: vel est seminalis, et hic porro ratione concentrationis suae generalis, vel mineralis vel animalis, ratione concentrationis specialis auri, marmoris &c.

X. Item distinguitur ille spiritus vitalis ratione muneric et potestatis in totalem seu principalem et regnantem, et partiale, subordinatum et parentem.

XI. Est quoque ratione conditionis suae vel solutus ac liber, vel constrictus, et quidem vel consopitus, vel in fermentum redactus, vel emissus, vel detentus, &c.

XII. Spiritus huius officia sunt inhabitare materiam, mouere se per eam et agitare, custodire ideas rerum particulares et formare sibi ad futuras operationes subeundas corpora.

XIII. Lux substantia est media, per se visibilis et mobilis, lucida, materiam penetrans, eamque recipiendis spiritibus praeparans, atque ita corpora efformans.

XIV. Lux haec in creatione a Deo materiae indita est eo fine, ut esset instrumentum vniuersale, ad omnes spiritus operationes massae inducendas, et charactere vario insignandas pro vsu naturae vario.

XV. Lux haec vel vniuersalis et primigenia est, vel orta et characterizata.

XVI. Huius pars maxima stellis cessit dispositis in coelo ad usus omnigenos naturae.

XVII. Reliqua corpora tantum eius perceperunt, quantum ad futuros usus requiritur.

XVIII. Lux sua munia absoluit per motum seu agitationem et vibrationem.

XIX. Ea vibratio vel a centro ad extrema fertur, vel a peripheria ad centrum.

XX. Lucis

XX. Lucis eubratio causa est caloris et ignis in sublunaribus, eiusque fons in sole positus est.

XXI. Lucis retrouibratio effectum frigus habet, sedem vero in luna.

XXII. Vtraque lux mox dispersa est, mox vnita, iam in dominio, iam in freno; prout autem corpori ineſt, est vel nativa et originalis, vel aduentitia et occasionalis, et hinc pariter vel permanens vel fluxa.

XXIII. Tria haec principia, quae ita inter se differunt, ut materia sit primum ens, spiritus primum viuens, lux primum mouens, determinari debent per formam superuenientem.

XXIV. Forma est dispositio vel characterisatio certae portionis trium principiorum, qua massa configuratur, spiritus concentratur, lux temperatur in vniione et penetratione mutua, prout fini corporis cuiusvis a Deo praescripto est conueniens.

XXV. Qui vt obtineri finis queat, impressit Deus indiuiduis sapientiae suae vestigia, cauſis extrinsecus agentibus modos generandi ostendendo, et delineando in spiritibus ideas, formas et exemplaria, rationes et simulacula corporis efformandi, cum cognitione viae, proceſſuum ac mediorum, pro figuraſione et temperatione cuiusvis, prout Deus iuxta ideas sapientiae suae aeternas figurauit et temperauit.

XXVI. Dedit etiam vim indiuiduis primis vel in eo statu formae suo permanendi, vel fibi similem generandi, ipsique ideas et ceteras dotes imprimendi et propagandi.

XXVII. Elementa nihil aliud sunt, quam materiae mundanae certae species, raritatis ac densitatis gradu potissimum differentes.

XXVIII. Ignis inter elementa locum non habet, est enim effectus lucis.

XXIX. Ex principiis istis tribus oriuntur principia Chemicorum, nempe ex materia spiritui iuncta Mercurius, hoc est, aquositas corporum, ex spiritu cum luce connubio, sal sive corporum consistentia, ex materiae coniunctione cum igne seu luce, sulphur. Nempe in primo maxima portio materiae, in secundo spiritus, in tertio lucis deprehenditur.

XXX. Homo ex tribus partibus componitur, corpore, spiritu et anima. Corpus est ex elementis, spiritus ex spiritu mundi, mens sive anima ex Deo.

XXXI. Corpus mortale est, spiritus dissipabilis, anima immortalis.

XXXII. Spiritus est organum et habitaculum animae, corpus spiritus.

XXXIII. Anima formata est ex praecexistente spiritu mundi, et hic mentalis spiritus a vitali gradu puritatis et perfectionis differt.

Et haec istius physicae Mosaicae summa capita sunt: Ethicae Mosaicae delineationem nemo desiderauerit, qui ex supra dictis recordatur, decalogi praecceptis officia omnia eos philosophos inclusisse.

CAP V T III.

DE THEOSOPHICIS.

§. I.

*Theosophici
quales philo-
sophi?*

Mosaicos excipiunt theosophici, mirum philosophorum genus, et a reliquis longe diuersum, ipfisque Mosaicis infantis philosophiae studio longe deterius. Non his hominibus ratio a Deo intellectui humano indita luxque diuinitus concessa placuit, sed hanc deceptricem esse et tenebris obseptam clamantes lumen aliquod diuinum, supernaturale, internum principium sibi omnis veritatis, et cognoscendae philosophiae diuinioris medium delegerunt; contentaque, si verum dicendum, certe neglecta et ad peregrinos sensus distorta scripturae reuelatione, ea quae ab internis diuinitusque immisssis et in anima latentibus igniculis prodire et quasi scaturire iactabant, mysteria in imaginationis mire foecundae, iudicii vero moderatione non castigatae enata, formata et mire aucta pro theosophia quadam commendauerunt. Arcanam hi creuerunt, hodique crepat sapientiam, paucis et dilectis quibusdam Numinis amicis notam et manifestatam, qua et diuina et humana omnia, intimique et diuinae naturae, et rerum omnium aditus patefiant, nec tam sacrosanctum quicquam, tamque sublime est, vt non ipsa eius adyta et recessus referentur. Neque tamen ita huic hominum generi euluit philosophiae nomen, vt non crederent, naturae penetralia ipfis longe melius patere, quam aliis: quo fine artis chemicae opera eius mysteria ita perspicere tentarunt, vt ad ipsas rerum naturalium essentias pernoscendas peruenient, quo factum est, vt haut leuem in ea arte excolenda diligentiam adhiberent, et stupenda naturae miracula illius beneficio non nosse tantum, sed praestare quoque posse ostentarent. Quae cauſa fuit, vt se philosophos per ignem dicerent, et haec ex singulari diuinae benevolentiae manifestatione sibi obtigisse orbi persuaderent. Cum autem ignis examini non omnia possint subiici, et ingentia praeter terram coelorum pateant spatia, coelestes incolas naturasque illas medias, earumque cum humanis concentum et concordiam ita se detexisse gloriati sunt, vt magiae, astrologiae et similium artium ministerio, spiritualia quaecunque sibi patere et obsequi dicerent: et hanc vetustissimam Hebraeorum sapientiam esse, hanc ob orbe condito doctrinam arcanam traditionis vsu ad ipsos peruenisse, vindicato suae philosophiae Cabbala nomine affirmarent. Et in his quidem characteribus tota illa consentit theosophorum natio: in ipso doctrinae systemate, quo quis est ingenio promtior, imaginatione vero foecundior, et audacior in recedendo a trita via, eo singularius sibi construit doctrinae aedificium, quod cum incerto commentorum cerebri humani fun-

TYPIC

G. M.

fundamentum nitatur, mirum non est, ipsam hanc gentem inter se non concordare. Id tamen ad vnum omnes acriter tuiti sunt, deserendam esse philosophiam humanam, ideo omnes vehementer sui temporis philosophiam, quae Peripatetica fuit, aggressi inque eam acerbe inuesti sunt: id omnes iactarunt, diuinam sibi sapientiam omni humana superiorem obtigisse. Ideo commune theosophorum nomen ab illis assertum, et ut ab aliis distinguerentur, in philosophiae et ciuitatis Christianae historia tributum quoque est. Quos hoc nomine tuto quidem nec sine ratione liceret ex hac historia proscribere, cum non philosophiam, sed theosophiam iactauerint, et humanum intellectum non nisi diuino eoque extraordinario lumine collustratum commendauerint, omnem vero rationis usum in cognoscenda rerum natura damnauerint. Quia vero sibi tamen generis doctrinam philosophicam commenti sunt, eorum res, quanta licet breuitate, tangemus, et quae ad philosophiam spectant considerabimus, reliqua diuinioris sapientiae doctoribus examinanda relicturi. Aequum enim est, ut hos audiamus hoc loco, qui licet rationem proscriptant, sumnum tamen rationis apicem se consecutos esse somniant. Hinc multoties ratio ab iis laudata et commendata, quam, caue, philosophiae usum putes, ex naturalibus cognoscendi principiis, rectisque ratiocinandi legibus conuenienter deductum. Ratio enim istis theosophis principium illud diuinitus immissum est, lux illa interna et diuina, quae cum ex infinitae lucis oceano in intimum animae fundum effluxisset, scintillam diuinitatis quandam in anima deposituit. Cui principio interno et latenti igniculo omnia tribuunt, quotquot in hac palaestra se exercuerunt. Quod ne fine teste dixisse censeamur, audi, Lector, profitement, qui coryphaeus in hoc agmine habetur, IACOBVM BOEHMIVM^a: „Quemadmodum a patre et filio procedit Spiritus Sanctus, et tamen est „persona per se subsistens in diuinitate, et in patre scaturit emanatque: ita „ex facultatibus cordis, cerebri, venarum tuarum scaturit emanatque vis „illa, quae totum corpus scaturiendo occupat, nempe ex tuo lumine „procedit illa facultas, ratio, intellectus, ars et sapientia, qua totum „corpus regitur, et discernuntur omnia, quae extra corpus sunt. Et haec „duo quidem in animi tui imperio vnum sunt, nempe spiritus tuus, qui „indicat Spiritum Sanctum, nam Spiritus Sanctus, qui ex Deo est, in eo „Spiritu in te imperat, modo sis filius luminis, non vero tenebrarum^c. Quae ne ab homine idiota, literisque minime tincto imprudentius dicta

a) In Aurora c. 3. pag. 38 39. Dabimus verba Germanica, cum eam scribendi rationem auditor tenuerit, ut difficile sit, alia lingua accurate satis eius verba referre: „Gleichwie vom Vater und Sohne ausgehet der Heil. Geist, und ist eine selbständige Person in der Gottheit, und wallt in dem ganzen Vater: also gehet auch aus den Kräften deines Herzens, Adern und Hirns aus die Kraft, die in deinem ganzen Leibe wallt und aus deinem Licht gehet aus in dieselbe Kraft, Vernunft, Verstand, Kunst und Weisheit den ganzen Leib zu regieren, und auch alles, was außer dem Leib ist, zu unterscheiden. Und dieses beydes ist in deinem Regiment des Gemüths ein Ding, nemlich dein Geist, und das bedeut Gott den Heil. Geist, und der Heil. Geist aus Gott herrschet auch in diesem Geiste aus dir. Bis aber ein Kind des Lichts, und nicht der Finsternis.

putes, (quamvis ille quoque philosophi Germani nomen *κατ' ξένην* in hac natione meruerit) legendus est PETRVS POIRETUS, quo nemo *φιλοσόφων τεργεως* hoc doctrinae genus proposuit, et in noua editione *Cognitionum rationalium de Deo, animo et malo*^b, et in *Oeconomia diuina*^c, atque in libro de *Eruditione triplici*^d, cohaerentem aliquam huius theosophiae ideam exhibere conatus est. Is licet ideas rerum vmbratiles, et eruditionem superficiariam homini relinquat, et rationem humanam totam eiurasse videri nolit, omne tamen verae rationis et eruditionis fundamentum ponit „in mentis substantialissima atque essentialissima portione vel dote, siue naturae reconditissima radice et substantia, quae fit funditus vel recessus quidam immensus, siue intima nonnulla capacitas, aptitudine quaedam immensa et infinita, quae ipsam aeternitatem siue Deum aeternum, vnitio quodam modo atque simultaneo, et indisticto viuide et plane mirabiliter sine vlla successionis et pluralitatis distinctione, et successiva duratione admittere, percipere et possidere valeat“. Huic fundo inesse ait „intellectum immensum, siue capacitatem immensam ac passiuam recipiendi intellectionem siue lucem, siue summum verbum, imaginemque Dei luminosam“. Quae satis manifestum faciunt, alia prorsus significatione vocem rationis adhibere hos homines, quorum maximus labor in eo vertitur, ut rationem humanam abiificant. Qua de re videlicet, quae acute differuit CHRISTIANVS THOMASIVS^e. Valde vero foecunda haec gens fuit, et vario quidem agmine, at iunctis tamen viribus se philosophis opposuit, recensere vero omnes nec possibile nec opere pretium est. Satis erit instituto nostro, eos enarrare, qui principes in ea habiti sunt. Eminent autem Philippus Aureolus Theophrastus Paracelsus cum discipulis, Valentinus Weigelius, Robertus Fluddus, Iacobus Boehmius, Helmontius vterque et Petrus Poiretus.

Notitia Theophrasti Paracelsi unde baurienda?

§. II. Maximam inter philosophos qui hoc philosophiae genus excollerunt, et imprimis ignis ope ad intimos naturae recessus inspiciendos peruenisse creduntur, famam nactus est PHILIPPVS AVREOLVS THEOPHRASTVS PARACELSVS, vir portentosi ingenii, cui non parum debet ars chemica, at qui nouo philosophandi genere, quantum abfuerit a vera philosophia, satis prodidit. Cuius vitam a nemine hactenus accurate prescriptam fuisse, merito miramur. Quae enim MELCHIOR ADAMVS^f collegit, manca sunt et imperfecta, et quae ab HERMANNO CONRINGIO^{ff} tacta sunt, nec omnia enarrant, nec ab eo profecta sunt, qui ab omni odio immunem erga Theophrastum seruauit animum. Quemadmodum ex altera parte, qui nulli se seruire promisit, GODOFREDVS ARNOLDVS^g, promissi immemor, suspectam fidem suam in enarrandis Theophrasti Paracelsi rebus fecit. Alios, qui historiam eius

b) L. III. c. 16.

d) L. I. P. I. §. 4. p. 257.

e) Praef. ad nouam edit. libri de Erud. triplici.

c) L. I. c. 8. §. 25.

f) In Vitis Medicorum p. m. 28.

ff) De Medicina Hermetica L. II. p. m. 338 seqq.

g) Hist. eccl. et haeret. P. II. p. 308 seqq.

eius exposuerunt, quales sunt FREHERVS^b, TEISSIERIVSⁱ, ANONYMVS^k, similesque, cum satis noti sint, non moramur, quamuis enim haud pauca attulerint de rebus eius, multa tamen intacta, reliquerunt, et quod praecipuum debebat esse, accuratum et a partis studio alienum iudicium non interposuerunt. Tacemus eos, qui historiam medicinae, fanaticorum et enthuſiaſtarum, et huius generis alia enarrarunt, qui raro Paracelſum ſicco pede praeterierunt. Nec diſſitemur, difficile opus eſſe, accuratam Paracelſi historiam ſcribere: quae enim in eius scriptis occurrunt, pauca ſunt, et iudicio infuper opus habent: reliqua vel amicorum vel inimicorum eius narrationibus conſtant, et adeo ſibi contradicunt, ut apertiffimum ſit, multum eos amori odioque dediſſe, nec tuto fidem eorum nos ſequi poſſe. Licet autem ea ratione in hoc argumento verſari, ut plena Paracelſi historia ſiftatur, nobis non liceat, instituti legibus cohibitis, dabimus tamen operam, ne quid eorum omittamus, ex quibus, qualis ille vir fuerit, et quam personam in philosophiae theatro effinxerit, cognoscere poſſimus, ita vero fidei historicae legibus obtemperabimus, ut ab omni partis studio ſemoti in expendenda veritatem et fide narrationum iudicium adhibeamus et attentionem, fine quibus et friget et errat historia.

S. III. PHILIPPVS AVREOLVS THEOPHRASTVS PARACELSVS, qui et Bombastus ab Hohenheim dicitur, in Eremo Heluetiorum anno MCCCCXCIII natus eſt. Sunt qui annum illi natalem alium aſſignant. Quidam enim apud TEISSLERIVM^j, annum MCCCCXLIII, vel MCCCCXLIX ponunt, alii apud ADAMVM^m MCCCCLXXXIII. Fidem tamen non merentur; cum ex ſubſcriptio- ne imaginis eius, quae operibus eius omnibus praefigitur, conſtet, annos eum tantum XLVII viuendo attigisse, obierit autem, Epitaphio eius teste anno MDXLI, ex quo ſequitur, anno demum MCCCCXCIII lucem ſillum primum aſpexiſſe. De nomine, genere, ortuque eius incerta lis eſt, nec inter ſe narrationes ſcriptorum ſatis conciliari poſſunt. Et ipſe quidem in fine *Dedicationum* librorum fuorum nomen ſubſcripsit, Aureolus Theophrastus ab Hohenheim, vtriusque medicinae doctoſⁿ; nec dubium eſt, nomen Paracelſi et ab Hohenheim ſynonymum eſſe, et more illius aetatis ex Germanico patronymico factam fuſſe Paracelſi appellationem partim Graecam, partim Latinam. Scriptorum enim titulus id nos docet, in quo eius nomen ita exprimitur: Philippus Theophrastus Bombastus ab Hohenheim, dictus Paracelſus^o. Theophrasti nomen accepiffe ſe in ſacro Iauamine, ipſe testatur; Aureoli nomen autem vnde acceperit, incertum eſt. Sunt qui hoc ſibi adſciuifſe nomen volunt^p, quod apud HIERONYMVM^q legiſſet: *Extat Aureolus Theophrasti liber*. Verum nec haec

Natales et
nomen Pa-
racelſi.

^b) In Theatro p. 1132.

ⁱ) Elogior. Tom. III. p. 133 ſeqq.

^k) Gelehrter Criticus P. III. c. 68. p. 997 ſeqq.

^l) T. II. p. 140.

^m) loc. cit.

ⁿ) Opp. T. II. p. 149. edit. primæ.

^o) Fragm. Med. T. V. Opp. p. 134.

^p) REIMM. I. c. p. 154. Acta philos. Vol. I. p. 7.

^q) L. I. contra Iouanum.

quidem coniectura verisimilitudine se fatis commendat. Nam et veteres vehementer contempsit Theophrastus, et tam exiguum eorum notitiam lectionemque habuit, vt credibile non sit, Hieronymum, a studiis suis alienum eum legisse, qui artis suae auctores veteres fere ignorauerat. Nisi dicamus, ab alio laudatum Hieronymi locum illi obiter innotuisse. Illi autem, qui vel Aurelium^r vel Antonium^s vocant, a memoria decepti vindentur. Semper enim in scriptis suis vocatur Philippus Aureolus Theophrastus. Bombasti ab Hohenheim nomen autem gentilium est, et nobilem familiam denotat, ad quam Paracelsus, originem suam retulit. Qualem familiam equestri dignitate conspicuam ab Hohenheim et Bombast ex Sueuis oriundam in Alsacia confedisse testis est CONRINGIVS^t. Quae causa est, cur in inscriptione singulis scriptorum tomis praefixa vocetur: *Philippus Theophrastus Bombast Hohenheimensis Sueorum, ex panaegyris nobilium Arpinas, ex confoederatorum Eremi Eremita*, in qua appellatione prius ad gentem, ex qua ortum deriuabat, posterius ad patriam, in qua genitus editusque in lucem referendum est. Et hinc lucem illi scriptores capiunt, qui Sueum fuisse Paracelsum dicunt^u. Hoc enim non ratione patriae, sed originis intelligendum est. Negavit autem THOMAS ERASTVS^v, qui inter praecipuos eius aduersarios fuit, Heluetium eum esse, certe non reperiri unum aliquem in tota Helvetia, qui vel affinitate vel necessitudine alia illi coniunctus fuerit. Vocare se Eremitam, et nobilem velle videri; at in Eremo Heluetiorum nullos esse Paracellos, nullos Hohenheimios, nullos Bombastos, nullos denique vel nobiles vel ignobiles, qui eum ut sanguine iunctum agnoscant. Quod testimonium pondus habere censetur CONRINGIO^w eo quod domesticum sit, Erasmus enim patria fuit Aquensis Heluetius; nobis autem parum fidei vel roboris habere videtur, si pro vero assumatur, quod biographi Paracelsi fere omnes, testantur, et HELMONTIVS^x pater quoque pro vero tradit, patrem nostri Guilelmum, a magistro quodam equitum Teutonicorum, huius nominis ex illegitimo concubitu fuisse genitum. Quod ubi admittitur, vt sua constat verisimilitudine, facile fieri potuit, vt pater Paracelsi per aliquod tempus in Eremo medicinam faceret, huncque filium aduena generaret. Hunc vero patrem suum, ipse THEOPHRASTVS scribit^y, duos supra viginti annos in Carinthia vixisse, et Status eius regionis benevolentiam usque ad mortem quamplurimam illi fuisse testatos. Mors vero Guilelmi ante MDXXV accidere non potuit, si verum est, filium eum Theophrastum apud Eremitas suscepisse.

§. IV.

^{r)} ADAM I.c.^{s)} IO. FABRIC. Hist. Bibl. suea P. V. p. 32.^{t)} loc. cit.^{u)} COLBERG. in Christianismo Platonico-Hermet. P. I. c. 5. p. 180. 192.^{v)} Contra Paracels. P. I. p. 237.^{w)} loc. cit. p. 340.^{x)} In Histor. Tartari Opp. T. I. p. 143. Conf. Acta Testamento Paracelsi adiecta a MICHAEL TOXITE, ex quibus constat, affines Paracelsum apud Eremitas habuisse, et ex Hohenheimensi familia oriundum esse. Conf. CLERIC. Hist. medic. p. 797.^{y)} In Dedic. ad Status Carinthiae Tom. III. Opp. p. 143.

*Educatio es
itinera
Theophrasti.*

§. IV. Puer exfectos fuisse a milite testes, cum anseres in Carinthia pasceret, fide ERASTI^z constat, qui hoc sibi narratum esse scribit, HELMONTIVS*, trium sus castrauisse, ait: vtrumque valde suspectum, et prudenter a CONRINGIO in medio relictum est, cum traditionis istius testis ex aduersiorum numero sit, qui, quot poterant opprobriis et contumeliis Theophrasti vitam commaculauerunt. Nec a verisimilitudine abit, fabulam ideo excogitatum fuisse, quia Paracelsus fuit μισθίονος, nec in vita licet dissoluta Veneri litasse compertum est, vt ex scriptis eius, et amanuensis, Oporini, testimonio liquet^a: in coelibatu etiam usque ad mortem vixit, cuius tamen in vita vaga et translatoria alia quoque causas esse potuit. A patre ipso humanitatis literis imbutus, et imprimis medicæ artis mysteriis initiatus est, qui cum bibliothecam insignem haberet, filius autem ingenio praestantissimo, memoriaque stupenda floreret, mature doctrina ab eo haud vulgaris comparata est. Certe memoria adeo felici fuisse testatur ADAMVS^b, vt integra Galeni loca memoriter et expedite recitaret. Quod si verum est, mentitus esse videtur Paracelsus, qui neminem veterum scriptorum se leguisse affirmauit. Quamuis autem Galenum, et qui eum sequuntur, inspexisse ob dictas causas fit verisimile, tantum tamen abest, vt Galenicam medendi methodum probaret, vt potius contenta arte vulgari totus ad referanda naturae arcana inclinaret, hocque fine arti chemicae, aliisque quae ad hos circulos pertinent, scientiis totum se traderet. Cumque immensum discendi desiderium et curiositatem animi in abditos naturae recessus penetrandi patriae eruditio fundi non satis pascerent, itinere longo, multiplici et vario, multisque periculis cincto, quicquid naturae artisque a cuiuscunque generis hominibus noscere posset, discendum sibi esse statuit. Certe Europæ, Afiae, Africaeque folia se volutasse, ipse THEOPHRASTVS scribit^c, qui alio loco calamitates sibi obiectas esse ait^d, carcerem ter experto, militiae labores, rixas et verbera toleranti &c. Curiosus autem peruestigator Germaniam, Italiam, Hispaniam, Daniam, Hungariam, Moscouiam peragravit, et, fato licet aduerso, inde in Asiam translatus est. Narrante enim Io. BAPT. HELMONTIO^e, „sub annum vigesimum varias minerarum Germaniae fodinas inquirens in Moscouiam tandem venit, in cuius finitimis a Tartaris captus ad Chamum deductus est, inde cum principe Chami filio Constantinopolin ablegatus“^f. Dubitat tamen de itinere Aegyptiaco et Arabico, in quo toto decennio eum haesisse nonnulli volunt, CONRINGIVS^f, cum eius ipse Paracelsus, licet rerum suarum gloriosissimus, non meminerit, constetque nec in Arabia nec in Aegypto medicinam aliqua eximia in laude fuisse: quae tamen rationes nondum euincunt, fictitia ista Afiae itinera fuisse,

^{a)} loc. cit. CONRING, I. c.

^{b)} loc. cit.

^{c)} Conf. Opp. T. IV. p. 110. T. V. p. 319.

^{d)} I. c. Sua vero is haufit ex Pantaleone et

CUM Erasmo, quibus Theophrastus Basileae innotuit.

^{e)} De morbis Tartar. c. 2. Opp. T. II. p. 253.

^{f)} Praef. libri de Morbis Podagricis Tom. IV.

Opp. p. 289. ^{g)} I. c. p. 144. ^{h)} I. c. p. 341.

cum diserte THEOPHRASTVS ^{ff} testetur, se Asiae et Africae angulos perreptauisse; nulla autem tam vilis regio, tam contemtus illi locus fuerit, in quo non arcana naturae discendi occasionem captauerit. Facile tamen concedimus Conringio, contendenti, plura iactauisse Paracelsum de itineribus suis, quam reuera fuit; ostentatorem enim satis impudentem fuisse, nonnunquam tamen ita sui oblitum, vt mendacium proderet, negari non potest. Nemo autem fuit adeo contemtae fortis et abiectae conditionis, quem medicinam vel experientia facientem vel artis tentamine, non consuleret; locus nullus, vbi minerarum curam esse nouerat, quem non adiret, bibliotheca monasteriorum nulla, in qua non libros chemicorum arcanos exquireret. Maxime vero celeberrimos artis et naturae interpretes adiit, libellos Lullii, Villanouani aliorumque *χρυσοποιος* laude celebrum perquisiuit, immo nec balneatores, Iudaeos, agyrtas, cerdones, anus et quoscunque mysterium aliquod iactare nouerat, vitauit, curiosus explorator eorum, quorum arcana se possidere gloriaabantur. Praecipue inter eos, ex quibus se profecisse fatetur, praeter parentem Wilhelmum ab Hohenheim, laudat ^s Scheytium, episcopum Seccouensem, Erhartum episcopum Lauantinum, Nicolaum episcopum Hipponeensem, Matthaeum Schachtium suffraganeum Frisingensem, Trithemium abbatem Sponhemensem, et abbates doctoresque alios; item artis metallurgicae peritissimos viros, inter quos extollit Sigismundum Fuggerum, qui eo tempore fodinas Schwarzenenses in Tyrolensi comitatu possidebat, quo loco Theophrastum aliquantisper confeditte, est verisimile. Non tacebimus tamen, in hac Paracelsi narratione dubium occurrere et narrantis fidem sublestam videri. Seccouensis enim episcopus, quem nominat, anno MDIII, Lauantinus MDX viuere desit, quo tempore Paracelsus vix nuces reliquerat. Aut itaque iactantius, quam verius, istis nominibus gloriatus est, aut, quod suspicamur, de praceptoribus mortuis quoque intelligendus est, ex quorum scriptis arcanis et tentaminibus profecit; id quod eo magis nobis persuaderi patimur, quia isto loco etiam episcopi Lauantini antecessores inter eos refert, ex quibus profecit. Vnde coniicimus, patrem nostri, quem in arte chemica plurimum valuisse ex filii testimonio constat, cum in Carinthia viueret, cum laudatis illius regionis episcopis familiariter vivisse, et in naturae operibus mirandis eorum opibus et auxilio suffultum multa detexisse, quae cum filio postea communicauerit. Quod autem cum vulgi fece conuersari et agyrtam atque circumforaneum quemcunque curiose explorare constituerit, ne vagantibus quidem Scholasticis, Cingaris et huius furfuris hominibus aliis exceptis, non magnopere in eo culpandum est. Non enim alio id fine suscepit, quam vt eorum experientiam examinaret, et quae ab illis annotata erant, selecta a quisquiliis nugisque in usus suos vocaret: opposuitque hos potissimum praecceptores suos professoribus medicis, quibus atrox cum Paracelso bellum intercedebat, ostensurus

ff) Vid. not. (c)

g) Praef. Chirurgiae magnae Tom. II. conf. CONRING. l. c.

furus arciora se interdum a contemtis homunculis didicisse, quam tunc quidem sciebat tota schola Galenica. Neque tamen a veterum lectione eum totum abstinuisse, ex antecedentibus constat, et ipse quoque fatetur, monet autem, se mature eos abiecisse, ob magnos errores, et exiguum, quam ex illis ceperit, vtilitatem. Id quod facile quidem credimus, at nec diuturnam, nec accuratam eam lectionem fuisse, ex eo concludimus, quod valde iuuenis itineribus obeundis se accinxerit, Graece et Latine vero parum doctus fuerit^b. Vnde facile illi, si de veteribus rei medicae scriptoribus intelligatur, credimus, assueranti^c, intra decennium, ne paginam quidem vnam se legisse, et totam bibliothecam suam ne sex quidem folia comprehendere, sed omnia ingenium suppeditare. Et hinc magnus ille veterum medicorum contemtus ortus est, quos vbique fere fugillat, ridet, exagitat, et omnibus penè paginis exsibilat: quamuis ita quoque illius temporis professores et medicos in iram et rabiem aduersus se actos mordere, et aegre illis facere voluerit. Nec alia forte causa fuit, cur Auicennae opera Basileae publice cremauerit^d. In quo thrasonismum quandam inepte se effarentem rei peritus manibus palpabit. Et hinc iudicari potest, quo sensu verum sit, quod multoties iactabat, se *αὐτοδιδάκτος* nulloque academico ductore instructum ad intima naturae penetralia peruenisse. Quod vero de iuuentutis eius disciplina ERASTVS^e habet: „Adultiorem factum in „Hispaniam abiisse, ibique magicis prius initiatum chemica didicisse, a qua „cum operam et oleum se perdere in ea exercenda animaduertisset, ad me- „dicinam transierit“, id velut ab aduersario profectum, et nullo teste ni- „xum merito explodimus.

§. V. Miram hoc pacto tum in inspiciendis naturae mysteriis, tum in arte salutari addiscenda felicitatem Theophrastus expertus est: qui cum ea, quae tot vigiliis, laboribus, molestis didicerat, in usum transferret, et ad artem medicam exercendam animum adiiceret, dici non potest, quanta hominem nullis, quae eum magnopere ornare poterant, eruditiois academicae decoribus conspicuum fama secuta sit. Nempe rejectis longi tae- dii methodo et medicaminibus, quae Galenica schola adhibebat, ad artis chemicae arcana recurrebat, quaeque eius duetu parauerat medicamenta noua tum et inaudita, saltem paucissimis cognita, aegris suppeditabat: cumque experientia haud vulgari niteretur, deploratae salutis restituzione et quidem breuiori plerumque tempore aegros haud raro recreabat. Quae res ei immortalem gloriam peperit, et velut miraculum multos in stuporem dedit, tandemque ad cathedram medicam apud Basileenses promovit, licet ab iis artibus esset minime instructus, quae in publico doctore requi- runtur. Nempe grauissimo dolore circa talum dextri pedis cruciabatur Ioannes Frobenius, cui artis typographicae praestantia immortalem famam peperit; quem cum mirum in modum augerent medicorum remedia, et

*Theophrasti
in medendo
felicitas et
collata ideo
professio me-
dica.*

N n n n 2

co

h) T. IV. Opp. p. 372. T. V. p. 309.
i) loc. cit. p. 133.

k) T. IV. Opp. pag. 374.
l) loc. cit.

eo vsque nonnulli procederent, vt refecandum pedem esse statuerent, Paracelsus aduocatus, non dolorem modo sedauit, vt et tolerabilis esset, et somni cibique sumendi permetteret facultatem: sed et ita aegrum confirmauit, vt bis equo proficisciatur Francosurtum, malo in dextri pedis digitos relegato, quos solos flectere non poterat, teste, qui haec in *Frobenii Vita* narrat MELCH. ADAMO^m. Quae tamen curatio valde postea reprehensa est, cum exacto anno Frobenius apoplexia correptus interiret, cuius funus ipse Paracelsus iuuentuti studiosae indicauitⁿ. Sane Eraustus^o, „Erasmum euentum docuisse, scribit, quam periculo curationis genere „vſus fuerit, pharmacis adhibitis illis viribus praeditis, quae magna violentia „cogunt naturam vitiosos humores exturbare: sed ita interim vires debili- „tant ac prosternunt, tamque maligna post se venenatae ſuae conditionis „vestigia relinquunt, vt nec illa ſe recolligere, nec impressas veneni reli- „quias abſtergere poſſit“. Quod vtrum ita ſe habeat, medicorum filiis expendendum relinquimus, id obſeruantes, hanc vt alias quoque, curationem praefitſſe Paracelſum Laudano ſuo; cuius virtutem fedatiuam, at euentus quoque haud raro triftes, niſi cautiſſime adhibeatur, exempla quam plurima docuerunt, dudumque monitum eſt a praefantiflmiſ medicis. Nec tacendum, quod ADAMVS refert, Frobenium medico monenti vt a frigore ſibi caueret, non obſecutum ſe iſpum nouo periculo obieciffe. Quodcumque autem curationis Paracelſicae pretium fuerit, eo certe tempore tanta eius fama fuit, vt innumerī ad eum aegri conuolarent^p, quos vel dolorum cruciatus in desperationem egerant, vel medicorum inficitia fine ſolatio reliquerat. Quorum plurimis magna felicitate ſanitatem reſtituit, ita „vt audeat HELMONTIVS scribere, „eum grauiorū morborū „myriades paſſim velut falce demetendo, Herculis claua trucidauiffe“, et „quamuis eius apologeticum agere recuſet, fateatur tamen, „illum potuiffe „per remedia ad vnitatis ſymbolum adſcendentia ſanare lepram, asthma, „tabem, paralyſin, epileptiam, calculum, hydropem, podagram, can- „crum atque eiusmodi vulgo incurabiles morbos, licet eius medicamina „arcana non reſpexiſſe vitam longam, qui ipſe in aetatis flore obiit, ſed „ſanam, moneat^q. Sed vt ex diuerticulo in viam redeamus, iſto artis ſpecimine meruit, vt ad obeundum physicae professionis atque poliatri munus a proceribus Basileensibus vocaretur, quam vocationem quoque fuſcepit. Eo enim anno MDXXVI, quo obitum Frobenii, vulgato programmata indicauit, hoc nomen ſubſcripsit: *Theophrastus ex Hohenheim utriusque medicinae doct̄or et physicus Basileensis*. Infertum quoque programma illud Paracelſi operibus eſt^r, quo nouum munus eſt aufſpicatus, quod tamen cum Latine ſcriptum ſit, emendationem ab alio paſſum videtur. Munere fuſcepto, et amicos ſibi nonnullos comparauit, atque inter

m) Vit. Philoſoph. pag. 69.

n) T. VII. Opp. in limine.

o) P. III. p. 211.

p) Conf. T. V. Opp. p. 134. Non tamen omnes morbos ſe ſanare poſſe facetur, p. 177. 181. 182.

q) loc. cit.

r) Tom. VII. pag. 5.

inter eos Nicolaum Clauferum, praestantis famae medicum^s; et iuuentu-
tem arti salutari inuigilantem magno studio ab ore suo vidiit pendentem.
Narratque ADAMVS, magna primum cum admiratione et numerosa
sextatorum, etiam eorum, qui sapientiae et eruditio medica in arte exi-
miae laude celebres fuissent, esse professum. Docebat autem inusitato, isto
quidem tempore, modo, lingua vernacula, ita tamen, ut Latina nonnulla im-
misceret, ut ex eius scriptis quoque passim dici potest. Parum enim Latine
doctus erat, fuitque eius oratio more illius aetatis, qua pauci adhuc viuebant
Erasmi et Rhenani, barbara et squalore infecta. Et licet ex libro de Mor-
bis ex Tartaro, quem Latino sermone dictauit^t, constet, non pror-
sus ignarum eius linguae fuisse, et interdum in ea quoque docuisse, veri-
simile tamen est, ea quae Latine conceperat, a famulo, Oporino, fuisse
emendata. Nec magnopere mirandum, Paracelsum ab his humanitatis or-
namentis valde imparatum fuisse, eos enim vitae annos, quibus ista lin-
gua disci solet, itineribus consumserat; multa quoque tradebat noua, et
partim veteribus ignota, partim studiose barbaris nominibus ab eo celata,
quae Latii nitorem omnia respuebant^u. Ipse magis ad chemicae artis pe-
ritiam, et curationum felicitatem, quam ad theoriam medicam respicie-
bat, licet postea eam quoque attigerit. Hinc factum, ut arcana nonnulla
medicamina artis chemicae opera detecta in usus adhiberet, quibus stupen-
da sanandi specimina praestitisse, eius cultores volunt. Inter ea Laudanum
est, quo non celebrius in schola Paracelsi φάρμακον est, quo eum
desperatissimos morbos paucarum horarum interuallo expulisse adductis
exemplis, quorum nonnulla collegit ADAMVS, eius sextatores compro-
bant^v. Sed et aliud vniuersale medicamentum aegris exhibuit, Azoth
ab eo dictum, quem esse lapidem philosophorum medicinalem iactare solebat.
Vnde inter scripta eius quoque unum occurrit, cui nomen Azoth
seu de ligno et linea vitae inscripsit^w: Paracelsi discipuli autem magnifice
de hoc mysterio sentiunt, eumque lapidem philosophicum medicinalem in

Nnnn 3

veram

^s) Vid. Dedic. tr. de Gradibus et compositionibus receptorum et naturalium, T. VII. Opp.

^t) T. III. Opp. p. 207.

^u) Vid. ADAMVS l. c. REIMM. l. c. p. 583. not. 3. conf. T. II. Opp. p. 108.

^v) Laudanum Paracelsi quid sit, valde olim disputatum est, coniecerunt tamen nonnulli, esse opium, quam tamen opinionem falsam esse ait ADAMVS l. c. p. 33. Verum compertum potest est, recte illos coniecisse. Ex OSWALDI CROLIUS, (quo vix doctorem affecit Paracelsus ha-
buit.) Baſilica Chymica enim p. 173 seq. patet, parari hoc famosissimum φάρμακον ex Opio Thebaico, succo hyoscyami, speciebus diambrae et diamoschi, mumia trasmarina, sale perlarum et coralliorum, liquore succini albi, osse de corde cerui, lapide Bezoardico, unicornu animali et genuino auro potabili, vel in eius defectu, oleis nonnullis aromaticis. Ex qua laudatissimi

medicaminis descriptione constat, praeter confortantia et bezoardica, opium et hyoscyami succum propter virtutem fedatiuam primarium usum praefovere. Cum autem ob sulphur narcoticum et naturae inimicissimum valde periculoſum sit, defocandum et purificandum esse utrumque succum serio monent. Quod virum sufficiat, ut hos miraculofos effectus, quos Paracelso praefitissime dicitur efficiat, nostrum non est dispicere. Sed conferendi sunt viri summi, qui de Opio commentati sunt. Vnde vero Laudani nomen Paracelsus defumserit, utrum a laudando, quod satis laudari nequeat, an a Ladano, va-
guento Arabum veterum, de quo vid. ESCHEN-
BACH. de Vnguent. gent. c. i. Disp. Acad. p. 376.
THEVENOT. Itinerar. P. I. p. 142. dici non potest. Mire enim in eiusmodi excogitandis nomi-
nibus ingenio indulxit Paracelsus.

^w) Tom. X. Opp.

veram tincturam corporis humani gratia diuina in his vltimis temporibus nobis donatum esse contendunt: id quod peculiari tractatu demonstrare conatus est **ELIAS IOANNES HESSLINGIVS**^x. Quae autem miracula illius medicaminis ope effecerit, hoc loco enarrare nimis longum est^y, quae an vera sint, Lectori ad singulas circumstantias attento iudicandum relinquimus.

Paracelsi vita vaga et obitus.

§. VI. Exoptatissimum Basileae nidum inuenierat Paracelsus, locumque opportunum artis singularis specimina non sine magna laude et lucro edendi. Verum cum ferre medicos ceteros non posset, et acerbe in eos inueheretur, atque inscitiam, defidiam, et quaecunque probra occurrerant, illis obiiceret, nec ulli homini, etiam magno et meritis illustri parceret^z, omnes fere reipublicae illius literariae ciues in se armavit, qui ut par pari referrent, magna contentione Theophrastum aggressi sunt^a. Id quod vehementer viri acris et iniuriae impatientis animum vulnerauit, qui, quo magis alios velut stupidos et ignaos prae se despiciebat, eo minus se ab illis contemni ferre potuit. Maxime tamen mordebat eum, quod lucrum tantum, quantum curationum suarum felicitas promittere videbatur, ex arte sua non caperet, essentque ingratiti multi, qui cum paucorum medicaminum vsu, intra dies haud ita multos se sanitati restitutos cernerent, magnam ei ob breuem operam praestitam mercedem se non debere censerent. Quod cum virum ambitione elatum et magnifice de se sentientem mire exacerbasset, tandem occasionem suppeditauit, amplissimum quo apud Basileenses fungebatur, munus deferendi. Rem ita enarrat **ADAMVS**: „Erat Basileae, quidam canonicus nobilis Cornelius a Lichtenfels deploratae valetudinis. Eum Theophrastus, pactus „premium centum florenorum, quos ultro offerens numeraturum se canonicus pollicebatur, tribus pilulis Laudani sui, medicamenti genere, quo „in extrema tantum necessitate vtebatur, saliuia subacti, feliciter restituit. „Canonicus tam breui spatio, et quidem re, vt videbatur, exili sanatus, „pactis stare noluit. In ius igitur Theophrastus ambulat, vbi cum solita „et a magistratu ordinata solutio decerneretur, Theophrastus tam vile „premium suae arti statui aegre ferens, importunius in praetorem est inuestitus, ita ut laesi magistratus poena metueretur. A quibusdam igitur „magnae auctoritatis viris, qui honori ipsius studebant, monitus Theophrastus, vt se subduceret, in Alsatiam descendit, relicta Ioanni Oporino, quo quasi promo-condo vtebatur, vasis chymicis^b. In Alsatiam cum se subduxisset, Oporinum illuc aduocauit^c, quo ministro in paradis medi-

x) Edidit hic pastor ecclesiae Vracensis in agro Wirtembergico Theophrastum rediuium, i. e. usum practicum Azothi, Francof. 1660. 4. vbi miracula huius medicaminis ope praefita mirifice extollit.

y) Vide quae narrantur in dem gelehrten Critico P. III. p. 1002 seq.

z) Exempla passim in eius libris inueniuntur, vid. T. V. Opp. p. 133 seq.

a) Valde de his iniuriis conqueritur l. c.

b) Conferenda cum his vita Oporini breuiter ab **ADAMO** in *Vitis Philos.* p. 243, conscripta, prolixius ab **ANDR. IOCISCO** enarrata, quam *Vitis Selectis* inseruit **CHRIST. GRYPHIVS**, p. 615 seqq. Hoc ammanuensi vtebatur, et discipulo fidissimo, conf. **WVRSTEISEN** Chron. Basileens. L. VII. c. 19. p. 1527.

medicamentis arcanis carere non poterat. Ibi medicinam faciendo cum haud paucos satis feliciter sanasset, magnam apud nobiles et alios homines opibus conspicuos opinionem famamque consecutus est, et haud parum nummorum corrasit. Verum ut fieri solet, vita dissoluta mores, quod infra probabimus, corruptit. Ex Alsacia, in qua biennium fere, inter nobiles aliosque opibus et facultatibus conspicuos commoratus est^c, in Helvetiam abiisse, et per illius regionis tractus vagabundum discurrisse, inde constat, quod eo tempore nonnullos Heluetiorum theologos, maxime Henricum Bullingerum, conuenerit. Quibus autem terrarum locis ab anno MDXXX ad annum MDXLI commoratus sit, dicere non possumus, et dubitandum non est, quin animi mutabilis et morae uno in loco impatientis impulsu passim discurrerit. Ex quibusdam subscriptionibus librorum intelligitur, diu eum in Moraia atque Carinthia confeditse; quem admodum ex variis scriptorum eius locis constat, eum in Austria, Bauaria, et Suevia fuisse, et medicinae facienda caussa ad Angelopolitanos, Landsbergenses, aliosque inuitatum fuisse. Quam vitam vagam non negat ipse, sed excusat, caussando^d, indolem animi sui et officium medici eam requirere, quem deceat in omni terra naturae librum euoluere. Tametsi autem exercendae arti salutari praecipue industriam suam isto tempore tribuit, ita, vbi poterat, peculiarem, quam sibi confinxerat, doctrinam disseminare connisus est^e, conquerentibus multis, clanculum eum et in angulo doctoris munus affectare, et nouam quam commentus erat, theologiam tradere. Tandem anno MDXL I Iuuauii confedit^f, cum archi-episcopus ei praecclare faueret. Quo loco et itinerum et vitae metam posuit, in Xenodochio S. Sebastiani, quod Salisburgi est, viuis eruptus, et in eo coemeterio sepultus. Quo loco epitaphium hoc ei positum hodie legitur^g: *Conditur hic Philippus Theophrastus, insignis medicinae doctor, qui dira illa vulnera lepram, podagram, hydropsim, aliaque insanabilia corporis contagia mirifica arte sustulit: ac bona sua in pauperes distribuenda collocandaque erogauit. Anno MDXL I, die XXIV Septembris vitam cum morte commutauit. Laus Deo, pax viuis, requies aeterna sepulis.*

§. VII. Diuerfissimis virorum doctissimorum iudiciis iactata est Theophrasti fama. Qui enim ab his in coelum extollitur, et inter naturae miracula numeratur; ab illis adeo deprimitur, vt nec vita nec doctrina mereatur inter doctos probosque viros referri. Et fatendum omnino est, superba esse elogia laudesque prorsus inuidendas, quas in Paracelsum illi cumulant, qui vel partibus eius adhaerunt, vel doctrinam eius probabant. Quas hoc loco coaceruare ideo minus opus est, quoniam vbique

*Laudes
Theophrasti.*

c) Oporinus Ep. ad Wierum de Moribus praceptoris.

d) Opp. T. V. p. 320. Clericus l. c. p. 795.

e) Conf. Colberg. l. c. p. 180.

f) Opp. T. V. p. 107. 109.

ff) Additum est eius Operibus, vnde pluri-

que repetunt, qui de Theophrasto agunt. Scriptum esse a monacho vel sacrificulo quadam parumque ponderis habere iudicat Clericus Hist. medic. 802. Ex hoc Epitaphio liquet, errare eos, qui 48. annos natum obiisse dicunt, Reusnerus, Bailletus, Mollerus conf. REIMM. l. c. p. 551.

fere apud scriptores seculi XVI occurunt, et haud diligentem in eo operam posuerunt THOMAS POPE BLOVNTIVS^e, EHREGOTT DANIEL COLBERGIVS, GOD.^b ARNOLDVSⁱ, IOAN. FABR.^k, aliqui qui res literarias, medicas, ecclesiasticas seculi XVI attigerunt, quos adire illos oportet, qui plenis cyathis haurire cupiunt. Nos ad fidem dictis faciendam vno alteroque contenti, patientia Lectoris non abutemur. Primo vero loco inter elogia Theophrasti Paracelsi illud ponimus, quod imagini eius plerisque operum tomis praefixa adiectum legitur, in quo dicitur *Philosophus paradoxus, mysteriarcha, artium magister, medicinarum professor, Musarum mechanicarum Trismegistus Germanus*. Adduntur singulis tomis more illius temporis carmina varia laudum Theophrasti plena, quae tam eo loco euolui, quam heic legi, malumus. Singulare autem elogii genus est, quod a sectatoribus nonnullis Lutheri partes sequentibus alter Lutherus appellatus est, eo quod arti salutari illud praestitisset, quod Lutherus doctrinae ecclesiae praestiterat. Ipse vero Paracelsus parum aequo hanc comparationem tulit animo. Licet enim de Lutherio pronunciauerit, neminem eum inuidia odioque prosequi, nisi cui culinam perdidierit, quique fanaticus sit^l: abhorruit tamen a communione Lutheri^m, eo quod non obstante peculiari, quod sibi fixerat theologiae systemate, ab ecclesia Romana secessum non fecisset, maxime vero quod crederet, insipidos esse reformatores ecclesiae, seque eos prudentia et rerum cognitione longe superare, et si idem saxum volvere voluisse, longe felicius in eo stadio cursurum fuisse. Indignabatur etiam, quod, qui ferre eum non poterant, et transuersis oculis intuebantur, ista appellatione apud hostes Lutheri inuidiam illi confilare videbantur. Sane impotenter „satis ob hanc comparationem ita stomachatur“: „Putatisne, me solum „esse Lutherum? qui praeter Christiani hominis officia, munera gero su- „pra Apostolum exsurgentia, nempe medicinae, philosophiae, astrono- „miae, alchymiae? et ita me in Lutheri conditionem detruditis? Ego „sane et illi et vobis ea proponam, ad quae frustra responderitis. Probe „noscis, mihi non esse rem cum Lutherio? ille sibi caussam suam agat, „mihi ne corrigias quidem calceorum soluet. Cur itaque istis me onera- „tis? Nempe, quia speratis cum Lutherio Theophrastum quoque rogo „esse addicendum“. Verum quod inuidiae declinanda caussa in vita ferre Theophrastus noluit, post mortem affectae nonnulli inter maximas eius laudes retulerunt, quo iure, quae inuria? hoc loco dispicere non licet. Nihil vero famam Paracelsi magis ad astra extulit, quam constans, sectatorum eius traditio, fuisse eum lapide χειροποιῶ potitus, cum vigesimum octauum aetatis annum egisset, eiusque beneficio pro lubitu metalla mutauisseⁿ.

Cuius

g) Cenf. Cel. Augst. p. 598. h) l. c. p. 179.

i) Hist. eccl. et Haer. P. II. p. 309.

k) Hist. Biblioth. sua T. V. p. 33.

l) Opp. T. V. p. 184.

m) Paracelsum Helvetiorum doctrinam secu- tum fuisse, cum inter eos viueret, tum ex mu-

nere Basileensi, tum ex testimonio Bullingeri, conquerentis, nunquam se eum sacris publicis intentum vidisse, colligit CLERICVS l.c. verum eum nullam prorius externae professionis notam curamque prae se tulisse, rectius inde concludimus. n) T.V.Opp.p.165. o) l.c.

Cuius rei exempla aliquot adducunt, qui rebus eius fauent, et ad testimonia fide digna prouocant. Inter quae Oporini eminet, qui narrat: *Pecuniae adeo prodigum profusorem fuisse, ut ea saepe destitutus ne obolus quidem supereasset, craftino statim mane rursum crumenam bene instruetam se habere ostendisse, ita ut non raro admiratus fuerit, unde ei fuisse suppeditata.* Haec enim aliter fieri non potuisse, nisi istius artis beneficio, eius sectatores colligunt. Clarius pro Theophrasto militat epistola Francisci cuiusdam, quam Germanice suae *Geographiae* MICHAEL NEANDER adiecit, Latinam *Defensioni alchemiae transmutatoriae* inseruit ANDREAS LIBAVIVS^p. Ille Franciscus enim testimonio suo affirmauit, vidisse se Paracelsum Basileae prope libram integrum argenti viui in aurum commutasse. Similem narrationem exhibet auctor *Vitae Io. Bapt. Morini*, a TEISSIERIO^q adductam, Neoselii apud Hungaros Theophrastum cuprum in aurum transmutauisse, et notissima ibi fama constare, cum ad Transylvanos abitum pararet, hospiti aurifabro debitum isto auro soluisse, huncque rei memoriam picta in pariete domus suae imagine Theophrasti conseruauisse. Et similia quoque alia afferuntur, ex quibus, qui ista probant, concludunt, reuera istam artem *χρυσοποντινην* Paracelsum exercuisse, quale est, quod singulis mensibus nouam vescem confici curauerit, veteri proximo cuius donata, etc. Quae omnia ita quidem eludit CONRINGIVS^r, vt deceptum esse istum Franciscum, dicat, contendat autem, potuisse ab alio eiusmodi puluerem *χρυσονοιν* habuisse Theophrastum, forsan genio aliquo nonnunquam eum suppeditante. Quod vtrum vim testimoniorum frangere satis valeat, aliis expendendum relinquimus. Non diffitemur tamen, veritatem rei nondum ipsis exemplis et testimoniosis probari, cum sola traditione vnius hominis, qui et falli potuit et fallere, nitantur, nec iis requisitis gaudeant, quae ad fidem certam, vel verisimilitudinem, necessaria sunt, praecipue cum haud vna ratione suspicandum sit, Theophrastum, in vendendis fumis et proiiciendis iactantiae bullis mire foecundum, hisce artibus gloriatum fuisse, vt de se opinionem hominis admirandi augeret: quid enim de transmutatione metallorum senserit, in libris suis, maxime de *Tinctura physorum*^s prodidit, ex quo patet, quam gloriose de his thesauris suis dicere consueverit. Meliori forte iure inter chemicae artis principes referunt, quam ei laudem ne aduersarii quidem denegant, sectatores autem, stupenda curationum exempla medicamentorum chemicorum opera ostendisse, vno'ore clamitant, et desperatos atque incurabiles morbos sustulisse affirmant: maxime tincturam quandam vniuersalem ei tribuunt. Imo illi potissimum acceptum referendum esse contendunt, quod medentium multitu-

^p) L. II. p. 153.^r) I. c. p. 357. conf. BVDDEV'S Diff. an alchymistae in republica sint tolerandi? §. 17.^q) Elog. T. III. p. 139.^s) T. VI. Opp. p. 364.

multitudo infinito aegrorum damno haec tenus insaniens nugari desierit. Id quod ipse Theophrastus ambitione multoties iactauit /, et cum munus professoris apud Basileenses auspicaretur, similia ostentando inuidiam multorum meruit: neque male ideo multatus ab ea iactantia destitit, indignatus aduersariis suis, quod eos sapere docuerit. Singularem quoque laudem spirat, quod sectatores eius valde extollunt //, signaturas rerum naturalium, de quibus peculiarem libellum conscripsit *, eum ita inspexisse, siue humanae sint, siue archeum respiciant, siue astrales dicantur, ut ex iis primo intuitu de viribus rerum naturalium earumque essentiis accurate certeque iudicare potuerit. Quae omnia ita artis salutaris et mysteriorum naturalium peritum nobis Theophrastum fistunt, ut par alter in mundo inuentus haud sit. His castitatem morum ab omni impuritate illibatam, liberalitatem, facilitatem et inferuendi promptitudinem nonnulli addunt, ut animo quoque commendetur, qui ingenio existeret maximus.

*Reprehensio-
nes Paracelsi.*

§. VIII. Summas esse has laudes et encomia immortalitate dignas omnino fatendum est. Verum non reticendum quoque, haud pauciora habere eius aduersarios, quae in eo vituperent. Parum eos mouent adducta exempla curationum mirificarum, quarum fidem valde eleuant, contendentes, testes eos produci, qui vel ab eo decepti sint, vel ob commoda sua atque emolumentum, ex iactata arte Paracelsica hauriendum Graeca fide talia confinxerint. Cuius rei fidem ut faciant, ad tristes euentus earum curationum prouocant, quibus Paracelsus admirationem sui temporis meruit **. Talia enim pharmaca aegris propinasse, aiunt, quibus tandem subitanea et inopinata mors illis accelerata fuerit. Multus in eo argumento demonstrando est THOMAS ERASTVS *, qui licet per biennum in Theophrasti disciplina fuisse, integro tamen libro has eius imposturas detegere, orbemque medicum ab hac contumelia vindicare aggressus est. Testatus quoque est Ioannes Crato in *Epistola ad Zwingerum*, Paracelsum in Bohemiam vocatum leuiter aegrotantes suis medicaminibus ita corrupisse, ut epilepsia, coecitate, paralyssi postea enecarentur: in aula Caesarea autem, vbi cum Iudeis ex vilissimis hominibus ei semper negotium fuerit, ita fidem decoxisse, ut eum imperator mendacissimum et impudentissimum impostorem, qui cum doctis hominibus nunquam conuersari voluerit, nominauerit. Alia ab Erafso ex epistolis celeberrimorum medicorum adducta praeterimus. Ex his vero non sine verisimilitudine colligunt, Theophrastum inter agyratas magis et circumforaneos

f) Vid. Opp. T. V. p. 154. add. ADAMUS I. c. p. 34.

ff) Vid. ADAM. I. c.

t) Estis inter Libros nouem de rerum natura bonis, T. VI. opp. p. 329. Tres signaturas has eo loco ponit, unam hominis, secundam archei, tertiam spiritus astralis, hancque in chiromantia et physiognomia quaerit. Felicius in signaturis rerum mineralium versatur, eas enim accurate

nouerat. Hinc tinturam rubram et albam p. 353. laudat, in quam astra folis et lunae se conclusisse gloriatur. De arcano eius steganographicō ex sanguine humano concocto, vide MORHOFIVM Polyhist. T. I. L. I. c. II. §. 15. p. 100.

u) Vid. TEISSIER I. c. p. 158. et quos laudat.

x) I. c. eum sequitur CONRINGIUS I. c.

neos artibus illicitis, mendaciis, et audacissimo medendi genere, aucupium quaerentes, quam inter medicos et philosophos esse referendum, hancque viri mali notam in tota vita sua probasse. Id quod ipsi Theophrasto obiectum esse ex *Apologia*, quam *de vita sua erratica* scripsit, constat; in qua recte se agere contendit, quod vagabundus per varias terras oberret, cum et naturam suam ista vita deceat, et hoc pacto ea didicerit, quibus virum se praestare possit: non enim quemquam euadere posse cosmographum, astronomum, philosophum, nisi multas regiones pergrandio coeli distributionem, firmamenti inclinationem, terrae thesauros et affectiones et similia didicerit. Quod quam fculneum fit et ineptum, Lector nobis non monentibus intelligit. Augent haec opprobria, quibus Paracelsi famam onerant aduersarii, eum ex eruditorum albo delendo, et doctrinam omnem illi denegando, adeo ut ne Graece quidem vel Latine quicquam nosset, nec auderet in praesentia virorum doctorum verbum vulum Latinum edere. Id quod non negat *HELMONTIVS*^z, doletque eum iusto nimis compotationibus indulgentem coepisse spernere cathedram, immo Latinitatem, unde poene exciderit ratus, veritatem duntaxat Germanice loqui debere: indeque licet ingenio raro natum tamen dono Azoth, quam indagatione theoriae feliciorem fuisse. Auget hanc obiectam ignorantiam Germanicae linguae, quae tamen illi vernacula fuit, inscitia, quam in scriptis suis ita prodidit, ut manu aliena emendari opus haberent. Nec hos valde mouent illa, quae de inuentionibus Theophrasti magnifice iastantur ab eius affeclis. Pauca enim illa, quae bona frugis sint, aliis surripuisse contendunt, et turpissem eum plagi accusant. Quam dicam viuo Paracelso scriptam esse, ipse fassus est^y, acerbe de hac contumelia conquestus, et aduersarios prouocans, ut vel vnam inuentionum suarum demonstrent medico vel philosopho alicui surreptam. Qui tamen facili negotio eorum catalogum contexuerunt, quorum vitulo ingratus arauerit, in quo Ioannis Isaaci Hollandi, Arnoldi de Villa noua, Raymundi Lullii, Ioannis de Rupescissa, Ioannis Trithemii, Basili Valentini aliorumque, etiam anonymorum^b, comparent nomina. Quamuis autem a plagi cri- mine ita se liberaret, ut se nihil legere, omnia vero ex ingenio deponita dictare affirmaret, obiecerunt tamen eius obtrectatores, pleraque obscurum chaos esse, barbara nomina, et abyssi tenebras, non lectoribus modo lucem nullam accendentes, sed et satis prodentes, ex confuso et ordine atque claritate vacuo cerebro omnia promanasse. Neque leuioris ponde- ris sunt vitia animi, quae in Paracelso reprehenduntur. Inter quae primo loco eminent intolerabilis et stulta arrogantia, omnes etiam eruditissimos et meritissimos viros infra se despiciens, et inaudito fastu, atque rustica

O O O O 2

plane

cum Aristotelicis et Galenicis consensu atque dif-
fensu p. 93. *T H O M A S I V S* de Plagio §. 514. p.
229. 230. *C R E N I V S* de Furibus librorum p.
118. aliisque. Ipse tamen ad libros nonnunquam
prouocauit, conf. *R E I M M A N N .* l. c. p. 555.
not. f.

^y) T. II. Opp. p. 173.^{z)} l. c. *C O N R I N G .* l. c. p. 353.^{a)} T. V. Opp. p. 133.^{b)} Conf. quae ipse scripsit in Praef. Chirurgiae magna. Add. *S E N N E R T U S* de Chymicorum

plane iactantia et dicacitate se aliis praefferens. Cuius si quis luculentum exemplum legerè cupiat, licet omnes fere paginae hanc ferocientis animi intemperiem prodant, illi *Praefatio* libri legenda est, quem *Paragranum* inscripsit, qua nihil potuit scribi vel arrogantis, vel sordidius. Mirum itaque non est, implacabile odium erga veteres Theophrastum fuisse testatum, quos ideo contempnisse aiunt, qui eum culpant, quod eos legere et intelligere fatis haud posset. Grauiora sunt ἐγκλήματα, quae a vita eius desumunt, quam omni pietate et reuerentia Dei vacuam fuisse haud contemnendis rationibus probant, et quam negligens fuerit cultus publici, quamque procul a religione absuerit, multis exemplis docent ^d. Quo pertinet, quod a MELCH. ADAMO ^e narratur, cum Basileae doceret, de incantationibus quoque et exorcismis morborum magicis agere coepisse: eam rem aegre ferentibus viris doctis atque piis in verba prorupisse: Flettere si nequeo superos, Acheronta mouebo ^f. Neque mirum parcum pietatis cultorem visum esse, qui totos dies noctesque ita crapulae deditus erat, ut raro sobrius videretur, si vera sunt, quae de eo Oporinus narrat, assiduus eius eo tempore, quo in Alsatia apud nobiles et rusticos oberrauit, comes et minister. Ille enim in *Epistola ad Ioannem Wierum et Reinerum Solenandrum de vita et moribus magistri sui* haec scribit: „Adeo erat totis diebus et noctibus, dum ego ipsi familiariter per biennium fere conuixi, ebrietati et crapulae deditus, ut vix vnam atque alteram horam soberum eum reperire licuerit: maxime postquam Basilea discedens, in Alsatia inter nobiles rusticos, et rusticos nobiles, velut alter Aesculapius omnibus admirationi fuit. Atque interea tum, cum maxime esset ebrius, domum reuersus dictare mihi aliquid suae philosophiae solebat.“ Et paulo post: „Noctu toto quo ipsi conuixi tempore, nunquam se exuit, plerumque enim non nisi ebrius ad extremam noctem ibat cubitum, atque ita ut erat indutus adiuncto sibi gladio, quem carnificis cuiusdam fuisse iactitabat, in stratum se coniiciebat, ac saepe media nocte surgens per cubulum nudo gladio ita insaniebat, ita crebris ictibus et paumentum et parietes impetebat, ut ego non semel caput amputatum iri metuerem.“ Hoc autem spiritu ebrio dictante cum philosophia eius genita fit, quid de illa dicendum iudicandumque sit, omnibus constare aduersarii eius clamant. Huic alias testes iungit CONRINGIVS ^{ff}, qui hanc vitae dissolutae turpitudinem αὐτὸν τραγού testati sunt, qui tamen de eo tempore tantum intelligi debent, quo Basilea se subduxit, nam ad vigesimum nonum aetatis annum vixit abstemius. His, quae in Theophrastum cumulantur opprobriis commoti viri docti eum inter Numinis hostes referunt, eumque vel plane Deum negasse, vel cultum tamen ei et religionem denegasse censem, eaque exemplis

e) Opp. T. II. p. 10.

d) ERASTVS, CONRINGIVS II. cc. Ille ad Bullingerum pronocat, testantem, sordidum fuisse per omnia et spurcum, raro aut nunquam

ingressum coetus facros, visum esse Deum et res diuinias leuiter curare.

e) loc. cit.

f) Hilft Gott nicht, so kelse der Tenfel.

ff) l. c. p. 346.

exemplis probant, quae si vera sunt, impudentissimi oris et impii prorsus animi hominem Paracelsum fuisse euincunt *s.* Neque hoc de moribus tantum impiis, quos expressit, iudicatum est, sed visus quoque est HENRICO MERO^b systematis, quod sibi construxit, scopo ad deismum et enthusiasmum lectores ducere. Ex altera vero parte graue illi crimen magiae obiiciunt, qui eum carpunt, eo quod tum perditissimam disciplinam in scriptis suis defenderit, et media magica commendauerit *i*, tum cum infernali genio commercium detestabile aluerit, et quoties ebrius esset, eo vrgente et instigante pessima dogmata in chartam coniicienda dictauerit, et post multos conflictus tandem mercedem infelicissimam ab eo reportauerit. Theologi vero quot et quanta in eo desiderauerint, vt hic prolixe dicamus, nec pagina sufficit, nec instituti nostri leges patiuntur, in annalibus ecclesiasticis autem pluribus enarrandum est *k*. Paucis eo cuncta redeunt, quae graui querela in illo reprehenderunt viri docti et pii, fanaticum eius ingenium ad subuertenda illum sacrae doctrinae capita totumque theologiae aedificium corrumpendum compulisse, ita vt rationem et reuelationem confunderet, dogmata fundamentalia conuelleret, et innumera damna ciuitati Christianae inferret: nihil esse sanum, nihil, quod non ipsam doctrinæ diuinæ indolem laedad, et quae his sunt similia.

§. IX. Grauissima haec licet fint, et non sine verisimilitudine, et *Excusatio*
sine testibus obiecta, habent tamen, qui Theophrasto patrocinantur, quod *Paracelsi*.
ad has obtreccationes respondeant: qui vt audiantur, aequitas postulat¹.
Hi ad testes omni exceptione maiores et fide dignissimos prouocant, ad
regum principumque testimonia, ad honores et praemia aularum, et quae
alia fuerint publica, licet iniusa aduersariis suis testimonia, quibus certissi-
me constet, inaudita eum curationum exempla edidisse. Ipse " omnium
terrarum medicos, librosque testes prouocat, qui ea praestare nequierint,
quae eum se praestitisse, principum testimonia et laudes illos conuicerint,
adeo in rabiem actos, vt ea diaboli auxilio effecisse calumniari auderent.
Inscitiam vero illi obiici ob linguae Graecae et Latinae ignorantiam non
posse monent, cum arti chemicae, et medicaminibus generofioribus in-
tentus, et naturae arcanis discendis occupatus, veteres Graecos et Lat-
inos, inutilem ad hoc opus farcinam, contemnere debuerit, sive has lin-
guas tandem dedidicerit: et gloriosum esse Theophrasto, quod suo ingenio
illa debeat, quae in omnibus veterum libris frustra quaeruntur. Verna-
culae autem inconditam rationem ex patriae et temporis illius indole faci-
le excusari posse putant. Obscurum porro et vix intelligibilem docendi
scribendique modum eo minus culpandum esse contendunt, quo minus

g) Vid. quos nominant ARNOLDVS I. c.p.
311. COLBERG. I. c. p. 183. REIMMANN. Hi-
stor. ethiop. Scđ. III. c. 17. f. 5. et 18. f.

h) De Enthusiasmo §. 45. seqq. Opp. philos. T. II.
p. 662.

p. 209.

i) Loca collegit CLERICVS Hist. medic, p.

794. qui videndus.

O o o o 3 obser-

k) Conf. quos laudat COLBERG l.c. OLEARIUS Synopsis Controv. P. V.

1) Ipsiſ Paracelfi Apologia extat T. II. Opp. ad
Statutum Carinthiacum.

m) T. V. Opp. p. 134.

obscuritatis caussam in Theophrasto haerere putant, sed in lectore mysteriorum chemicorum imperito; nec paessam esse rerum nouitatem ante inauditam, vt veteribus cuncta designaret vocabulis, nec decuisse artis praestantissimae nobilitatem, vt nuda vulgaretur, et a quo quis prostitui posset. Plagii autem conuinci non posse pertinaciter pugnant, et vt eius specimina oftendantur postulant. Quae autem ambitione dicta videntur, ita excusant, vt in medicorum acerbissime in artis chemicae culturam satis imperito ore debacchantium iniurias culpam referant, caussantes, duro nodo durum quaerendum esse cuneum. Quam excusationem ipse attulitⁿ, et aceras inuectiuas ita culpa liberauit, vt diceret, se patria Helvetum, non delicatule educatum, sed agresti more formatum esse, adeoque easē humana satis, et ciuilia habere, quae aliis in gynaeceis formatis videantur rustica. Nec sibi verborum curam esse, sed rerum, blanditiis autem ineptum se esse, nec didicisse, se ardelionem quemlibet in sinu gestare. Male vero sibi seruos fugitiuos de sua acerbitate conquerentes obici, quos perfidia domo sua et familia eiecerit etc. Porro pietati inimicum seruauisse animum iis potissimum locis negant Theophrasti cultores, quibus satis pie et reuerenter de Deo diuinisque rebus locutus est^o, et quae impietatis specimina narrari solent, inter fabulas referunt, quas genuit inuidia aduersariorum, nutriuit credulitas, amplexa est simplicitas, verum a falso distinguere nescia. Nec ebrietatem ei obiici posse credunt, cum hoc vitium toties magno zelo culpauerit, ita vero pietatem commendauerit, vt hanc primarium fundamentum et columnen artis salutaris esse profiteretur^p. Magiae autem suspicionem rident, eamque superstitionem et ignorantiam genuisse affirmant^q. Paracelsum vero cum magiae imaginem in nonnullis scriptis suis referat, id ideo fecisse dicunt, vt ars ab ignorantium contemtu secura lateret. Et hanc ob caussam, esentias, tincturas, pulueres suos chemicos spirituum nomine insigniuisse volunt, vt stupidos naſo duceret, et ab his adytis arceret.

*Iudicium de
Theophrasto
Paracelso.*

§. X. In tanto scientiarum et opinionum de Theophrasto Paracelso diuortio admodum difficile est, arbitri partes sibi sumere, et iudicium interponere rectum. Nec diffitemur, circumstantias historiae Paracelsi non ita omnes patere, vt quod satis faciat legibus fidei historicae statui queat. Dicemus tamen, ita postulante operis nostri indole et conditione, quid nobis, attente et diligenter inter se comparata narratione illa, quam supra dedimus, videatur verisimiliter de Paracelso tenendum esse, si abieciō partium studio et adhibitis ratiocinandi regulis iudicandum sit. Et hanc quidem Theophrasto Paracelso laudem concedendam esse, quod artis

n) T. II. p 183. vbi patriae rusticitatem accusat, quam tamen nostrorum temporum elegantiae, etiam apud Helvetios caue imputes.

o) Huc pertinet L. IV. Paragrani, qui agit de requisitis medici.

p) ARNOLD. l. c. et Vol. II. p. 421.

q) Vid. NAVDAEVS Apolog. magiae accusat. c. 15. p. m. 280. BORRICHIVS de Chemia c. 6. ARNOLD. l. c. Vol. I. p. 311. Vol. II. p. 420. MORHOF. Pol. T. II. p. 112. BYDDEVVS Isag. P. I. p. 265. REIMMANN. l. c. p. 567.

tis chemicae peritissimus fuerit, eamque si non penitus ignotam, certe neglectam, et in forulis bibliothecarum, vbi scripti nonnulli de ea arte libelli nec lecti nec intellecti, conseruati sunt, cum tineis blattisque colluctantem, aut ab empiricorum, vulgique manibus versatam ruditer, protaxerit in lucem, in artis formam redegerit, et nouum therapeuticae genus illi inaedificauerit, ne aduersarii quidem eius pertinaciter negabunt, certe tanta veritatis luce radiat, vt contra solem loqui censendus fit, qui id inficias iuerit. Et profecto elogio debito priuandum non est, quod artem hanc incertis antea coniecturis fluctuantem ad certa principia reuocauerit, et experientia velut clave vsus in naturae arcana ita penetrauerit, vt quos venae terrae, quos fodinae, quos montium abyssi thesauros contineant, apertum fieret, et qua ratione ad hominis conseruationem adhiberi possent constaret. Neque magnopere haeremus, affirmaturi, singularia prorsus et eo tempore insolita curationum felicissimarum et incredibilium exempla edidisse Paracelsum, vbi illi licuit eiusmodi aegrorum subiecta attingere, quibus medicamina sua chemica applicari tuto potuerunt. Haec enim omnia negare velle, idem esset, ac fidem testimoniorum omnem reiicere, et Pyrrhonismo historico vniuersali frigidam suffundere. Quamuis enim Erastus, Conringius aliique, qui in Paracelsum insurrexerunt, negationem illis narrationibus simplicem opposuerint, et omnem fidem eas superare, confictasque videri clamauerint, intelligit tamen Lector artis ratiocinandi peritus, id non sufficere, cum viri testes sint Theophrasto, qui et arti huic partibusque illius dediti haud fuerunt, et extra assertationis suspicionem positi sunt, qualis est Erasmus Roterodamus. Ipse Theophrastus cum publica voce aduersarios prouocaret, viros quoque principes nominauit, quibus a medicis relicitis mirabili felicitate sanitatem restituit, quos impune mendaciis excitare et in scenam quasi producere ausus haud esset. Ipsa quoque pharmaca ab eo inuenta et in vsus hodier nos traducta, rem hanc extra dubitationem ponunt, et euidenti testimonio comprobant, plurimum Theophrastum in isto medendi genere modoque valuisse. Id quod viderunt tandem Erastus et Conringius, fassi in sanandis ulceribus malignis eius peritiam medicam comparuisse. Verum vt omnes se morbos desperatos sanare posse ipse negauit, ita facile nobis persuaderi patimur, haut raro artem Theophrastum deseruisse, et aggressum quidem multa in haut paucis fuisse destitutum. Quod etsi humanae imbecillitati tribui potest, nec tantae artis medicus est, qui non multoties expertus sit, interdum plus docta valere arte malum, verisimile tamen est, cauſam quoque in nimiam, quam arti suae et medicaminibus tribuebat, fiduciam esse referendam: qua cum noua φαρμακα, et quidem chemica, nisi dextere et magno iudicio applicentur, magnum damnum aegris conciliantia, audacius adhiberet, multoties euentus parum laetos habuit. Hanc enim eiusmodi medicamentorum, qualia Theophrasto in vſu fuerunt, indolem effe,

vt

(Opp. T. V. p. 177, 181, 182.)

vt aut cito auxilium afferant, aut cito iugulent, satis notum est. In qua coniectura eo magis confirmamur, quia Paracelsus, teste Oporino, qui stupenda sanationum miracula eum edidisse ait, aegrotis diaetam non prescripsit, sed vt erat vinosus; laute cum iis vixit, et totas noctes et illos et se vino ingurgitauit. Quod et si laudi duxit, gloriatus pleno ventre eos cum sanitate in gratiam rediisse, rerum intelligentes tamen conuincere potest, multos ista licentia morbo succubuisse. Nec forte a veritate multum aberrat nostra coniectura, Theophrastum ad tollenda magis morborum atrocium symptomata, quam ad extirpandam internam mali radicem respexisse, hincque factum esse, vt reciduos haut raro morbos aegri paterentur, vel subitanea quoque morte corruerent. Quam suspicione confirmare videtur Oporini narratio: internorum affectuum curationem ita administrasse Theophrastum, vt nullo in loco ultra anni spatium haerere potuerit; quod ipse dicere solitus sit: anno amplius non posse suas artes in uno loco durare. His accedit, quod ex lectione scriptorum eius constat, fuisse eum audacissimum ostentatorem, non alias modo omnes prae se contemnentem, sed et multa iactantius affirmantem, quorum fidem non probauit. Quod qui negant, eos legere iubemus Praefationem libri, cui barbarem Paragranii appellationem indidit, quo an ineptius, an thrasone impudenti dignius scribi quicquam possit, merito dubitamus. Et hunc thrasonismum, quo ad consequendam opinionem et auctoritatem apud aegrotos opus esse medico censuit Patinus^s, Paracelso plurimum existimationis peperisse, vt insanabiles morbos quoscunque tollere posse crederetur, nobis est verisimillimum. Excusanda tamen quodammodo Paracelsi iactantia videtur, si cogitauerimus, medicos eius temporis Galenica methodo innutritos et chemicae infensissimos suis in Theophrastum inuectiuis viro natura arroganti et iniuriae impatienti, qui probe nouerat, altius se naturae mysteria inspexisse, occasionem dedisse, ita se effrenandi, et ad hanc insaniam eum prouocauisse. Porro scribendi genus et dictionem Theophrasti totam insultam, inficetam, et plane viro docto indignam esse, obscuritate autem ineluctabili laborare, omnes librorum eius paginae loquuntur, et plebem, quacum auctor conuersari solebat, ubique spirant. Ita enim verborum ordinem et loquendi modum inuertit saepe, abrumpit, confundit, vt hariolandum sit, quid sibi velit. Cuius cauissas partim in educationem et disciplinam Paracelsi, partim in viuendi morem licet coniicere^f. Cum enim eo tempore esset natus et in Heluetia educatus, quo nulla prorsus cura sermonis vigebat, patria magis lactescinio quam Musis vacante, mirum non est, ruditatem hanc cum ipso adoleuisse. Nec eam itinera mitigabant, sed augebant. Cum enim inter tot nationes linguis, moribus, consuetudinibus diuersas adolescens et iuuenis versaretur, et cum fece vulgi conuersari haud dignaretur, ratus vetulam, balneatorem, agyrtam, Iudeum similesque furfuris homines interdum ea

^{s)} Vid. MENKEN. de Charletan. erud.

init.

^{f)} Conf. HUSERVS Praef. Tomi I. Opp.

expe-

experientia didicisse, quae academiarum doctores ignorant, mores horum hominum atque linguam eum induisse, mirum haud est. Cum autem relata professione medica inter rusticos vixerit, et vita sequentis temporis circulatoria et vaga fuerit, impossibile fuit, istos naevos emendari, qui hoc pacto mirum in modum aucti sunt. Accedit, quod Oporino teste supra retulimus, eum plerosque libros suos ebrium dictitasse, quod adeo verum esse lectio eorum comprobat, ut nonnulli ebrii capitis confusione spirent: quamvis verisimile sit, amicos eius nonnulla emendauisse. Obscuritatem vero et artis chemicae conditio, quae a vulgi captu semota verbis communem usum seruantibus exprimi describique non potest, et studium Paracelsi occultandi sua, ne ab indignis in abusum vertatur, excusat. Ita enim ipse in *Dedicatione ad Status Carinthiae* ^s: *Stilum esse difficilem, itemque nomina, vocabula et ordinem formularium. Non hoc se ob decipiendum lectorum vel affectandam artem fecisse; sed methodum mediam id poscere, addidisse tamen obscurorum illustrationem, sed eam sibi cernare non inuidiae causa, sed ne agyrtarum malitia et abusui patesceret.* Et simili quoque ratione noua vocabula defendit; patebitque legentibus, voces barbaras paragranum, iliadum, iliaster, domor, cagastrum, idechtrum, pagoycum, relolleus, cherionius, euester, ylech, trarames, turban, leffas, stannar, perenda, zenda, dualech, azoth, laudanum, et complura alia eum in finem illum confinxisse. Quae adiecto quidem dictionario in fine operum non nemo explicuit, verum ita, ut nouo Oedio opus habeat. Par ratio est eorum, quorum nomina quidem satis nota sunt, at noua ex Theophrasti ingenio accessit significatio. Neque tamen iniuriam facere videntur Paracelso illi, qui eam quoque ob causam obscuritatem inuincibilem illum affectasse dicunt, ut ignotorum et peregrinorum maior esset admiratio:

*Omnia enim stolidi magis admirantur amantque
Inuersis quae sub verbis latitania cernant.*

Multa inuenisse Paracelsum, nemo forte negauerit, qui a partis studio alienum habet animum, noua enim haud pauca eius scripta ostendunt, et usus probauit, cum antea non innotuissent: verum, vni ingenio suo eum debere omnia, illis demum persuadebitur, qui, quae ante eum scripta et arcana custodita sequens tempus in apricum protulit, ignorant. Haec enim cum Theophrasti *ἐγνίωσ*: comparantibus patere, multa eum a scriptoribus se prioribus accepisse, experientia edocetus testatur SENNER T V S ^t: unde a plagii nota eum totum liberare non audemus. Quo conceffo, fatendum quoque est, ambitiosam ostentationem eius bonum virum dedecentem non posse excusari, cum suis se circulis continere, et suo pede metiri debuisset. Nihil vero philosophi moribus magis dissimile est in Paracelso, quam conuicorum acerbissimorum in quoscunque, qui displicuerint iactorum insolentia. Quam tantum abest ut negare vel excusare contendat, ut potius in

^{f)} Opp. T. II. p. 148.

Hist. philos. Tom. IV.

^{t)} loc. cit.

Ppp p

in *Dedicatione ad Status Carinthiae*^x affirmet, aequum esse ut pseudo-medicis par pari referatur, afferatque sibi legem Christi de tolerandis proximi iniuriis latam haud esse, quae ad alium scopum referenda fit, sibi vero concessum esse, dona, quae a Deo acceperit, tueri. Quae si cum amarulentis, quas in aduersarios effutiit inuectiuis comparentur, patet, frustra esse Godofredum Arnoldum, alias in detegendis naeuis et vitiis aliorum lynceum, qui haec negat, et noluisse detestabilem Paracelsi consuetudinem agnoscere, cum ex omni fere parte eum absoluere constituisse. Quae quoque ratio eum commouit, vt inuitis testimoniis minime suspectis ab ebrietatis crimine eum liberaret, cauissatus, ab isto eum vitio fuisse dehortatum. Alia enim nobis Oporinus minime suspectus testis refert, alia viri docti, qui cum eo congregati sunt, quod adeo certum visum HELMONTIO^x, vt cum laudare Theophrastum constituisse, doloreret, quod iusto nimis compotationibus fuerit deditus. Feliciori conatu ab atheismi macula liberari potest, si vox ista de aperto Numinis hoste intelligitur. Nam credidisse Paracelsum, esse Deum, eumque colendum statuisse, ex *Paragranio* eius est manifestissimum. Requirit enim in medico sinceram veramque fidem in Deum, quae totum animum et cogitationes atque sensus omnes ita occupat, vt amore et fiducia in eum homo plenus sit. Et hanc fidem atque amorem effecturum, ait, vt veritatis manifestationem Deus illi non inuidet, sed totum opus diuinum tandem pateat, intelligentque omnes, quomodo illa se erga Deum fides habeat. Quae vt ab impietatis crimine Theophrastum liberant, ita produnt eos, qui atheismum ei obiecerunt, aut de practica quadam vitae impietate loqui, aut more illius temporis ob nouam doctrinam eum in hunc censem retulisse. Interim non negamus, periculosa fouisse Paracelsum dogmata, et ad impietatem viam paratura, si ingenium accedat *érepānāsrov*, nec magnopere aduersabimur Moro, enthusiasmum ei ob assertiones nonnullas obiciendi. Ea vero nondum sufficiunt, vt in atheorum, hostiumque Diuinitatis album queat referri. Paulo plus attentionis postulat insimulatum magiae crimen: cuius accusationis fundamenta vel in doctrina eius vel in vita sita sunt. Et quod ad primum quidem attinet, fatendum est, scripsisse Theophrastum librum de magia, quam *Philosophiam sagacem* vocat, qui *Tomum X Operum* constituit. In eo de vniione hominis cum sideribus agit, et ex illa multas oriri scientias statuit, hucque refert magiam, cabballisticam, necromantiam, astrologiam, chiromantiam, physiognomiam, substantianam, geomantiam, pyromantiam, hydromantiam, medicinam adeptam, philosophiam adeptam, et mathematicam adeptam, quae omnia tanta confusione et obscuritate explicat, vt Lectori sponte subnascatur suspicio, Paracelsum hunc librum ebrium dictasse, nec intellexisse, quae in chartam referri iussit. Multa vero inepta, superstitione plena, et vetulis, quam philosophis digniora in eo tractatu offenduntur^y. Tacemus loca alia, in quibus magiam pro arte occulta et suprema omnium scientiarum venditare non erubuit.

Extat

v) T. II. p. 148.

x) loc. cit.

y) Conf. cum his CLERICVS Hist. medic. p. 795.

Extat etiam in *Appendice decimi Tomi Operum tractatio*, quam more suo obscuro titulo: *Archidoxis magica* insigniisse dicitur, quae tota curationes magicas per amuleta, sigilla et similia explicat. Verum ut de hoc libro ipse editor dubitauit, vtrum genuinus Theophrasti foetus sit; ita quae de magia tradidit, recte intelligenda sunt, et ex propriis eius hypothesis explicanda. Quae si rite considerentur, facile est, Paracelsum a magiae crimine absoluere. Nempe mundi superioris et coelestis concentrum, influxum et operationem in inferiorem statuit, et inuisibilium magnam vim esse in visibilia, et coelestium in sublunaria afferit: quod dogma cum plurimis aliis commune habuit. Quodsi admittatur, facillimum fuit, de operationibus spirituum in res inferiores, vel de mutuo influxu virtutum coelestium in corpora elementaria multa ad excitandam apud rei ignaros admirationem garrire, licet a magia, commercioque cum spiritibus malis auctor immunis fuerit. Eodem enim principio nixi, Pomponatius, Petrus Aponensis, Agrippa aliique eiusmodi magiam naturalem commenti sunt. Accedit Theophrasti ingenium paradoxum et peregrinis somniis excogitandis aptissimum, quod philosophiae nomen sua dignitate non constare creditit, nisi talia traderentur, quae ab hominum fide et vulgi opinione essent remotissima, et admirationem apud rerum ignorantes excitare apta. Hinc de sylphis et gnomis, de salamandris, nymphis aliisque elementorum incolis multa ineptit et mira tradit, quae inaudita sunt, et fidem omnem superant. Et haec quidem ingenium prodere paradoxum, visionibus indulgens, et somniis atque chimaeris Lectorem pascens, minime dissitemur, et vel ex hoc uno dogmate constare putamus, quam longe a vera philosophia Paracelsus absuerit: at magiam tamen non magis demonstrant, quam astrologorum prognostica futurorum praescientiam, sed fructus sunt animi stolidi et vani, iudicii autem corrupti, et imaginationis insanientis furore correpti. Neque inuiti eorum subscribimus sententiae, qui coniiciunt Paracelsum παραδεξοφίλον inductum talia sibi seleuisse, vel ideo ignota, et insolita crepuisse, vt more suo fumos vendoret, et aliis persuadendo, plura et maiora humanis se viribus praestare posse, venerationem atque auctoritatem consequeretur. Quae coniectura valde inde augetur, quod Paracelsus hos libros magicam artem prae se ferentes apud amicos, qui his nugis delectabantur, non scripsiterit ipse, sed illis dictauerit; hoc enim argumento est, voluisse eum istorum curiositatem talibus garris otiose pascere, seculum enim XVI philosophiae huius occultae, vel vt noster vocat, sagacis amantissimum fuisse, ex iis, quae supra de Pythagoreo-Platonico-Cabbalisticis diximus, est manifestissimum. Vtrum autem per magicas formulas, figuras et signa, tincturas, essentias, spiritus aliaque praeparata chemica designauerit, quod NAVDAEVUS contendit, in medio relinquimus. Talismanes enim, amuleta et similia principiis Paracelsicis omnino conformia sunt, magiam autem practicam, eo sensu, quo Theophrasto tribui solet, non euincunt, sed thrasonem et

Ppp p 2

impo-

z) Apol. Magiae accusat. loc. cit.

impostorem demonstrant. Quae vero ex vitae eius circumstantiis affe-
runtur, v. g. quod discipulis, famulisque malos, qui ipsi seruierint, spi-
ritus ostendere promiserit, quod noctu cum illis digladiatus sit, et quae hu-
ius generis alia sunt, prius probanda sunt, vtrum vera sint, et ab aduer-
sariis non conficta, aut ad decipiendos discipulos vanissimis verbis a Para-
celso iactata? vel inter rusticos ebrios ad ludendam imperitam plebeculam
ab agyrta ostentata? Similes enim nugas circulatorum excogitare solere, ne-
mo est, qui ignoret. Ceterum valde adulterasse Theophrastum doctrinae
diuinioris castimoniam, adeo non inficias imus, vt potius censeamus, val-
de suae famae consulturum fuisse Paracelsum, si theologorum pulpita non
tetigisset. At cum reformatorem agere constituisset, et se plura vidisse
crederet, quam viros illos doctos, qui in emendanda ecclesiae doctrina
eo tempore defudabant, cum famae suae dispendio noua quoque in doctrina
Christiana dare ausus est. Quae res adeo infeliciter ei cessit, cum iis
omnibus destitueretur, quae ad verum rectumque interpretem diuino-
rum dogmatum requiruntur, vt inde grauissimum consequeretur odium,
et iniurias illis quoque redderetur, qui alias chemicae artis peritiam in eo
admirabantur. Quae omnia satis prolixe deducta iam designant, quo lo-
co inter philosophos Theophrastus fit habendus.

Scripta Theophrasti. §. XI. Multa scripsit, vel potiorem partem noctu amanuensi di-
stauit Paracelsus, et quidem, si fides Oporino, haud raro ebrius, ex quo
constat, ornatum et elaborationem eius scriptis deesse, nec vbique inter
se conspirare. Ea vero non edidit ipse Paracelsus, maiorem forte dili-
gentiam in id collaturus, vt emaculate prodirent. Diligentiam autem in
tam vago vitae genere merito miramus: Si enim VALENTINO AN-
TRAPASSO SILO RANO credendum ^a, libros philosophicos CCXXXV,
medicos LIII conscripsit, vt theologicos fileamus. Plerique autem ad-
huc in forulis curiosorum latent; quamquam enim viuus adhuc edere
nonnullos constituerat, aduersariorum artibus tamen impeditus est, vt ipse
conqueritur ^b. Id quod eum commouit, vt carceribus msc. includeret,
ex quibus tamen eo inscio famulorum proditione nonnulli rapti sunt ^c,
qui vbi inuenti fint, editor in fronte indicauit. Et ex his foetuum Pa-
racelsicorum reliquiis IOANNES HVSERVS, electori Coloniensi a
confiliis et tuenda valettidine, quotquot reperire potuit, vno fasce com-
prehensa XI. Voluminibus anno CIO IO LXXXV, Basileae edidit ^d.
Ex cuius collectionis dedicatione ab editore ad Ernestum electorem patet,
multos habuisse disciplinam Paracelsicam admiratores et sectatores, et
complures viros doctos, immo principes quoque scriptis Theophrasti
fauisse,

a) In Prologo ad Tract. de Morbis ex tartaro
T. IV. Opp. p. 10.

b) T. II. p. 147.

c) VAL. ANTIPRASSVS SILORANVS
I.c. p. II.

d) Titulus editionis rarissimae est: Bücker
und Schriften des edlen, hochgelehrten und bewhrten
Philosophi und Medici Philippi Theophrasti Bom-

baßt von Hohenheim, jetzt aufs neue mit den Ori-
ginalien und Theophrasti eigener Handschrift,
so viel davon zu bekommen gewesen, aufs treu-
lichst und fleißigst an Tag gegeben durch Joannem
Hüserum Brigantium, Churfürstl Cölnischen Ratb
und Medicum, Basel, gedruckt durch Conrad Wald-
kirch, 1589. 4.

fauisse, illisque plurimum tribuisse. Praeter electorem enim, comitem Palatinum Rheni Philippum Ludouicum, Status Carinthiae, et inter medicos D. Ioannem Scultetum Montanum physicum Hirschbergensem, D. Io. Homelium Secundum physicum ducatus Stiriae, D. Eliam Roeslinum physicum Hagenoensem, D. Lucam Bathodium archiatrum Palatinum, D. Ioannem Hillerum archiatrum Brandenburgicum Onolsbacensem, D. Melchiorem Wielum, physicum Soloduranum, M. Barth. Scultetum, mathematicum et senatorem Gorlicensem, Franciscum Kretschmayerum medicum Saganensem, Laurentium Dehnium ciuem Augustanum, et Hartmannum Ammanum patricium Bernensem secum, auctor ait, communicasse scripta Theophrasti, et ita aptum reddidisse, ut reiectis corruptis et adulteratis atque suppositis editionibus, veros eius labores inter se collatos edere posset. Ex qua editoris narratione recte colligitur, incertum esse, vtrum omnes illi libri, qui in hac sylloge inueniuntur, ipsi Theophrasto tribuendi fint, eumque parentem agnoscant, nec ne? Errant etiam ARNOLDVS^e et REIMMANNVS^f, qui editionem Argentoratensem anni clo I C X V I^g primam fuisse dicunt. Eam enim, quam indicauimus, nos manibus nostris terimus, aliam Francofurti clo I C O III editam recenset, et libros in ea comprehensos enumerat A B R A H A M V S M E R C K L I N V S^h. Geneuenses autem totam syllogen anno clo I C L V I Iⁱ recusam dederunt. Cum autem fama Paracelsi per omnem Europam longe lateque disseminaretur, et scripta eius mysteria inaudita prae se ferrent, ad explendam exterorum fitim nonnullos eius tractatus Latinos fecit Adamus Bodensteinius, medicus Basileensis, in sequentibus commemorandus, totam collectionem autem Latinam edidit F R I D E R I C V S B I T I S C V S^k. Tradit etiam, quem supra allegauimus Valentinus Antrapassus Siloranus, Cyperinum Haeenum scripta Theophrasti Italis Gallisque vernacula, Bebeum Ramdum Graece legenda dedisse. Verum nec hos interpretes, nec has versiones vllibi commemorari, recte monuit Ven. REIMMANNVS^l. Neque commentator obscuris Theophrasti commentationibus defuit, qui lucem his tenebris accenderet. Edidit enim P E T R V S S E V E R I N V S archiater regis Daniae et canonicus Roskildiensis: *Ideam medicinae philosophicae, fundamenta continentem totius doctrinae Paracelsicae, Hippocraticae et Galenicae^m*, cui in editionibus Belgarumⁿ adiectus est commentator G V I L E M I D A V I D S O N I^o. Idem S E V E R I N V S Epistolam scripsit, in qua ratio ordinis et non minum, adeoque totius philosophiae adeptae methodus compendiose et erudit ostenditur; et his scriptioribus tantum plausum meruit, atque philosophiae Paracelsicae eam existimationem comparauit, ut noua pene secta Seueriniana, teste S E N N E R T O^p ex ea exsureret. Diuersi autem generis et ar-

P pp p 3

gumen-

e) loc. cit.

f) I. c. p. 571.

g) II. Vol. fol.

h) In Lindeno renouato p. 101.

i) 1658. III. Vol. fol.

k) Eam exhibet editio Genevensis.

l) I. c. p. 574.

m) Basil. 1571. 4. Erford. 1616. 8.

n) Hagae comit. 1660. 8. Roterd. 1668. 4.

o) Conf. M E R C K L I N. I. c. p. 906.

p) De Consensu et dissensu chemicorum et Galenic. c. 3. p. 58.

gumenti sunt scripta Theophrasti, ad nostrum vero forum, *Tomus operum octauus, nonus et decimus* pertinent. Hi enim, ut ab editore monitum, philosophici argumenti sunt, agitque primus *de generationibus et fructibus quatuor elementorum*, secundus *de arcanis naturae eorumque origine, caussis, indole et affectionibus*, tertius *de philosophia sagace sive astronomia magna*. Cae tamē putes, distinctam atque claram systematis Paracelsici notitiam ex iis hauriri posse, cuncta enim inextricabili obscuritate laborant, et ita male cohaerent, ut Aethiopem lauare censendus sit, qui systema aliquod philosophicum apte connexum ex illis libris eruere conatus fuerit. Maxime vero contaminant eos contradictiones, quibus, quae alibi dicta sunt, euertuntur. Nullo vero in argomento Cimmeriis sua philosophemata tenebris magis texit, quam vbi de spiritibus agit. Tot enim ignota nomina, classes, naturas, ordines fingit, ut clare pateat, aut ebrio istas nugas in mentem venisse, aut data opera lectorem istis laruis et lemuribus ludere voluisse. Igitur non expectabit a nobis Lector, ut more nostro ex ipso Theophrasto ideam systematis Paracelsici afferamus; hoc enim nobis quidem, ob dictas caussas impossibile videtur: adeo quoque confuso et inordinato dicendi genere, licet Germanice scriberet, usus est, ut qua ratione accurate eius verba Latinis vocabulis explicanda sint, nec ipsi sciamus, nec ab interpretibus discere potuerimus. Germanica tamē potiora alibi^{r)} dedimus, quae, si tanti videbuntur, consuli possunt. Relicta vero discipulis et sectatoribus eius gloria est, ut systema eius emendant, et ut viri docti erant, apte connecterent. Vnde eorum potius filum sequentes, qualis philosophiae Paracelsicae facies sit, infra exponemus.

*Discipuli et
sectatores
Paracelsi.*

§. XII. Plurimorum discipulorum cateruam post se reliquit Paracelsus; ex quo enim ille ignis opera rerum naturalium adytā reclusisse visus est, plerique, qui steriles Aristotelicorum, vbique tum dominantium, campos reliquerunt, ad hoc philosophiae genus discesserunt. Quae caussa fuit cel. M O S H E M I O^{r)}, vt omnem philosophorum nationem recentiorem in Peripateticos et Chemicos distingueret. Qui licet Robertum Fluddum his potissimum ducem se praebuisse statuit, patet tamen ex fortuna scholae Paracelsicae, seculo iam XVI plurimos philosophos fuisse, qui hanc viam ingrederentur. Multa ad hanc factionem augendam confirmandamque, non obstante graui; qua premebatur, inuidia concurrisse, fatendum est. Nempe noua, insolita, stupenda ostenderat Paracelsus, et vix oculis suis fidem habebant viri docti, cum viderent ignis beneficio ea recludi, quae tot secula ignorauissent. Praeterea magna, quam Theophrastus consecutus erat, nominis gloria multos in admirationem rapuerat, et illustria, quae medendo edidisse dicebatur, miracula ita animos fascinauerant, ut vehementer cuperent arcanas eorum caussas cognoscere. Ipsa quoque aemulantium aduersariorum inuidia et calumnia apud multos effecit, ut illud philosophiae genus explorarent, quod tantos in animis fluctus

q) In Germanico hist. phil. opere T. VI. p. 1118.
feqq. excerpta ex Philosophia ad Athenienses
T. VIII. Opp. p. 1.

r) Hist. Christian. recent. Sec. XVII. c. I. §. 27.

p. 396. Hoc tamen certo tantum sensu valet. Patet enim ex haec tenus dictis, ad alia quoque philosophandi genera aliquos deflexisse.

fluctus commouisset. Inde factum, ut viuo adhuc Paracelso multi discipuli adhaerent, quae tamen schola non semper magistro suo laeta fuit eiusque partes commendauit. Cum enim obscura satis et difficilis Paracelsi disciplina esset, haut pauci, qui ab eius ore pendebat, eius mentem nec assequi satis, nec iusta notione exprimere poterant, id quod Pseudo-Paracelsistas genuit, quos sibi ignominiae et dedecori esse ipse Theophrastus conquestus est^{s)}. Non nulli per tempus aliquod satis studiose eum sectati sunt, blanditiisque eius sibi benevolentiam conciliarunt: cum autem multa essent expiscati, eum deseruerunt, et arcanorum Paracelsicorum notitiam iactantes in aegrorum non crumenas modo, sed et corpora inuolarunt: qui cum magnam stragem ederent, eo quod medicaminum chemicorum vim, et vsum cautum non satis intellexissent, ipsam Paracelsi famam calumniis onerarunt. Quae res dici non potest, quantam molestiam et aegritudinem Paracelso concitauerit, qui ideo multis verbis, ut ab iis homines sibi cauerent, monuit. Sribit inter alia^{t)}: *Cauendos esse discipulos suos Basileenses, qui licet omni blanditiarum genere ipsi placere studuerint, impostores sint, a quorum venenatis consiliis sibi sit cauendum. Non enim expectauisse, donec rite praeparati instructique dimitterentur, sed furis instar dilapsos ante tempus esse.* Alio quoque loco contestatur^{u)}: „Omnis generis homines, empiricos, chirurgos, balneatores, „alchemistas ad ipsum concurrisse, ea promittentes, quae non potuerint „non sibi esse gratissima, et doctrinam maximam promiserint: at ne vnum „quidem, licet probissimum, ultra trimestre perficitse, sed exploratis arcans „suis, abiisse, et aegros ab eo auocando sibi conciliaffe: multo vero minus „rem cum doctoribus in disciplinam admissis successisse: ne vnum quidem „fidum se collegam habuisse, qui non et ipsum et aegros decepisset, eo quod „totam disciplinam non hauserint, sed immaturam deseruerint. Cauendos „ergo esse eos, inculcabat, qui se esse discipulos suos dicerent.“ Mirandum itaque haud est, quod alibi narrat, ex Hungaria duos tantum ex Polonia tres, ex Saxonia duos, ex Sclauonia vnum, ex Belgio vnum tantum in magno ceterorum, qui aduolauerint numero veros et genuinos disciplinae suae alumnos censendos esse; eo quod omnes placita et methodum eius suis coniecturis infeliciter attemperauerint.

§. XIII. Inter eos vero, qui sinceram Paracelsi doctrinam assecuti esse visi *Io. Oporinus*, sunt, certe magistro se probauerunt, vel disciplinam eius auxerunt, emenderunt, et horridam atque squalenterm elegantiori mundo induxerunt, haud obscura sunt virorum doctorum nomina. Et Ioannem quidem Oporinum, amanuensem eius fuisse, supra iam diximus, eumque inter fidissimos discipulos retulit, atque per biennium vitae fatorumque socium habuit. Et hunc tamen magistri vitam moresque ita depinxisse, ut probari illa nemini posset, ex antecedentibus notum est. Cuius tamen eum poenituisse, dicit, qui Latinam scripto-

s) Valde in hos spurious et adulterinos Theophrastacos insurgit quoque OTTO CROLLIVS Praef. Basilicae chymicae p. 7.

t) T. II. Opp. p. 168.
u) p. 311.

Scripforum Theophrasti versionem edidit **BITI S C V S**^x, quod eius fidei relinquimus. Primus autem, qui Paracelsicam philosophiam et medicinam in *Adamus a Bodenstein* cathedra academica tradidit **A D A M V S A B O D E N S T E I N** fuit, quem et parens Andreas Bodenstein Caroloftadius in annalibus seculi XVII ecclesiasticis famosissimus, et vita magistri Paracelsi exemplo haud indigna notissimum fecit. Natus anno **cio Io xxvii**^y, admodum adolescens patrem amicit, affinium tamen et cognatorum cura ad literas traductus haud infeliciter arti salutari operam dedit, eo euentu, ut cathedralae Basileensis posset praefici. In qua primus, post praceptorum Paracelsum eius disciplinam et ore et calamo professus est. Cuius exemplo excitatus vitam vagam, et, quod non nulli addunt, intemperantem amplexus, tandem apud Basileenses anno **cio Io lxxvii** aetatis **XLIX** viuere desit, magistro parum annosior, cum pestis eum extinxisset, licet praemunire se theriaca chemice parata posse hominem iactaret. Qui quam scite magistrum retulerit, quosque in eius disciplina mores tenuerit, omnium optime ex epitaphio intelligi potest, quod amici illi posuerunt. Quod hoc loco legere, non iniucundum erit Lectori.

HYGIAE AET.
ADAMVS A BODENSTEIN
THEOPHRASTI PARACELSI
VT PRIMVS
SIC FIDVS SCITVSQVE ET
OPERE ET ORE
INTERPRES
PALMAM VICTORIAE SVAE
REGI TRIVMPHANTI
OBLATVRVS
MORTALITATIS EXVVIAS
NEC METVENS, NEC
OPTANS
SOLO HOC COELOQVE LIBERO
HOMO LIBER
FIDE DEPOSVIT BONA
QVAS
SPE BONA OLIM
REPETAT.
AN. SAS. **cio Io lxxvii**.
AETAT. HEBDOMADE
SEPTIMA.

*Nec omnia, nec omnes mihi
Placuere: quinam ego omnibus?
Non omnibus. Caus senex
Non eremita Spagirus.
Num tu viator omnibus.
Deo placere cura. Abi.*

Ceterum

x) Conf. TEISSIER Elog. T. III. p. 140.

l.c. p. 135. F. REIMER Theatr. p. 1273. MERCKLIN.

y) Debemus haec MELCH. ADAMO in Vitis
medic, p. 321. Conf. THYANVS et TEISSIER.

Lind, renou. p. 7.
z) Id est Theophrastus, spagirica arte famigeratissimus.

Ceterum de Paracelso hoc quoque nomine meruit, quod libros eius Germanice, & Latine versos in publicum edidit, et praefationibus commendauit. Ipse pro alchymia in *Epistola ad Fuggeros* acriter dimicauit, eamque artem verissimam esse, lapidem quem vere inuentum, demonstrare conatus est. Eruit quoque ex tenebris ARNOLDI DE VILLA NOVA *Rosarium chymicum*, idque *Isagoge paraphrastica* illustravit, ut taceamus alia ab eo edita, enumerata ab ABR. MERCKLINO ^x. In Gallia Paracelsicam disciplinam primus, teste NAVDAEO, disseminauit IACO-
BVS GOHORY, professor mathematum regius, in academia Parisiensi-
si, dictus Solitarius, et, quo nomine interdum latuit, Leo Suauius. Cu-
ius Paracelsicae eruditionis specimina hodie legimus, librum *de Vsu et*
mysteriis notarum et Cominentarium in librum IV. PARACELSI de vita
longa. Obiit cl^o I^o LXXVI. Is in primis eo nomine notandus est ^y,
quod totam magiam ad chemiam retulit ratus spirituum nomina et com-
mercia parabolice esse intelligenda. Post hos principes magna subito ca-
terua Paracelsorum exorta est, quorum historiam hoc loco enarrare, insti-
tutum vetat, et in speciali chemicae historia faciendum est. Plerosque quos
aut nominis fama, aut artis chemicae peritia, aut medendi felicitas extulit,
VLRICVS BOLLINGERVS in *Elegia de vera antiqua philosophica me-*
dicina ad Oswaldum Crollium ^z enumerauit, quae elegia ad illustrandam
historiam scholae Paracelsicae, digna esset, quae hic tota legeretur (rarius
enim liber occurrit ^a, cui adiecta est) nisi paginarum id nostrarum angu-
stia vetaret. Nam & summam Paracelsicae philosophiae eleganter enarrat,
et quos in arte chemica excelluisse nouerat, enumerat. Inter quos

Primus diuinus Paracelsus in arte monarcha est,
Secula cui similem nulla tulere virum.

huic socios et sectatores iungit Korndoferum, Phaedronem, Laideccerum,
Montanum, Winzium, Mollerum, Bergerum, Vigelium, Muffetum,
Ioannem Dee, Tornerum, Ioannem Portam, Scerbetium, Cragium, Gra-
manum, Arragosium, Platerum, Zwingerum, Gesnerum, Siderocratem,
Perietum, Petrum Seuerinum Huserum, Linccium, Dornaeum, Baldui-
num, Hartmannum, Mosanum, Bodensteinum, Andernacum, Dario-
num, Hornerum, Hillerum, Cretschmerum, Hefsum, Maium, Rulan-
dum, Toxitem, Suchtenium, Crollium. De quibus tamen omnibus
historiae literariae medicinae scriptores, et de scriptis eorum MERCKLI-
NVS, consulendi sunt. Nos ex illis celeberrimos modo nonnullos felig-
imus, ut quales isti sectatores Paracelsi fuerint, intelligatur.

XIV. Inter celeberrimos Paracelsicae doctrinae interpretes G E R A R-
DVS DORNEVS numerandus est: longus enim scriptorum index est,
quem

x) Lindenio renou, loc. cit.
y) NAVDAEV^s Apologia magiae accusat. p.
m. 259.

z) Suffixa est Tra&t. de Signaturis rerum,
a) Vid. Obs. Hal. Lat. T. VI. p. 188.

quem dedit ABR. MERCKLINVS^b, quibus Paracelsicam medendi methodum, & imprimis processus chemicos explicuit. Neque tamen medicina & chemia Paracelsica contentus, ad philosophiam quoque Theophrasti commentariis suis illustrandam se conuertit. Edidit enim *Compendium astronomiae magnae Theophrasti Paracelsi, de naturalium et supernaturalium arcanorum, mysteriorum, Dei quoque magnalium ad artes et scientias adeptas consequendum optima consideratione, itemque de luce naturae physica ex Genesi desumpta, iuxta sententiam Theophrasti Paracelsi*, porro commentarios tres de summis naturae mysteriis, nempe de spiritibus planetarum, de occulta philosophia, et de medicina coelesti, sive de signis zodiaci et mysteriis illorum. *Dictionario quoque Theophrasti edito, quo obscuriorum vocabulorum, quibus in suis scriptis passim utitur definitiones traduntur*^c, praecclare de magistro suo meruit. Sed et inter polemicos Paracelsi sectatores pertinet. Thomam Eraustum enim, quem Theophrastum mire conuiciis proscidisse, supra diximus, reprehendit, edita *Admonitione modesta ad Thomam Eraustum, Germanum etiam philosophum ac medicum, de retractandis calumniis et conuiciis in Paracelsum ac suos perperam ac immerito datis in lucem per quatuor tomos de noua medicina*. Quin et contra Gohoryum in arenam descendit, qui Paracelsistas Germanos redarguere et emendare conatus erat, edita *apologetica retorsione veneni, quod Leo, nescio quis, Suauius in Theophrasticos euomere conatur, in proprium pectus eius, quae Gohorii Compendio medicinae utriusque Theophrasti Paracelsi adiecta est*. Ex quo intelligimus, scholam Paracelsi in partes mature scissam inter se fuisse satis acerbe di- gladiatam. Dornaeo MICHAELI TOXITEN iungimus, praeclarum in coelo Paracelsico fidus^d. Qui ex Rhaetis Storzingae oriundus Dillingae in familia Ioannis a Stadion, praefecti urbis, haesit, a quo et Christophoro Stadione, antistite Augustano, et post hunc a cardinale Ottone, qui infulam quoque Augustanam gestauit, liberaliter adiutus est, vt metu studiorum arti salutari dicatorum feliciter attingere posset. In Italiam profectus, postquam optimarum literarum, maxime medicarum, fundamenta iecisset, redux in patriam a Hagenoensi ciuitate poliater constitutus est, creatus post ista a Carolo V comes palatinus caesareus. Tanta vero felicitate in facienda medicina usus est, vt a desperatis morbis quales sunt epilepsia atque calculus, haud paucos liberaret. Adhaesit et is Paracelso, ea tamen moderatione, vt neque in Galenum, neque in eius sectatores inueheretur, sed consilia aperiret sua, qua ratione citra veritatis praeiudicium inter utramque sectam concordia iniri posset et tolli dissidium. Meruit is de Paracelsica disciplina praeter alia, *Onomastico Theophrasti Paracelsi*, hoc est, earum vocum, quarum in scriptis eius solet esse usus, explicatione. *Stibium quoque eiusque praeparationes chemicas*

b) loc. cit. p. 356. conf. Cat. Bibl. Bodlei. p. 213.
c) Francof. 1588.

d) M. ABAM, Vit. medic. p. 195.

micas contra adspergines Lucae Stenglini^e vindicauit. His suo merito subiungimus OSWALDVM CROLLIVM virum doctissimum, et cui plurimum debet schola Paracelsica, quippe qui confusam ante et fluctuantem disciplinam in certum sistema coëgit, et imprimis inuentiones chemicas mira luce perfudit. Is auctore VLRCO BOLLINGERO^f, qui *Encomium Wetterae Athenarum Hassiae* scripsit, virosque eruditos Veteranos eleganti carmine laudauit, post absolutum studiorum academicorum cursum, per Italiam, et Galliam, Germaniam, Hungariam, Polonię, Bohemiam & integro septennio iter literarium fecit, virosque medicae artis excellentissimos adiit, naturam rerum vbique explorauit. Redux Papenheimio comiti vitae morumque magister datus, hincque a Christiano Anhaltinorum principe in aulam ad tuendam valetudinem vocatus est. Meruit is praecclare de philosophia et medicina Paracelsica, *edita Basilica chymica continente philosophicam propria laborum experientia confirmatam descriptionem et usum remediorum chymicorum selectissimorum, e lumine gratiae et naturae desumptorum*; cui in fine additus est *tractatus nouus de signaturis rerum internis*. Quem librum post iteratas aliquot editiones^g pluribus selectis et secretissimis propria manuali experientia approbatis descriptionibus et usu remediorum auxit IOANNES HARTMANNVSⁱ. Bonae frugis plenus liber recte viris doctis usus est, non modo ob artis chemicae, quae in ea satis luculenter explicatur, peritiam, sed et ob praefationem admonitoriam ad lectorem candidum, in qua iuxta medicinae chymicae comprobatam praestantiam, et hominis microcosmi excellentem dignitatem a paucissimis obseruatam de utriusque philosophiae gratiae scilicet et naturae mysteriis profundissimis ac reconditissimis agitur. Quamquam enim vix sanioris philosophiae perito illa se philosophia probabit, quam in hac tractatione Crollius statuminat; laudandus tamen magnopere est, quod confusa Paracelsi et sequacium φιλοσοφία in ordinem redegit, obscura illustravit, et concinna luculentaque explicatione proposuit. Quare, qui methodo philosophica Paracelsicam philosophiam descriptam cupiunt, ex his fontibus omnino fitim suam restinguere possunt. Crollio ex academia Lipsiensi iungimus HENRICVM KVNRATH, in ea professorem medicinae publicum, *Henricus Kunrath.* qui ineunte seculo XVII floruit, et a G. ARNOLDO^k inter celeberrimos Theosophicos numeratus est. Edidit is librum vernacula conscriptum: *Vom hylealischen, das ist primaterialischen catholischen oder allgemeinen chaos der naturgemassen Alchimiae und Alchimisten wiederholte, vermehrte und verneuerte naturgemasse alchimisch und rechtlebrende philosophische Confession*^l: itemque *Amphitheatrum sapientiae aeternae* solius

Qqq q 2

solius

e) Vid. Historia nostra ad Occonum, diss. prae-
lim. §. 12. p. 22.

f) loc. cit.

g) Vid. Praef. Bas. chymicae.

h) Prima satis luculento charactere prodit
Francof. 1606. 4. qua nos utimur.

i) Vid. MERCKLIN. l.c. p. 859.

k) Hist. eccl. et haer. Vol. II. p. II, seqq.

l) Magdeb. 1598.

Oswaldus
Crollius.

I. Fr. Burrhus. *solius verae Christiano-Cabbalisticum, nec non physico-chymicum, tres-triunum catholicum*^m, ex cuius vtriusque libri titulo satis superque lector intelliget, cur in hac classe Auctor reponendus sit. Addi his posset, si Alchemistarum historiam scriberemus, IOSEPHVS FRANCISCVS BVRRHVS, non in annalibus modo medicae artis literariis, sed in ecclesiasticis quoque notissimus, de cuius vitae historia post *relationem fidei actionum, et vitae Burrianae*ⁿ, aliaque, quae res eius ex instituto delinearunt scripta^o, videndus P. BAYLE^p, quocum conferendum, qui paulo mitius de eo iudicavit G. ARNOLDVS^q: vt alios taceamus, qui res eius tetigerunt, quos nominat, et multa ad eius historiam facientia doctissime cumulat Cl. SCHELHORNIUS^r. Verum cum haec nimis prolixa sint, et ab instituto nostro longius abeant, iis non immoratur. Id modo monemus, in doctrina de spiritibus deque metallorum transmutatione, vt in vita vaga et circulatoria aliquae circumstantiis Burruum Paracelsianum haud raro ingenium retulisse. Qua de re videfis, qui placita eius nonnulla tetigit D A N. GEORG. MORHOIVM^s.

Delineatio philosophiae Paracelsicae.

§. XV. Postulant ordo et leges tractationis, vt his systematis Paracelsici delineationem adiiciamus. Verum candide fatemur, nobis hunc laborem videri impossibilem. Quemadmodum enim ipse Theophrastus sibi ipsi non semper constitit, et haud raro vno in loco afferuit, quod in alio iterum euerit, ita tantopere obscurissimarum vocum, cerebrinorum principiorum, et nugarum similium cumulis sua repleuit, vt satis appareat, ipsum nesciuisse, quid de omnibus statuendum sit, et claras distinctasque notiones suae philosophiae non habuisse. Quod quibus durius pronuntiatum esse de tanto viro videbitur, eos rogamus, vt vel vnum dogma de mysterio magno, omnibus mysteriis μυστηλέω considerent, quod in *Philosophia ad Atheniensis* proponit, et claris nobis verbis atque notionibus enuntient, quid sit illud mysterium, quod nec comprehendendi potest, nec figuram, formam, colorem habuit, quod increatum est, et a summo artifice praeparatum, cui nec simile quicquam est, vel erit, quod mater quidem est, creaturarum omnium sensituarum & insensituarum, quod tamen vegetabilia et animalia in se omnia formata non habuit, ita vt singulis essentiis sua mysteria sint ad formam suam inclinantia: et tamen res omnes materiales ex hoc mysterio increato ortae sint, quia a conditore in hoc increato res omnes creatae sint, non formaliter, essentialiter, vel secundum qualitates, sed velut imago quaedam ligno impressa: ex cuius mysterii magni separatione deinde formae ortae sint innumerae, quibus res quaelibet in peculiarem suam substantiam recesserit, et ita substantialis materia apparuerit; vt compacta sint omnia, quae compingi potuerunt, reliqua autem vacua manserint. Nempe accidente magy, id est, separationis

^m) Hanou. 1609. 1654. Cedro dignum opus audit CROLLIO l. c. p. 33.

ⁿ) 1670.

^o) La chiave del cabinetto, de cavaliere Giuseppe Francesco Borri, Milanese Col. 1681. 12. Act.

erudit. 1682. p. 40. Item, *Vita de cav. Borri*, aliaque,

p) Dipt. T. I. art. Borri p. 615.

q) l. c. p. 185, seq.

r) Amoenit. lit. T. V. p. 141.

s) Polyhist. lit. T. II. p. 39.

rationis principio, cuius beneficio rebus omnibus accessit particula aeternitatis, ut destrui non possit, vsque ad consummationem seculi: quibus verbis rerum omnium materialium principia et origines describit Theophrastus. Quanquam enim non sine veri similitudine coniici possit, Paracelsum aliquid de materia prima Peripateticorum audiuisse, indeque hoc principium magnum, ex quⁱ sunt omnia, sibi confinxisse, patet tamen ex proprietatis et attributis quae illi inesse dicit, ita materiam primam ab eo afferi, ut constare sibi mirum ne possit: quo pertinet, quod formas cum materia commiscendo materiae vniuersali, materias separatas singularum substantiarum opponit, quod formas et rationes seminales inter se confundit, et soli separationi formarum inductionem tribuit. Ipse autem cum fateatur, ignorare se, quid sit magy, id est principium separatiuum, nec posse se dicere, qua ratione rerum formae coaluerint, factis prodidit, confusissimas horum omnium notiones se in cerebro confinxisse. Sed ponamus, habuisse Theophrastum in animo distinctum accuratumque doctrinae suae systema, et cuncta iusto ordine comprehendisse, fabebuntur tamen ipsi eius discipuli, tam obscura aenigmata eum exposuisse, ut Oedipo in iis soluendis opus sit. Inde factum ut in diuersa abiret schola Paracelsica, et quilibet, ut erat ingenio promptior, et imaginatione foecundior, propria sibi principia, et quod illis inaedificauit, aedificium construeret. Quae omnia in concordiam redigere, effet laterem lauare, et dealbare Aethiopem. Non negamus quidem esse nonnulla dogmata, huic scholae propria et quasi characteristica, in quibus plerique consenserunt, qui Paracelsicam philosophiam professi sunt, qualia sunt: esse mundorum trium, coelestis, sublunar, et humani miram inter se concordiam, eamque confensionem certis signaturis posse detegi; ad tria principia chemica, ignis virtute resoluenda, sal, sulphur et Mercurium omnia reduci, inesse ex regno siue mundo astrali quendam rebus omnibus spiritum mundanum vniuersalem, regendae naturae destinatum, quem nonnulli archaeum vocant: omnibus elementis, et imprimis aeri sua inesse principia viua, spiritualia; sed bruta, quae ad recludenda naturae mysteria possunt suo modo adhiberi, et quae sunt similia. Ast haec intellectino sensu luminisque diuini illapsu, et imaginationis diuinitus excitatae et illuminatae ministerio dum se cognoscere putarunt, in diuissimas opiniones descenderunt, quas qui in concordiam redigere conantur, gryphes iungit equis. Attamen fuerunt ex hac schola nonnulli viri docti, qui cum clare et ordinate cogitationes suas delineare didicissent, luculentiore aliquam Paracelsicae doctrinae faciem adumbrare conantur. Inter quos cum OSWALDO CROLLIO merito primus locus debeat, ut supra dictum, ex eius introductione, siue praefatione admonitoria,

Qqq q 3

toria,

^{t)} Conferendum hoc loco MORHOPIVS, Polyhist. T. II. L. II. P. I. c. 16. p. 250. vbi peculiari capite de Paracelso eiusque sectae principiis multa scitu digna pulchre obseruat. Quem tu-

tius legendum commendari posse putamus, quam CONRINGIVM in libro de Paracelsica & Hermetica medicina, fatis impotenter in eam intuentem.

toria, *Basilicae chymicae* praemissa, notatu dignissima huc afferemus, ut habeat Lector, unde sibi huius philosophiae imaginem quandam philosophicam animo concipiat. Cuncta vero, nisi fallimur, huc redeunt:

I. Vera philosophia et medicina, non ab ethnicis, non a creaturis discitur, sed ex Deo, solo arcanorum conditore discenda est, qui proprietates creato cuique indidit.

II. Nasci ergo debet medicus, e lumine naturae et gratiae ab interno et inuisibili homine, interno angelo, luce naturae, quae instar veri doctoris homines instruit, et exercendo confirmatur et in lucem producitur Dei et naturae institutione.

III. Philosophia haec et medicina fundata est non super figmenta humana, sed supra naturam, quam Deus sanctus suo digito sublunaribus, praecipue metallis perfectis impressit, ideo verum eius fundamentum Deus est.

IV. Haec vero medicina seu mumia naturalis et naturae nucleus in sulphure continetur, totius naturae thesauro, et fundatur in balsamo vegetabilium, cui omnium actionum in natura principium acceptum referendum est; cuius quoque potestate vna omnes omnium morborum curationes possunt absoluiri.

V. Fundamentum huius scientiae est, quantum minor mundus, id est homo, cum maiore et externo conueniat mundo.

VI. Ad hanc itaque medicinam opus est astronomia et philosophia; haec enim docet vires et proprietates aquae et terrae, illa firmamenti et aëris.

VII. Philosophia et astronomia faciunt internum et perfectum philosophum non solum in macrocosmo, verum etiam in microcosmo.

VIII. Necesse igitur macrocosmi tanquam parentis dispositionem microcosmo filio, scilicet homini, accommodare.

IX. Exterior mundus est speculum in quo minor mundus, id est, homo videtur. Conueniunt autem non forma externa, aut corporali substantia, sed in omnibus viribus et virtutibus. Sunt enim vnum et idem in essentia et interna forma, forma saltem externa differunt.

X. Naturae lumen nihil aliud est, quam illius mundi visibilis cum corpore microcosmico diuina quaedam analogia.

XI. Externus mundus est figura hominis, et homo est mundus absconditus, quia visibilia in eo sunt inuisibilia, et ubi sunt visibilia, tunc morbi sunt, non sanitates.

XII. Quia hominis materia est extractum quatuor elementorum, oportet, ut in se habeat familiaritatem cum omnibus elementis et suis fructibus: imo absque illis vivere non potest.

XIII. Deus creauit in omnibus quatuor elementis ad evitandum vacuum creaturas vias, inanimatas, (videlicet sine anima intellectuali) quadruplices.

druplices scilicet elementorum incolas, ab hominibus ad imaginem Dei creatis, intellectu, sapientia, artibus, operationibus et mansionibus discrepantes.

XIV. Aquae sunt nymphae, vndenae, melosynae, et harum monstra, seu spuriae, firenes aquae innatantes.

XV. Terrae sunt gnomi, lemures, sylphes, montani, zonnetti, quorum monstra sunt pygmaei.

XVI. Aëris, seu nostri mundi aërei sunt umbratiles, sylvestres, satyri, horum monstra sunt gigantes.

XVII. Ignis seu firmamenti sunt vulcanales, pennates, salamandrae, superi, quorum monstra sunt Zundel.

XVIII. Similiter cor macrocosmicum quadruplex est, igneum, aëreum, aqueum, terreum.

XIX. Coelestis astronomia inferioris est quasi parens et magistra, quandoquidem utrisque est suum coelum, suis sol, sua luna, sui alii planetae et luae stellae, ita tamen, ut astrologia rerum superiorum, chymiologia rerum inferiorum curam habeat.

XX. Prudentia et bonitate creatoris factum est, ut inuisibilia reliquorum elementorum astra in supremo elemento visibili specie representarentur, motuumque leges et temporum praedestinationesclare explicarent.

XXI. Coelum duplex est, externum, ut omnia corpora in coelo firmamenti, et internum, quod est astrum seu corpus inuisibile ac insensibile in omnibus coeli stellis. Istud corpus est spiritus mundi seu naturae, Paracelso dictus Hylech, diffusus in omnia astra, seu potius est ipse omnia astra.

XXII. Quemadmodum omnia ab intra scaturiunt, et procedunt ab inuisibilibus et occultis, sic etiam visibles corporales substantiae veniunt ex incorporalibus, spiritualibus, ex astris, et sunt corpora astrorum, et manent in astris, unum in alio.

XXIII. Hinc sequitur, quod non solum omnia viventia sed etiam omnia crescentia, et quaecunque in vniuersa rerum natura existunt, spiritu fidere sunt praedita, qui vocatur, coelum seu astrum, faber occultus, a quo omnis rerum procedit formatio, figura et color. Is ens feminis et virtutis Paracelso dicitur.

XXIV. Id autem non est intelligendum de corpore visibili vel inuisibili astrorum in firmamento, sed de cuiuslibet rei proprio astro. Hoc solum in eam influit, non vero illa.

XXV. Astra itaque externa nec inclinant, nec necessitant hominem, sed homo potius astra inclinat, et sua magica imaginatione inficit. Vtriusque coeli cursus liber est, nec ab altero regitur.

XXVI. Nihilominus fructus astrorum, seu seminum coelestium, aëreorum, terrestrium, aquae, in unam rem publicam conspirant, eiusdem anatomiae

tomiae ciues: quare societate et actionum grata vicissitudine se inuicem mutuo fouent: hic est annulus Platonis et catena homerica, nempe series rerum diuinae deseruiens prouidentiae, rerum gradaria et concatena sympathia.

XXVII. Tria sunt rerum omnium principia, quae in omni composito inueniuntur, nempe, Mercurius seu liquor, sulphur, seu oleum, et sal.

XXVIII. Sancta triunitas, per suum triunum prolatum verbum, fiat, omnia creauit triuna, analysi spagyrica teste.

XXIX. Deus per verbum fiat produxit materiam primam, quae ratione trium principiorum contentorum primo triplex est, et post hae tres species separatae sunt in quatuor diuersa corpora, seu elementa.

XXX. Vera elementa spiritualia custodes sunt, nutrices, loca, minerae, matrices, et receptacula totius creaturae, immo essentia, existentia, vita et actio entium vniuersorum.

XXXI. Distributa sunt in globos duos superiorem, ignem seu firmamentum et aërem, albumini et testae oui comparandum: inferiorem, aquam et terram vitellooui similem.

XXXII. In his quatuor naturis incorporeis, inanibus, vacuis, lucem et seminales rerum omnium rationes benedictione diuina semel impletas nec in aeternum defecturas, imposuit creator virtute verbi explicantis unitam multitudinem, et spiritus ille, qui super aquas ferebatur, principia corporum adiungens, quibus ceu vestimentis et domiciliis induerentur, in mundanam hanc scenam progressura.

XXXIII. In elementorum thesauris, tanquam in abyssu delitescunt semina et astra rerum vincula, ab initio creationis collocata visibilia inuisibilis, summa infimis coniungentia, et destinatis temporibus progredientia, quorum beneficio elementa conspirant, ac totius naturae sympathia custoditur, illorumque ministerio mundana prouincia administratur, et noua suffectione aeternitatem aemulantur.

XXXIV. Semina et principia rerum generationis et multiplicationis vim acceperunt a verbo.

XXXV. Nec semina ab elementis, nec corporum principia ab illis naturae legibus separari possunt.

XXXVI. Minima quaque semina mundanam oeconomiam aemulantur, et adumbratam elementorum ac principiorum analogiam ostendunt, atque hoc pacto rebus omnibus elementa insunt, eaque miscentur atque conseruantur beneficio balsami et radicalis tincturae.

XXXVII. Ex elementis formatae sunt omnes creaturae; aëri attribuuntur animantia, terrae vegetabilia, aquae mineralia: ignis vnicuique dat vitam.

XXXVIII. Corpus elementorum est res mortua et tenebricosa; spiritus est vita, et diuisus est in astra, quae suas crescentias et fructus de sedant: et vt anima suum corpus a se separat, et in illo habitat, ita etiam haec

haec elementa spiritualia in separatione rerum omnium excreuerunt a se corpora visibilia per separationem.

XXXIX. Ita ex corpore igneo emicuerunt astra visibilia, ex corpore aquae crescunt metalla, salia mineralia; ex corpore terrae crescunt arbores et herbae.

XL. Terra est duplex, externa visibilis, quae est corpus elementi, et est sulphur, mercurius salis; interna inuisibilis, quae est elementum, estque vita et spiritus, in quo astra terrae iacent, quae per corpus terrae producunt omnia crescentia: ideo terra in se continet omnium rerum feminina seminalesque virtutes.

XLI. Similiter de reliquis elementis pronunciandum est, quae vel corpus sunt, tribus ipsis principiis constans, vel elementum, vita et spiritus in qua astra continentur, quae instar matris e sua abyso proferunt fructus elementorum.

XLII. Ignis noster non est elementum, cum instar mortis omnia consumat; sed quartum et primum elementum reliqua omnia in se continens, quemadmodum testa ouum, est coelum.

XLIII. Nullum elementum altero carere potest, sed semper commixtio elementorum in generatione omnium rerum reperitur.

XLIV. Quatuor dictorum elementorum astra sunt semina in quatuor matribus, semperque duo sunt simul et una, utpote corpus et astrum, visibile et inuisibile, corporale crescit e spirituali, manetque in eo, ac ita propagantur virtutes inuisibles, semina, astra per corporale visibile in multa millena millia.

XLV. Quamprimum ubi semen vel astrum moritur, et putreficit in sua matrice, tunc astrum progreditur in nouum corpus et multiplicat se. Corruptio enim est causa nouae generationis.

XLVI. Hinc ratio patet, cur chymici opus habeant putrefactione et regeneratione, in qua tria prima se cum suis arcana viribus manifestant.

XLVII. In quoconque corpore tria prima per unionem conueniunt, illud sanum iudicari potest, sanitas enim in temperatura consistit: in quo vero non, morbum et mortis primam radicem intrasse statuendum est.

XLVIII. Morbi alii sunt elementares, e semine vel astris producti, alii sunt astrales seu firmamentales, quia oriuntur e firmamento hominis.

XLIX. Homo habet duplē magnetem ratione corporis, partim enim astra ad se trahit, et ex illis cibum exfugit, sapientiam videlicet mundanam, sensus, cogitationes; partim vero sua vi attractiva ab elementis allicit quotidianum nutrimentum carnis et sanguinis sui.

L. Nempe firmamentum est lumen naturae, quod homini naturaliter influit.

LI. Astra seu elementa, quae spiritus sunt, sunt sine qualitate, sed producta ex ipsis sunt qualitate praedita.

LII. Morbi non curantur per contraria, ac si elementa ex homine essent
Hist. philos. Tom. IV. Rrr r expel-

expellenda, verum per arcana vel astra, quae medicus beneficio chymiae ex materia vltima in primam reducere potest: eaque nec calida nec frigida sunt actu.

LIII. In medio nostrorum cordium Dei spiritus habitat.

LIV. Nulla cognitio manebit in anima perpetuo, nisi sola illa, quae in abdito intellectu essentiali cognitione intrinsecus recepta est: ea vero non est, ex carne et sanguine, libris, lectione, ratione, sed in ipsa passione diuinorum, non in discendo, sed in patiendo diuina hominis mens perficitur.

LV. Omnia bona naturalia et supernaturalia antea sunt in homine, verum ut per peccatum obtenebratur in nobis diuinus ille character, sic expurgato et expiato peccato rursus ille magis magisque illucescit.

LVI. Concreata est nobis rerum omnium notio, et in meditullio spiritus latent cuncta, saltem opus est excitatione a stertore peccati.

LVII. Humanus intellectus priusquam corpori iungatur, omnium scientiarum plenus est, qui corpore oppressus latet, sed excitatus splendet.

LVIII. Nobis ipsis probe cognitis secundum spiritum et naturam, tunc ostium cordis pulsanti Deo aperuimus.

LIX. Ex hac sui cognitione oritur immediate Dei cognitio.

LX. Nemo recte cognoscere poterit mundi machinam, nisi doctus a Deo. Hinc ethnicorum scripta de Deo plerumque falsa sunt, quibus philosophia depravata est.

LXI. Omnis ergo vera philosophia e sacris literis fundari debet, et redire in Deum: et ad perfectionem omnium artium requiritur renascentia, et soli Christiani semen ex Deo ad philosophiam beneficio regenerationis habent.

LXII. Qui cognoscit se ipsum, fundamentaliter in se cognoscit omnia, supra se Deum, iuxta se angelos aeuiternos, infra se mundum visibilem et omnes creaturas.

LXIII. Homo mundi copula e limo terrae, seu totius mundi machina visibili e coelo seu coelestibus sphæris et terra compacta, videlicet e subtilissima essentia totius machinae mundi in unum corpus concentrata extractus et formatus est a summo spagyro in formam corporalem.

LXIV. Gerit autem homo ex parte corporis imaginem macrocosmi sensibilis et temporalis; ex parte animae imaginem archetypi: ideo in illum ingrediebantur omnes animalium, vegetabilium et mineralium proprietates, et inspirata insuper anima est.

LXV. Sicut Deus est circulus et centrum omnium a se productorum, a quo omnia manant, quod omnia penetrat, quod complectitur omnia: ita et homo ad creatoris imitationem est centrum et circulus creaturarum omnium, ad quem omnes respiciunt et vires suas in eum effundunt.

LXVI. Igitur homo omnes creaturas continet, et omnia ex summo bono manant.

manantia secum reducit ad fontem aeternitatis, ex quo originaliter singula fluxerunt et emanarunt.

LXVII. Sunt in homine duo spiritus, unus e firmamento, fidereus, alius venit e spiraculo vitae, et ore altissimi est anima intellectualis a Deo inspirata.

LXVIII. Habet itaque homo tres partes, corpus mortale cum fidereo spiritu, et animam aeternam quae est domicilium imaginis Dei vel spiritus sancti in homine.

LXIX. Homo habet duplē patrem, aeternum, et mortalem, ille spiritus Dei est, hic mundus totus cum creaturis omnibus.

LXX. In homine non est membrum, quod non respondeat alicui elemento, alicui planetae, alicui intelligentiae, et alicui mensurae ac numerationi in archetypo.

LXXI. Corpus visibile animae indumentum ac domicilium homo ab elementis habet, corpus inuisibile seu animae currum et vehiculum, quo anima intellectualis cum corpore velut vinculo connectitur, fidereum, aethereum et astrale a coelo seu firmamento possidet.

LXXII. Per hoc aethereum corpusculum anima intellectualis iussu Dei executione intelligentiarum in punctum cordis medium primum infunditur, exinde per vniuersas sui corporis partes membraque diffunditur.

LXXIII. Quia hoc corpus aethereum a coelo participat, eundem etiam cursum tenet cum cursu firmamenti, cuius vires vi quadam magnetica attrahit. Hinc sidera cum suis proprietatibus hominem penetrant, et ex siderali spiritu possumus omnia naturalia discere.

LXXIV. Ut itaque Deus triunus est, ita et homo unus in persona, trinus in essentia distincta, anima a Deo inspirata, spiritu aethereo et corpore.

LXXV. Tres quoque in homine mundi seu coeli reperiuntur, et a tribus mundis geritur, vel potius omnis mundi exploratissimum exemplar est.

LXXVI. Porro cum triplici mundo homo ob eam causam communicat, cum archetypo seu deali, intelligibili seu angelico, sensibili seu elementalii.

LXXVII. Per communicationem cum Deo seu mente diuina anima intellectualis diuinæ animae quedam particula est, qua Deus mentis suae semina in nobis expressit; hinc nihil est in homine, in quo non fulgeat aliquid diuinitatis.

LXXVIII. Cum angelis homo symbolum habet ratione corporis inuisibilis et animae rationalis, cuius beneficio operatur et conuersatur cum ipsis.

LXXIX. Cum elementis communicat homo, quia accepit corpus physicum terrestre, mortale, ideoque etiam imaginatio spirituum elementarium sunt in homine, sed a ratione hominis velut catena ligantur, ut cum sua

sua imaginatione quiescant. Et ob eam quoque caussam, naturam animantium vegetabilium, mineralium omnium in se continet.

LXXX. Sidereum corpus est hominis genius, lar domesticus, daemon bonus, internus Paracelsi Adech, Euestrum praesagiens et propheticum.

LXXXI. Ut omne astrum, siue corpus insensibile, vel spiritus viuus licet ratione carens imaginando et formando operatur, ita et in homine.

LXXXII. Hinc imaginatio licet incorporea ac inuisibilis exaltata tamen et firmissimae fidel naturali seu ingenitae coniuncta fons est et initium omnium magicarum operationum, et absque astralis spiritus detimento potestatem habet gignendi et producendi corpora visibilia, et operationes quascunque mirabiles praefens, absens, supra humanae rationis captum proferre potest. Et hinc tota magia naturalis oritur, quae tamen artis adiumentum habet, et omnia inuisibiliter facere potest, quae natura facit visibiliter.

LXXXIII. Cum homo sit maioris mundi quintum esse, sequitur etiam, hominem non solum imitari posse coelum, sed illud quoque regere suo nutu atque eidem dominari, si vult. Omnes enim res habent de necessitate motum et efficaciam ad id, quod desiderat anima, magno excessu, attracta virtute ab ipso archetypo nostrorum operum, ad quem cum ascendimus, necesse est, creaturam nobis obedire totumque nos sequi coelestium chorum.

LXXXIV. Per fidem naturalem ingenitam, qua ipsis spiritibus parificamur, omnes magicae operationes atque omnia mirabilia efficiuntur, imaginatione accidente; quae in homine operatur instar solis, et omnia attrahit.

LXXXV. Efficax autem non est imaginatio, nisi prius rem conceptam attrahat per vim imaginationis attractiua, ut ex se quasi spiritum natuum imaginationis architectum procreet, postea imaginatio quasi ingrauidata imprimit. Haec estars Gabalistica.

LXXXVI. Quicquid oculis videmus in maiori mundo, hoc idem imaginatio potest producere per veram Gabaliam.

LXXXVII. Haec magiae pars, quae Gabalistica dicitur, tribus columnis nititur, primo, veris precibus, quibus Deus et spiritus creatus vniuntur; secundo fide naturali seu sapientia in creatione omnibus hominibus aequaliter ingenita, et imaginatione fortiter exaltata, quae corpus quoque alienum transmutare potest^{u)}.

LXXXVIII. Qui vero imaginatione tristi et diffidentia occupantur causam praebent, ut a spiritu immundo tententur vel prorsus regantur.

LXXXIX. Mens purificata precibus et fide fulminis instar penetralia rerum attingit, superatis vmbbris.

XC. Vera

^{u)} Lepidam in has nugas Paracelsicas satyram scripsit VILLARSIVS abbas im Comite Gabalis, de cuius libri historia vid, M A R V I L L E Me-

Iange de literat. T. I. p. 336. ed. recentiss. ex quo emendari potest MORHOIVS l. c. ne titulum quidem libri recte afferens.

XC. Vera et specifica medicina morborum materialium est virtus in ipsis seminibus delitescens, cuique rei crescenti in creatione insita, vi verbi; adeoque nec a stellis est, nec ab atomorum congressu, nec a mixtione corporum et forma.

XCI. Tota natura inferior in tres diuiditur partes principales, vegetabilem, mineralem et animalem, in quouis regno inexhausta remediorum superelix est.

Haec ex multis, quae mira breuitate cumulat Crolius, σύνοψις platorum Paracelsicorum, pro nostro instituto sufficiet, noscere cupientibus, quid in obscurissimis Paracelsi aenigmatibus lateat. Adplicuit haec omnia ad artem salutarem Paracelsicam, et qua ratione instituenda sit, et imprimis ignis beneficio paranda docet Crolius. Quae tamen cum sphæram nostram non attingant, non adducimus. Lectoris patientiae taedium ineptis speculationibus non excitatur. Cuncta enim istis principiis Theophrastae inaedicantur, et ad harmoniam macrocosmi et microcosmi reuocantur. Quae omnia tanta magistri admiratione Crolius prosequitur, vt non erubescat afferere, sic scripsisse, vt nobis spem omnem imitationis abstulerit, in theologicis eius scriptis veritatis pietatisque perfectae e libro gratiae et naturae desumptum inuictissimum fundamentum ingrato et indigno mundo frustra manifestare conatum esse, nempe vt mens nostra ad Deum eleuetur, et oculi nostri ad veritatem erigantur acquirendam, ac per regenerationem ad beatitudinis futurae desiderium. Sine philosophia enim summe pium esse adoravero, nec philosophari quem summe posse, nisi pium. Quod vtrum verum sit, Lectori inquirendum explorandumque relinquimus.

§. XVI. Est aliud Paracelsicorum philosophorum genus, hoc loco *Alii Paracel.* non praetermittendum, quod supposita physica philosophiae parte moralis *theolo-* et theosophiam sensu strictissimo restituisse sibi visum est. Potest id quidem in nostra tractatione plane omitti, eo quod eius historia in annalibus ecclesiasticis solet enarrari. Ast cum multa tamen tetigerit, quae mere philosophica sunt, unus itemque alter in scenam producendus est, qui in hoc studio cucurrit, vt ex iis de reliquis iudicium fieri queat. Omnes vero in hac secta nominis celebritate et παρεδόξοις superauere AEGIDIUS GUTHMANNVS et IVLIVS SPERBERVS. *Aegidius* Et illum quidem Suevia nostra genuit^{x)}, ex obscuris autem latebris protraxit liber famosissimus, in quo rerum omnium origines secundum principia Paracelsica explicare constituit. Prodiit liber rarissimus, et vt solet fieri, carissimus^{y)} hoc titulo: *Reuelatio diuinæ maiestatis, qua explicatur, quo paēto in principio omnibus se Deus creaturis suis et verbo*

x) Vid. COLBERG. Platon. Christ. P. I. c. 6. p. 288.

y) Vid. quos laudat Cl. V o g t. Cat. libr. rar. p. 433. seq.

bo et facto manifestauerit, et qua ratione opera sua omnia eorumque virtutem attributa et operationes scripto breui eleganter comprehendet, atque primo homini, ad suam imaginem ab ipso condito, tradiderit, anno clo Io LXXV exaratus Hanouiae clo Io c xix, et abditae arcanae que sapientiae, praefertim, quae ad transmutationem metallorum pertinet, tantos thesauros comprehendere visus est, ut referat E H R E G O T T. D A N. COLBERGIVS^a, ducem quendam Würtenbergicum, aliquot millium numorum impendio sibi hunc librum manu descriptum acquisiuisse, et velut pretiosissimam gazam arcanum custodiuisse. Certe tantae raritatis fuit, ut vel quinquaginta immo centum Ioaichimicorum pretio venderetur, testibus viris rerum literiarum peritisimis STRUVIO^b et REIMMANNO^c. Et tollere quidem hanc raritatis caussam librumque ob eximiae sapientiae opinionem vulgatiorem facere studuit, Henricus Ammersbachius, pastor Halberstadiensis, anno clo CLXXV, qui eodem quo prior editio prodiit, habitu eum recudi fecit. Cum autem omnia exemplaria paucissimis exceptis, quae carcerem euaserant, publica auctoritate supprierentur, raritas libri non imminuta, isque triginta thalerorum pretio venditus est. Nouimus autem ex cel. CHR. THOMASII^d relatione, ministerium Tripolitanum, edito contra illud opus scripto, impetrasse, ut fisco addiceretur; fato tamen incerto tandem factum esse, ut exemplaria haec tenus vinculis detenta libere distraherentur. Valde conspirant Guthmannus et Paracelsus, ut recte obseruatum viris doctis, qui de hoc libro egerunt: nam totus auctoris scopus est, historiam creationis Mosaicam ad Paracelsica mysteria ita applicare, ut theosophiae principia et effectus mirabiles inde cognoscantur. Ait enim in dedicatione: Docere se in eo libro velle veram philosophiam, qua discimus, omnia in uno illo centro, ex quo emanarunt, quaerenda et inuenienda esse; itemque tradere se ea media cupere, quibus non solum specifica medicina, astronomia, signaturae rerum, et his similia, sed et tinctura uniuersalis et dona paeclarata Spiritus Sancti, ad pernoscendas creaturas omnes et imprimis maiestatem Dei, percipi possint.

Iulius Sperberus.

§. XVII. Alter IVLIVS SPERBERVS est, medicinae Doctor et principi Anhaltino a consiliis, vir portentosi ingenii, et praecipue Cabbalae Paracelsicae mirus cultor. Multa is scripsit ad hanc theosophiae partem pertinentia, quae post eius mortem pleraque edita sunt, reconsita a GODOF. ARNOLDO^e: quocum tamen comparandus COL-

BERGIVS

a) Offenbarung göttlicher Maiestät, darinnen angezeigt wird, wie Gott der Herr sich anfänglich allen seinen Geschöpfen mit Worten und Werken geöffnet hat, und wie er alle seine Werke, derselben Art, Kraft, Eigenschaft und Wirkung in kurze Schrift artlich verfasst, und solches alles dem ersten Menschen, den er selbst nach seinem Bilde geschaffen, überreicht. Conf. ARNOLD. Hist. haer. et eccl. P. III, c. i. Vol. II. p. 1. seqq.

a) loc. cit.

b) Introd. in hist. lit. p. 455.

c) Cat. Bibl. theol. p. 682. vbi obseruatur, p. 79. non obscura circulationis sanguinis vellitia compareare, conf. Hist. Lit. Germ. P. III. p. 415.

d) Cautel. circa Praecognita Iuris Eccles. p. 41 seqq.

e) loc. cit. Voll. II. p. 13.

BERGIVS f, qui assertiones eius theologicas recensuit. Vixit is oriente seculo XVII, et enatae paulo post fabulae Rosicrucianorum pars quoque aliqua fuit. Qualis autem mens auctoris de hac diuina philosophia fuit, ex libris eius, oppido raris et paucis obuiis intelligendum est. Aperuit eam in *Ijagoge in veram triunus Dei et naturae cognitionem* g, in „qua totius Cabbalisticae sapientiae fundamentum posuit in filio Dei, sapientia Dei Patris, in quam pater ex se progenerando transtulit non solum omnem suam diuinam naturam, nulla circumscriptione determinatam, sed etiam totius mundi veram et viuam ideam, siue viuens exemplar cum omnibus viribus, virtutibus, proprietatibus et pulchritudinibus, non mundo ac corporali; sed diuino, spirituali ac intellectuali modo ideas vniuersorum ac singulorum angelorum, ideam expansionis, seu firmamenti, ideas vniuersarum stellarum, elementorum, etc. et rerum omnium per circumferentias ac meditullum ad centrum usque in mundo postea producendarum et fiendarum (Sperberi haec verba sunt) ideas omnium hominum. Quem cum archetypum omnium entium statueret, in quo omnium rerum ideae substantiales laterent, ad ideas illas cognoscendas sapientiam humanam traducere constituit. Has ideas esse dicit mentales seu intellectuales ac voluntariae seu liberrimae spontis substancialis, naturam, vitam, motum, ignem, lucem, virtutem, facultatem, potestatem, proprietatem & perfectionem omnium ac singularium rerum in mundo creatarum; inuisibilesque formas essentiales, quae omnibus ac singulis rebus suum dant esse, sine quibus e creaturarum numero eximuntur, ut nihil sint. Praeter hunc autem Filium, Patrem, ait produxisse mediante Spiritu Sancto mundum, secundum ideam in Filio praexistentem, et in hunc finem materiam primordialem, siue chaos tenebrosum condidisse, rudem et indigestam molem. Cum autem essentiales Dei proprietates sint αμέριστοι, ideo contendit Spiritum S. architectum, Filio loquente, i. e. mysteria idearum reuelare volente, formauisse viuas imagines, viua simulacra, et exemplaria archetypi similitudinem referentia, eaque postmodum materiae primordiali impressisse, inque varia genera et species dispergiisse: atque ita chaos mortuum animasse vacuum repleuisse, tenebrosum illuminasse, confusum distinxisse et ordinasse, crudum calore maturauisse. Et hanc idearum processiōnem et impressionem, vocat processionem Spiritus Sancti a Patre & Filio in mundum. Factam autem porro contendit hanc impressionem idearum per lucem, quam igneum flumen ac spirituale typum omnium et singularium idearum in archetypo retrusarum a Spiritu S. formaliter effigiatum et in unum glomeramen coagmentatum nominat, quod ambitu suo per omnem conuexitatem circumfundit. Et ex hac luce ignea, vitam, intellectum, voluntatem, motum, actionem, vegetationem deriuat, eamque animam mundi catholicam, vel naturam vniuersalem appellat,

„et

f) loc. cit. P. I. c. 6. p. 286, c. 2. p. 122.

g) Prodiit diu post mortem auctoris Hamb. 1675. 8.

„et cum fluvio Eden comparat, ex quo quadruplex anima, rationalis, sensitiua, vegetatiua et mineralis emanauerint. Hanc tetractyn Pythagoram esse, inque ea ita temperamenta elementorum apparare putat, vt „prima ignem, altera, ignem et aërem, tertia, ignem, aërem et aquam, „quarta, ignem, aërem, aquam et terram, et hae simul sumtae, denarium constituent. Has animas, in multas scintillas Spiritum S. iuxta ideas Filii et in radios multiplices diuisisse ait, easque per totum chaos disperfisse, et hinc pro diuersitate radiorum et scintillarum, diuersa rerum genera species et indiuidua extitisse.“ Et hoc pacto animae notiones Pythagoricas et Peripateticas, numeri siue motus, naturae, perpetui, et *étreveschias* attemperat. Longum esset totam, quam hoc modo exorsus est auctor fabulam pertexere, ostendereque, qua ratione animarum haec quatuor genera pro sex dierum creatione discriminaret, et singula suis partibus enumeraret. Omnia enim ita cohaerent, vt nihil harum nugarum liceat omittere, si reliqua intelligi debeat, quod patientia Lectoris esset abuti. Sufficit annotasse, facere auctorem angelos et homines ex uno fonte ortos, deriuare, ex influxu astrorum animam sensituum, quae sit fluius firmamentalis, et origo animalis seu carnalis sapientiae ac scientiae, quam in brutis particulariter, in homine vniuersaliter congregatam statuit, et bruta ideo particulariter scire dicit, idque post lapsum hominibus quoque accidisse affirmat. Quartum autem fluuium, siue animam mineralem, dicit esse centrum quatuor animarum, in quo virtutes illarum omnes concurrant, et conglomerentur. Indeque concludit, quicunque centri naturam probe cognitam habet, eum nihil eorum, quae in terra coeloque sunt latere, eo quod circumferentia nihil aliud sit, quam centrum euolutum et in omnes partes expansum. In hoc centro, si hunc audias, latet materia lapidis philosophorum. Eius tres partes essentiales statuit, spiritum siue mercurium, animam siue sulphur, corpus siue fal, illique animam catholicam indit, et huic mysterio alchemiam, magiam et cabbalam inaeditac, eamque aurum philosophorum esse dicit, fixatum, mediante spiritu in terra candida. Ex quo largissima seges enascitur auctori foecundissimae imaginationis, vsum lapidis philosophorum multiplicem in reseveranda natura explicandi, et cabbalam hanc ita illustrandi, vt audacissimis allegoriis verba Mosis obtorto ad scopum suum collo rapiat: et vbiique thefauros, tinturas, naturarum centra et similia vocabula spargit, in quibus omnibus longi esse nolumus. Quia autem scientiam huius mysterii, veram illam Cabbalam esse putat, qua naturae arcana referantur, credit autem, per essentialia Dei nomina, attributa et, quae his innituntur deprecationes et inuocationes flecti certissime Deum posse, ideo *Cabalisticas prerationes*^{h)} edidit, solis Scripturae S. formulis constantes, quorum vsum mirificum se in *Introductorio ad magiam coelestem seu diuinam sapientiam explicaturum* esse indicat, adiectis magicarum benedictionum et

h) Prodiit Magdeburgi 1600. 8.

et maledictionum exemplis miris et efficacissimis. Hac enim arte futura praeuidere, secreta inuestigare, veris diuitiis ditari, aegrotos curare, miracula edere, visiones accipere, immo ad ipsum Deum ascendere, eo vniuersitate, et adeste, eius gaudio frui hominem posse contendit. Similia in *Mysterio magno*ⁱ differit, quae cuncta eo tendunt: Deum esse lucem, inque hoc lucis oceano trinitatem esse, et in luce habitare; ex hac luce progressum esse in mundum Filium Dei velut lucem, et ex huius luce animam protoplasti, quae et ipsa lux sit, et lucis instar propagetur, in morte vero carbonis instar extinguatur etc. Quibus multa theologica prorsus παράδοξα καὶ ἐπερώδοξα addit, quae heic congerere non licet. Quae omnia rerum intelligentem facile conuincunt, ex Alexandrinae et Cabballisticae philosophiae riuiulis nonnulla auctorem hausisse, et cum Paracelsicis, ad effingendum theologiae corpus nouum et theosophicum coniunxisse: eo, nisi nos ratio destituit, effectu, ut febricitantium somnia videatur enarrasse.

§. XVIII. Post Paracelsum magnos motus seculo XVII Theosophiae cuiusdam assertione excitauerunt scripta VALENTINI WEIGELII. *Valentinus Weigelius.* Is ad theologiam quidem emendandam animum applicuit, et supposito latente igniculo sive scintilla diuinae sapientiae in centro hominis, diuina reuelatione excitata et inflammata, doctrinam genuinam restituere conatus est, ita vero ad philosophiam quandam theosophicam respexit, vt licet memoria eius in annalibus ecclesiasticis soleat plerumque haud parce recoli eiusque historia enarrari^k, nobis tamen ob nomen, quod factio- ni cuidam theosophicae dedit, indictus hoc loco non dimittendus fit. Natus est Valentinus Weigelius apud Haynenses, ut ex epitaphio eius constat^l, anno clo 10 xx x, errantque, qui Arterensem faciunt, et hoc fundamento nixi multis fabulis Weigelii historiam corrumptunt. Illi enim Valentini Vigelium, Mansfeldensem, cuius memoria non apud omnes ob vitae singularis circumstantias, bene audit, cum Valentino Weiglio confundunt. Quod quamvis negent, et Arterae in comitatu Mansfeldensi, editum esse contra epitaphii Weigeliani fidem nonnulli^m contendant, indubitatis tamen testimonioⁿ constat, reuera Haynensem fuisse, adeoque a Vigelio esse distinguendum. Is tredecim annos litterarum studiis, more et methodo eo tempore in academiis recepta inuigilauit, et philoso-

i) Amstelod. 1675. 8.

k) Multos hic pertinentes laudant MART. LIPENIUS Bibl. Theolog. P. II. p. 937. PFAFFIVS Hist. Theol. Liter. P. II. p. 363. BUDDEVS Isagog. Hist. Theol. T. II. c. 7. p. 1366. seqq. maxime hic pertinet Chronicum Weigelianum, quod eius res secundum annorum seriem exponit, in Relat. Innoc. 1714. p. 22.

l) Integrum exhibet ARNOLDVS Hist. Eccl. P. II. L. XVII. c. 17. Vol. I. p. 589.

Hist. philos. Tom. IV.

m) His exemplum praeiuit IO. SCHELHAMMERVS ministerii Hanburgici senior, qui secum eo anno 1590. Neoltadii scholam frequensasse scripsit, in Refut. Postillae mylticæ. Pro hac traditione pugnant Auctores Relat. Innoc. l. c.

n) Vid. Summe Reu. ERN. SAL. CYPRIANI Catal. Codd. MSC. Bibl. Goth. p. 112. ZELLNER. Proleg. ad Hist. Enthusiastm §. 19. p. 19. Quorum testimonio conuicti auctores Rel. Innoc. p. 1075. tandem priorem sententiam dimiserunt.

Sss s

philosophiae quoque honores accepit. Tandem anno c^{lo} 1577 Tschopauensi gregi pascendo praefectus, et Chemnicensi simul ephoriae adiunctus est. Nec quoad vixit, aut in doctrina suspectus aut vitae minus Christianae actae vñquam accusatus est, immo subscriptis Formulae Concordiae, siue tum cum ea consenserit, siue peculiares opiniones suas constare, illa salua, posse, sicut pacem et tranquillitatem seruari crediderit ^o. Vnde factum, ut simulatorem eum fuisse quidam illi obiecerint ^p. Illud certum, ad vitae finem, qui Id. Iun. anno c^{lo} 1588 contigit, in munere ecclesiastico mansisse, errareque eos, qui eo exutum ante mortem contendunt. Qui vero viuus tranquille vixerat, sane nemini suspectus erat, post mortem scriptis suis tandem in lucem protractis magnos motus concitauit. Descriperat ea Christophorus Weickartus, cantor Tschopauensis, et post pastoris sui obitum ediderat. In quibus cum a typo doctrinae, in ecclesiis Protestantium sonantis mire deflecteret, dici non potest, quantae inde lites inter theologos enatae sint ^q. Quas tamen hoc loco enarrare, et opiniones eius singulares et paradoxas adducere non licet ^r, sed in recentiori ciuitatis Christianae historia expонendum est. Id tamen narrationis gratia non tacendum, iustum suspicionis locum esse ^s, multa fuisse post Weigelii mortem eius nomini supposita, nec tam mala illum doctrinae ecclesiasticae vulnera inflixisse, qualia scripta eius nomen gerentia faciunt. Hoc vero capite ideo nobis tangentibus est, quia multa a Paracelso hausit, ut ipse non negat ^t, licet a Lautensackio quoque et Schwenckfeldio, famosissimis ista aetate hominibus, nonnulla acceperit. His praceptoribus praeeuntibus nouam theosophiam reiecta naturali rationis cognitione et philosophia commentus est, quae ex interna luminis diuini reuelatione discenda sit, quam diuinam quandam magiam esse contendit. Multum axiomata παραδίζωτα et falsa eleuat et excusat more suo G. ARNOLDVS ^u, ita tamen, ut extra culpam erroris Weigelium ponere totum vix audeat. Nobis opiniones eius ad theologiam spectantes, et toties examini subiectae curae hoc loco non sunt, sed ea tantum asserta notamus, quae ad praesentem tractationem pertinent. Inter ea vero haec eminent: non extrinsecus in hominem descendere scientias artesque, sed earum semina et formas ita in eo latere, ut ab externo principio eas peti neceesse haud sit, exque suo illas fundo homo excitare prouocareque possit. Tres esse partes hominis, corpus constans ex aqua et terra, anima ex igne et aere, spiritum ex astrali

^o) Conf. ARNOLDV. I. c. p. 610.

^p) Rel. Innoe. I. c.

^q) Testes sunt scripta Gerhardi, Himmelii, Hunni, Calouii, aliorumque laudat a Io. OLEARIO in Synoppi Controu. P. V. p. 443. seqq. add. COLBERG. Christianism. Plat. P. I. p. 257. Ven. WALCH. Introd. in Controvers. relig. P. I. p. 633.

^r) Dabunt, quod satis ARNOLDVS et COLBERGIVS II. cc. inter se comparati.

^s) DIECMANN. Praef. ad ARNDIVM de vero Christianismo.

^t) Pottill. P. I. p. 195. P. II. p. 257. 266. Guldner Griff. p. 48. 49. ARNOLD. I. c. p. 592. ideo impenie laudatur CROLLO Praef. Bal. Chym. p. 65.

^u) loc. cit.

astrali principio compositum, ideoque hominem microcosmum elementa macrocosmi, huncque totum in se comprehendere. Subesse cuiuslibet hominis natuitatem certo planetae, et ab eius influxu atque constellatione, vitae eius, temperamenti ac actionum rationes pendere. Cognoscens cum cognito, intelligens cum intelligibili essentialiter vniri: duo contradictoria combinari posse in lumine reuelationis, licet id ratio respuat^z. Maxime vero inuisum eius nomen fuit, quod disciplinas artesque humanae omnes, quae ab interna luminis reuelatione non essent profectae, multis rationibus reiecerit; quod *νύξιον δόγμα*, in *Philosophia mystica*, in *Arcano aureo res omnes sine errore cognoscendi*^x, in *Studio uniuersali*, in *Theologia astrologizata*, aliisque multis, (modo eius foetus genuini sint) disseminauit. Neque id magnopere mirandum est, cum Paracelsica hypothesi infectus, ex interno sapientiae diuinae fonte in hominem ex Deo emanante, omnem veram scientiam oriri, et ipsas essentias cognosci statueret. Id enim sistema emanatiuum, quod veras nobis theosophicae sectae origines pandit, postulat. Quae causa fuit, cur illustris LEIBNITIUS^y, Weiglio, cui magnum ingenium tribuit, aliquid ex Spinozisticis hypothesibus adhaesisse iudicauerit. Quod tamen, si accurate dicendum, falsum est, effluxus enim siue emanatio essentiarum ex Deo a Spinozismo valde differt. Habuit plurimos affectos haec disciplina Weigelii, inter quos Ezechiel Meth, Esaias Stifelius, similesque famosi sunt. Horum vero historia alibi quaerenda est.

§. XIX. Quod Paracelsus in hoc agmine seculo XVI fuit, id fuit seculo XVII ROBERTVS FLVDDVS siue a FLVCTIBVS, armiger et medicinae Doctor apud Britannos, de cuius vitae historia vindendus ANTONIVS WOODIVS^z. Natus est in prouincia Cantii anno c1574, patre Thoma Flundo, rationum magistro, imperante Elisabetha. Anno c1591 in academiam Oxoniensem missus est^a, ad perficiendas seueriores literas, qua in palaestra literaria et sacram doctrinam didicit, et philosophiae operam impedit: Maxime vero salutarem artem impiger excoluit, et quocunque arcanum et abstrusum vetus pariter atque recens aetas recondidit, perquirere studiose coepit. Academicorum studiorum curriculo finito iter literarium ingressus est, et Galliam, Germaniam, Italiam totum sexennium peragendo, quicquid natura singulare seruabat, quicquid mysteriorum ars ostentabat, quicquid sapientiae apud viros eruditissimos latebat, expiscaturus nullo labore pepercit nullisque sumtibus. Ita viris summis innotuit, commendatusque est, quorum nonnulli eius institutione vni sunt. Redux anno c1605, summos in

Robertus
Fluddus.

Sss s 2 medi-

n) Conf. CL. GENTZKE Histor. philos. pag.
250.

x) Guldner Griff alle Dinge ohne Irrthum zu erkennen.

y) Diff. praelim. Theodiceae §. 9. p. m. 9.

z) Athen. Oxon. Vol. p. 610. Hist. Antiqu.
Acad. Oxon. L. II. p. 390. seqq.

a) In iuuentute armigeri dignitatem in bello
meruisse scribit MERCKLINVS Linden, renou.
p. 941.

medicina honores apud Oxonienses suscepit, cumque artis chemicae peritia maxime excelleret, facile obtinuit, ut collegio medico apud Londonenses aggregaretur. Quo loco positus multorum admirationem et plausum meruit, cum et singularis, quam affectabat, pietas, eum commendaret, et meditationes obscurae et Cimmeris tenebris obductae summa mysteria, licet intelligi non possent, promitterent, et arcanorum chemicorum notitia multos illi adduceret, qui capitis sui tutelam ei tradebant; vnde magnus aegrotorum ad eum concursus factus est. Obiit anno aetatis climacterico anno c*l*o*l*o*c* xxxvii, VI. Id. Sept. in urbe Londonensi. Dici non potest, quam mirum Fluddus ingenium habuerit, nihil enim tam peregrinum, vel a ratione alienum fuit, quod non animo complectetur, nihil, quod vel cana antiquitas mysterii instar commendabat, vel recentior aetas velut abditam sapientiam extollebat, quod non in sua horrea colligeret. Nactus enim imaginationis vim prorsus extra orbitam vagantem et, si verum dicendum, ex arte insanientem, quodcumque absonum et incomprehensibile nouerat, arripuit, et somnia Paracelsicae, Cabballisticae, Magicaeque factionis confundendo in unum, nouam theosophiam explicare aggressus est. Maxime vero, cum arti salutari et praecipue chemicae se totum tradidisset, nouum physicae genus commentus est, singulare prorsus, et non destitutum quidem eruditione et rerum naturalium experientia, at portentosis hypothesibus refertum, et augis Rabbinorum, Cabballistarum, Paracelsistarum, & imprimis magicis somniis ita deprauatum, ut dignosci bona vix possint. Duo ponit^b principia vniuersalia, quibus totam rerum naturalium explicationem inaedificavit; virtutem septentrionalem siue condensantem, et virtutem australiem, siue rarefacientem. Quibus nihil noui dixisse, sed principia sectae Methodicorum apud veteres medicos, qui adstrictum et fluens principium posuerunt^c, recoxisse videri poterat, quemadmodum post eum KENELEMVS DIGBAEV^ds fecit, nisi totam physicam suam intelligentiis, spiritibus, geniis repleuisse, et quae mechanica sunt, in principia pneumatica commutauisset. Cuilibet enim morbo daemonem morbificum assignat, et genium auerruncum opponit, immo totas horum spectrorum familias a quatuor ventis cardinalibus arcessit, et iis nescio quas larvas tribuit, quae argumento sunt, febricitantium affectionem eius imaginationem fuisse passam. Ut vero condensationis et rarefactionis signa dignoscantur, thermometrum adhibendum esse statuit, quod vitrum calendarium vocat, et spiritum in eo tubo vitro comprehensum cum machina mundi accurate conspirare statuit. Id quod nititur principio Paracelsico, a Flutto quoque admisso, macrocosmi et microcosmi siue hominis arctissimam esse conspirationem et

con-

b) Conf. MORHEF. Polyhist. T. II. L. II. P. I.
c. 15. §. 5. p. 246.
c) Vid. C E L S U S de Re medica Praef.

SEXT. EMPIRIC. Pyrrh. hyp. L. II. l. 24.
p. 238.
d) Institut. Peripat. L. I.

concordiam, et vniuersae naturae typum homini esse impressum. Hinc suae inuentioni, quam ex veteri codice D. annorum accepisse iactat, tantum tribuit, vt thermometri scalas vrinarias describat, et alias boreales, alias australes vrinas in eo dignosci dicat: quae, quo loco philosophia naturalis Fluddana habenda sit, satis produnt. Naturae limitibus enim non contentus in alienas terras vbique diuagatur, et spirituum atque coelorum prouincias, coelum scilicet et terram, miscet, qua ratione hoc hominum genus plerumque philosophari solet, ratum, rerum naturam non posse explicari, nisi vbique magica personent principia. At hoc pacto confusam et obscuram tractationem ex surgere vel puer intelligit. Non magnopere quidem contradicendum esse putamus MORHOPIO^e, ingenium illi profundum et mathematum, praefertim mechanicae, notitiam singularem tribuenti: verum nullo iudicandi acumine, nullis ordinis et ratiocinandi legibus castigatam imaginationis delirantis ferociam omnem eius eruditionem corrupisse, et ad artes vanissimas portentosum ingenium seduxisse, omnes eius libri clament, eorumque soli tituli demonstrant, qui vbique fere Cabbalam, Alchymiam, Magiam, prae se ferunt. Quo fieri non potuit, vt non mille ineptiae inter bona quaedam illi enascerentur, quae cerebrum parum sanum solent prodere. Mirum itaque non est, viros acutos, et accurata philosophandi methodo instructos Fluddum acriter reprehendisse, inter quos praeter Ioannem Keplerum, et pseudonymum Eusebium de S. Iusto, fuere Marinus Mersennus et Petrus Gassendus. Quorum ille cum infania Fluddanae adeo irasceretur, vt eum cacomagum foetidae et horrende magiae doctorem appellaret, Fluddum ita prouocauit, vt par pari relaturus illi Certamen sophiae cum moria opponeret, in quo lapis Lydius a falso structore Marino Merseno monacho reprobatus, celeberrima voluminis sui Babylonici in Genesin figmenta accurate examinat. Mersennus autem cum contentionis ferram reciprocare cum homine dilarantis ingenii nollet, Gassendum exorauit, vt eum castigaret, quem ideo Examen philosophiae Fluddanae edidisse in eius vita monuimus. Quod ab iis legendum est, qui sanum de Fluddo et theosophicis omnibus iudicium eupiunt. Hoc vero nouae physicae faxum non uno opere voluit, sed plurima eius generis scripta edidit, ex quorum titulis satis iam philosophiae Fluddanae vultus confosci potest. Edidit enim Vtriusque cosmi historiam; veritatis proscenium; anatomiae amphitheatrum; monocordium mundi symphoniacum Io. Keplero oppositum; medicinam catholicam cum integro morborum mysterio et pulsus noua ratione; clauem philosophiae et alchymiae; philosophiam sacram et vere Christianam, seu meteorologiam cosmican^f, et alia, quae ob inauditas, et profanas haut raro opiniones inter libros vetitos sunt relata, et caro pretio vendita & id quod

Sss 3

impri-

e) Polyhistor. loc. cit.

g) Vid. Vogt. Cat. librorum rariorum p.

f) Vid. Cat. Bibl. Vffenbach. T. I. p. 683. 255. et quos laudat.
684.

imprimis de illis intelligendum, quae magiae praecepta tangunt^b. Non vero contentus philosophiam nouis ipsis laruis induisse, ipsam quoque Mosaicam cosmogoniam suis somniis corrupti, edita *Philosophia Moysaica*, in qua sapientia et scientia creationis et creaturarum sacra verae Christiana, utpote cuius basis, siue fundamentum est unicus ille lapis angularis Iesus Christus, ad amissim et enucleate explicaturⁱ. In quo libro ad explicandam cosmogoniam Mosaicam machinam suam experimentalem siue calendarium vitreum, nempe thermometrum in subsidium vocat, et distinctione inter veram et falsam sapientiam allata, rerum omnium principia, cum primaria, tenebras siue materiam primam, aquam seu materiam secundam, et lucem diuinam, quae fit essentia illa centralissima omnia creans, informans, viuificans, mouens, tum secundaria et actiua, frigiditatem et caliditatem, et passiuam, humiditatem et siccitatem explicat, et veram plenitudinis et vacuitatis rationem dare nititur, quaeque condensationis et rarefactionis causa mystica fit, exponit: et tum generationis et corruptionis ortum atque etiam regenerationis atque resurrectionis mysterium detegit: et denique, de ventis, nubibus et pluviis, niue, fontibus, fulgure et tonitru more suo agit. In qua tractatione tota ita ineluctabilis obscuritas regnat, ut diu lector haereat, quid sibi Fluddus velit: accedit scribendi ratio circumducta, periodi praelongae, et confusae; notiones incertae, indeterminatae, vagae, nihil significantes^k, disputatio ubique contra philosophos suscepta, et similia, quae omnia labyrinthum construunt, ex quo sine errore nemo facile exierit. Pleraque tamen, quantum nos quidem in his tenebris palpamus, ad emanatum systema redeunt: *Libro enim secundo*, sympathiae et antipathiae cosmicae indolem et principia explanatur, supponit, Deum esse puram, simplicissimam et catholicam illam unitatem, quae multitudinem et numerum omnem in se comprehendit, adeoque omnia in Deo complice et idealiter fuisse, priusquam explicite aliquid compareret aut factum esset. Ex hoc vero fonte statuit amabilem et splendidum amoris catholici et viuisci spiritum effusisse, tenebrasque litigiosas atque odiosas ab obscuro chaos siue abyssi deformis throno remouisse, ut exinde mundus ex nihilo actuali creatur. Et ob eam caussam mundi animam a Stoicis, Pythagoreis, Platonicis transfusit, et in ea omnes animas esse, exque ea procedere, et suas in ea multiplicationes habere dicit: hisque demum contrarietatem tenebrarum et lucis inaedificat, et antipathiae huius rationem inter coelum et terram etc. ostendere satagit. Quae omnia licet observationibus, praesertim magnetis robore nititur, satis luculenter tamen prodidit, Cabalistarum et Alexandrinorum scrinia se expilasse; nec ad clara principia, sed obscuras nugas omnia reuocasse. Magnetismi vim enim ab irradiationibus angelorum, quis quaeso philosophus lumen et claritatem in philosophando sectans,

deriu-

^b) Monet autem MORHOVIUS l.c. T. II.
p. 248. primas editiones esse optimas, in posterioribus autem multa esse omissa.

i) Goudae 1638. fol.

^k) Exemplum esse potest, quando inter voluntatem et voluntatem patris p. 66. distinguit.

deriuauerit? Talis autem cum fuerit Fluddus, mirum non est, fabulae Rosencrucianae, quae eo tempore ex obscuro et incerto angelo laruata in scenam prodiit auctorem eum fuisse. Debemus enim ei, *Apologiam compendiariam, fraternitatem de rosea cruce suspicionis et infamiae maculis aspersam veritatis quasi fluctibus abluentem, et abstergentem: itemque Traetatum apologeticum, integritatem societatis de Rosea cruce defendantem, in qua probatur contra D. Libauii et aliorum eiusdem farinae calumnias, quod mirabilia nobis a F. R. C. oblata sine improba magiae impostura, aut diaboli illusionibus et praestigiis praestari possint.* Quae ut reliqua auctoris Φιλοσοφίας omnia an talia sint, ut suo merito a diuinae sapientiae cultoribus extollantur, Lectori pio et acuto iudicandum, et quid de hoc G. ARNOLDI¹ iudicio dicendum sit, expendum relinquimus. Semper enim labra fuerunt, quae similis lactuca delectauit. Id nemo forte negabit, a philosophiae hortis ea lolia esse arcenda.

§. XX. Nemo autem ex hac secta vel maiorem strepitum edidit, vel *Iacobus Boehmius.* celebriorem inter huius sapientiae cultores famam consecutus est, quam IACOBVS BOEHMIVS, famosissimus ille Germanus philosophus, eo minus a nobis praetereundus, quia hoc potissimum auctore schola theosophica in certam formam coaluisse visa est. Vitam eius amico et sectatori Abrahamo de Franckenberg, equiti Silefio debemus, qui, quae ex consuetudine cum Boehmio cognoverat, et ab aliis fide digna acceperat, collegit, et digessit, soletque haec biographia et operibus Boehmii et non nullis eius tractatibus praefiguntur². Praeter hunc et anonymum³ cl. REIMMANNO⁴ laudatum, IVSTVS WESSELVS RVMPAEVS⁵ et Io. ADAMVS CALO⁶ de Boehmii vita rebusque integris dissertationibus egerunt; ut taceamus, qui vel historiam fanaticorum, rerumque ecclesiasticarum seculi XVII tetigerunt⁷, laudati CASP. SAGITTARIO⁸, vel dogmata a fide ecclesiae orthodoxae aliena proscripterunt, et Boehmii deliramenta examinarunt, qui tum consulendi sunt, quando Boehmii de sacris dogmatibus opinione, et contentiones describuntur. Nobis hoc loco sufficit, philosophi personam in Boehmio contueri, quod nomen illi non sectatores modo *νατ' ἐξοχὴν* tribuunt, sed non inuiderunt quoque antagonistae nonnulli, interque eos Henricus Morus. Sequemur autem Franckenbergii narrationem, cuius fidem tamen, ipse Lector ut examinet, monemus.

§. XXI.

1) Histor. Eccles. I. c.

m) Comparere in limine *Viae ad Christum, et Mysterii magni tradit* REIMMANVS Hist. liter. Germ. P. III. p. 419. In prioris tamen tractatus editione Amstelodamensi 1704. quae nos vtimur, non legitur.

n) In Historia Iacobi Boehmii ex propriis eius verbis concinnata, quae veracula prodiit Hamburgi 1698. 8.

o) I. c.

p) Susati 1714.

q) Wittebergaie 1707. 1715.

r) ARNOEDVS Hist. eccl. et haer. P. II. L. XVII. c. 19. p. 618. IAXGER. Hist. eccl. et polit. Sec. XVII. T. I. L. I. c. 6. p. 15.

s) Introd. in Hist. eccl. c. 133. f. 19. p. 899.

*Vita I. Boeh.
mit.*

§. XXI. Edidit portentosum hoc ingenium Germania, anno
 cl^o I^o LXXV. Natus enim est Iacobus Boehmianus in Lusatia superiori,
 Palaeo-Seidenburgi, qui pagus est Gorlitio vicinus, parentibus editus ru-
 sticis, iisque adeo egenis, ut filium gregi custodiendo adhiberent. Maio-
 ri tamen operi eum destinauit prouidentia diuina, si eius laudatores, et
 imprimis Franckenbergium audias. Contemtum rerum humanarum
 enim, detecto in spelunca quadam et neglecto magno humorum aceruo,
 eum demonstrauisse, et ob ingenii praestantiam a parentibus in scholam
 misum praematuross ostendisse futurae flammæ igniculos, narrant. Cum
 autem praeter rudimenta pietatis et literarum puerilium maioribus eum
 non destinasset parentum cura, Gorlitii futori instituendus traditus est.
 In cuius disciplina cum haereret, nonnemo, ipsi ignotus, de futura qui-
 dem famae illius magnitudine, at multis aerumnis, miseriis atque perse-
 cutionibus stipata vaticinium edidisse dicitur. Quae et alia his similia ab
 eius sectatoribus velut oracula tradita credet, qui volet^t. Nobis enim
 ea examinare nec opus esse videtur, nec magnopere Lectori acuto et atten-
 to iucundum. Anno cl^o I^o xc^v magistri iura in ista tribu apud Gor-
 licenses obtinuit, et matrimonium quoque iniit cum lanionis cuiusdam
 filia, quacum triginta annos concorditer vixit, filiosque genuit quatuor,
 quos et ipsos opificio exercendo destinauit. Licet autem in arte sellularia
 totam fere vitam transegisset, factum tamen, ut eius nomen omni op-
 niōne latius spargeretur, signumque quasi existeret, ad quod contrariae in-
 ter se factiones concurrerent, et inimicis inter se telis digladiarentur.
 Rem ita accidisse eius narrant biographi. Cum valde sub finem seculi XVI
 controuersis Crypto-Calvinianis exagitaretur Saxonia, multique, quid
 statuendum et recipiendum esset, ignorarent, ipse quoque, animo vehe-
 menter fluctuans ad preces configit, et diuinum lumen ad capiendam re-
 etam semitam a Deo ardenter petiit. Cuius, ipso narrante^u, is effectus
 fuit, ut extra se per septem dies raptus sacram sabbathi silentium experi-
 retur, et ad diuinam intuitionem admitteretur. Quod licet multis in-
 credible videatur, temperamenti tamen Boehmiani indolem viresque
 imaginationis ardentis et extra se raptæ consideranti, non vero videbi-
 tur absimile, ecstasim quandam Boehmum fuisse passum. Talem enim
 Plotinum quoque, Iamblichum, Porphyriumque habuisse, et intuitiuae
 istius felicitatis gaudia iactauisse, ex iis, quae *Tomo secundo* narrauimus
 constat, et in huius commatis hominibus, quamcunque etiam religionem
 sequantur, insolens haud est: vnde autem iste status animi oriatur, et qua-
 ratione anima suo imperio spoliata, commoueatur, et ad inaudita rapiatur,
 norunt, qui conditionem humani cerebri intelligunt. Confirmantur
 haec secunda eius ecstasi, quam sibi ex oriente seculo XVII obtigisse, ipse
 quoque

t) Conf. I^o. C H R. HOLZHAUSEN Capi-
 stratus Böhmicolarum rabula p. 72. Ven. W E I S -
 M A N N V S Hist. eccl. N. T. T. II. p. 1234.

u) In Aurora c. 19, §. 4. seqq. T. I. Opp. p. 230.
 seqq.

quoque narrat. Nam ex aspectu vasis cuiusdam stannei subitaneo, spiritum suum astralem, ait, per irradiationes Iouiales ad centrum naturae intimum raptum, et a lumine diuino introductum esse, ita, ut ex figuris, lineamentis et coloribus creaturarum externis in ipsos essentiae naturaeque illarum recessus penetrare, et quae vniuersiusque indoles sit, intelligere potuerit. Nemini tamen hunc infusum philosophiae habitum patefecit, sed suo opificio vacauit. Donec anno clo 10 c x tertiam diuini luminis collustrationem pateretur, qua tanta sibi mysteria de rerum omnium origine, natura, et constitutione, deque ipsis principiis diuinis naturisque intellectualibus manifestata esse, dicit, ut profundissime iis immergeretur. Quae ne angustae memoriae diffluenter, tandem anno clo 10 cxii in chartam coniecit, et sistema hoc Θεόπνευστον, quo omnis sapientia diuina et humana comprehendebatur, concinnauit, quem librum *Aurorae* titulo insigniuit. Et hic primus quidem ingenii Boehmiani foetus est, qui cum a rerum imperito, vti ferunt, conscriberetur, non potuit non Cimmeriis tenebris fieri obscurior. Cum enim noua sibi principia, nouas notiones, nouos terminos et vocabula selegisset, quorum forte ipse distinctam notitiam clarosque sensus ignorabat, non potuit lumen ullum huic scriptio*n*i ine*s*se. Id quod ipsum librum legere, et meditationes eius in ordinem redigere tentatus manibus palpabit. Nec audemus nos, ea, quam scopus noster postulat, perspicuitate, eo ordine, qui argumentum philosophicum decet, principia Boehmiana ex hoc libro enarrare, cum insuperibili nobis obscuritate latere videantur. Rogamus tamen Lectorem, ut quae in hoc libro, qui symbolicus quasi est theosophiae Boehmiana*e*, dicuntur, praecipue de concentu et connexione macrocosmi et microcosmi, cum Paracelsicis comparet, et sanum ipse iudicium adhibeat. Illud tamen silen*t*io non praetereundum est, rationis lumen Boehmum ad addiscendam hanc philosophiam tum plane eiurasse, frustra esse, qui ad eius regulas et axiomata Boehmiana philosophemata exigunt. Monet enim ^{x)}: *Philosopho et physiologo futuro, Deique essentiam in rerum natura scrutaturo exorandum esse a Deo Spiritus S. immediatam illuminationem.* Esse enim haec mysteria carni atque sanguini incomprehensibilia, et obscura atque ducenta manere, etiam*s* verba legantur. Eum autem, in quo est spiritus sanctus, qui et Deo inest, et toti naturae, ex quo facta sunt omnia, scrutari et penetrare posse, in totum corpus diuinum, quod natura constituit, immo in ipsam SS. Trinitatem. Hac itaque ratione cum hoc sibi conflasset sistema theosophicum, sibi quidem soli sapere constituit, in vulgus tamen res exitit, ipsumque librum pastor gregis Gorlicensis legendum accepit. Qui rei insolentia commotus ex suggestu auctorem ideo vehementer obiurgauit, et interposita senatus urbani auctoritate, librum tolli, prohiberi*que* scriptio*n*em Boehmio curauit. Et latuisset forte

x) c. 2. §. II. 12. p. 7.

Hist. philos. Tom. IV.

forte diutius, nisi anno c^{lo} l^o c^x l^o i^o consul quidam urbis istius librum hunc Mareschallo aulae electoralis Saxonicae Georgio Pflugio dono dedisset, cuius concessionē prelo tandem Amstelodami exiit. Ipse Boehmius facta scribendi prohibitionē septennium quieuit, anno c^{lo} l^o c^x ix autem arrestō iterum calamo usque ad vitae finem, quamplurimas tractationes elaborauit. Sunt, qui narrent, nouas et paradoxas opiniones Boehmii commouisse senatum urbanum, ut ad supremum, quod Dresdae est synedrium ecclesiasticum rem deferret. Boehmum autem illuc citatum comparuisse, factoque a theologis examine, ita caussae suae adfuisse, ut non solum magna eius inde existaret existimatio, sed et insons tranquillusque dimittetur. Alii vero hanc narrationem inter commenta Boehmianaē factionis referunt, acriterque ea de re circa finem seculi XVII disputatum est, inter B. Io. Iacobum Spenerum et Ministerium Ecclesiasticum Hamburgensem, cum ille Boehmii scripta damnare recusaret, quod nec lecta sibi essent, nec intellecta. Quae qua ratione gesta sint, hic narrari non possunt, et in annalibus ecclesiae Protestantium exponi solent ^y. Obiit autem Iacobus Boehmius in communione ecclesiae Lutheranae apud Gorlicenses anno c^{lo} l^o c^{xx} iv, nunquam enim ab eius gremio secessum fecit: ita quoque ultima fata subiisse dicitur, ut fidem et pietatem demonstraret ^z.

*Conditio et
indoles inge-
nii Boehmii.* §. XXII. Intelligi ex dictis potest, temperamento gauisum esse Boehmum atrabile referto, subtristi et profundo, quod imaginandi facultatem nutrire solet ardenter, foecundam, mirisque imaginum viuidarum sensusque etiam externos et neruos concutientium cumulis turgentem, quae ubi semel acriori quadam paroxysmo commouetur, ita naturalem intelligendi sentiendique facultatem turbat, ut extra orbitam vagans animus, mirisque visionibus immo raptu quoque et agitatione praeternaturali concitatus, mirabilia videat sentiatque, et ad inauditas insolentesque cogitationes ducatur. Quem ingenii Boehmiani characterem tota eius theosophia loquitur, et ecstases, quibus gloriabatur, produnt, ac tota fartago verborum, terminorum, axiomatum in eius scriptis occurrens luce meridiana clarius demonstrat. Ipsa autem symbola et imagines hieroglyphicae, quae eius libris praefiguntur, testes sunt, imaginandi facultatem, pro gubernatore atque praefide nudatam rem fere omnem absoluere. Nec aliunde tota eius theosophia deriuanda est, quam tamen non a doctrina humana se accepisse iactat ^a, ideoque a philosophis ceteris distingui voluit, ostentando, se non secundum externum naturae intuitum, sed secundum spiritus dictamen scribere, et quae de natura rerum tradat, de operibus et creaturis diuinis, Deum spiritui suo aperuisse. Et hoc quidem duce non rerum modo diuinorum, et spiritualium, sed naturalium quoque scientiam infusam diuinitus iactauit, in qua vero lucem et ordinem,

^y) Vid. W E I S M A N N. Hist. eccl. N. T. sec. XVII. T. II. p. 1231. CALO loc. cit. §. 12. seqq.

^z) CALO I. c. §. 14. 15. qui mortis circumstantias enarrat.
^a) Praef. Auroras> f. 87. 95.s>

nem, atque iustam assertionum consecutionem frustra requiras. Quae quamvis non sine verisimilitudine futorem auctorem prodere videriqueant, suspiciati tamen quidam sunt, alieno Boehmio arauisse vitulo, vel virum Boehmianum quendam doctum ac theosophiae Paracelsicae studio deditum ea scripta *plagii suspensus?* genuisse, Boehmum nomen tantum ad excitandam admirationem rei insolitae praefixisse. Immo contendit GVL. SALDENVS in *Epistola ad Schurmanniam*^{b)}, eruditam virginem, nomine DESIDERII PACERI data, a Pontifici gregis affecta quodam ea Boehmio esse supposita. His tamen alii^{c)} testimonia hominum fide dignissimorum opponunt, qui οὐτόγεα φα Boehmii viderunt, eiusque manum agnouerunt. Qua de re certi quid statui posse non videtur. Fatemur autem, aegre nobis persuaderi, sine alieno vitulo solum propria arua arauisse Boehmum, nec accessisse manum obstetricem, quae soinna hominis delirantis in ordinem aliquem redigeret, mutaretque et resecaret incommoda, et ad quendam disciplinae habitum refingeret. Tot enim notiones terminique ex artium disciplinarumque ambitu desumptae, in eius scriptis reperiuntur, quales sunt, philosophia, astrologia, principium, elementum, qualitas, corpus, forma, substantia, species et similia, ut clare pateat, accessisse calatum philosophiae, quae in scholis tum tradebatur, non expertem, nisi ridiculo commento dicas, Spiritum S. ista Boehmio reuelantem voces ex Peripateticis et Scholasticis circulis ad tradenda mysteria sua mutuas accepisse. Certe illud nobis dubio carere videtur, multa ex docti cuiusdam viri chartis hausisse Boehmum, quae, cum artium ab humanitate nomen fortientium, imperitus esset, deinde corrupit; scribit enim v. c. Marcius pro Mercurius, Saliter pro Salpetrae, et similia. Nec sine graui ratione suspicamur, quicquid in contrarium clamet ARNOLDVS, Boehmum a paraftata quodam libros nonnullos Paracelsicos accepisse, et ex iis sua incrufasse: id enim luculenter euincunt dogmata chemicis processibus adaptata, vocesque ex medio igne Paracelsi desumptae; obseruatum quoque viris doctis^{d)}, ipsa Theoprafti verba interdum apud Boehmum deprehendi. Quod tam manifestum est ex scriptorum eius lectione, ut fasius tandem sit Arnoldus, medicos quosdam^{e)} Paracelsicos mysteria nonnulla chemica ei tradidisse, legisse quoque eum in ultimis vitae suae annis libros quosdam philosophorum, deque iis cum viris doctis contulisse. Ceterum profunditatem speculationum abditissimarum prae se ferre libros Boehmianos, quicunque demum telam vel exorbus fit, vel absolverit, negari non potest, mira namque omnibus paginis imaginationis foecunditas proditur. Cui si accessissent iudicandi vis iusta atque solida, quae limites euaganti animo posuisset, et disciplina iustis legibus subacta, dubitandum non est,

Ttt t 2

quin

b) Vid. BENTHEM. in statu eccles. Holland. P. II. c. 4. p. 427.

639. MORHOE. Pol. T. I. L. I. c. IO. §. 28.

p. 93.

d) Hos infra nominabimus.

c) ARNOLD. I. c. p. 636. WALCHIVS Introd. in Hist. controverf. theol. P. I. c. 6. p.

e) BVDDEV'S Imagog. L. II. c. 7. p. 1369.

Acta phil. Vol. I. p. 609.

quoniam inter praeclarissima recentioris aetatis ingenia potuisset numerari. Verum ab his praefidiis eum fuisse imparatissimum, nec iudicio ad discriminandam rerum veritatem a somniis ferocientis imaginandi facultatis, fuisse vsum, omnis autem doctrinae vacuum extitisse, nemo negauerit, nisi Boehmio aut animo aut doctrina suppar. Certe quaecunque fundamenta philosophiae nouae et diuinae affert, non certis et indubitatis principiis atque axiomatibus constant, non iusto veritatum nexu, non aequo et accurato systematis habitu gaudent, sed solas mentis emotae imagines, velut e tripode dicta suppeditant. Quorum demonstrationem si petieris, eodem spiritu afflandum, eodem lumine collustrandum, id est, eadem imaginandi confusione et ineptiendi somniandique ardore corrumpendum esse clamat. Mirum itaque non est, homines ut iudicio pauperimos ita ad deliria queuis foecundissima imaginatione aptos, cum similem viam essent ingressi, Boehmii mysteria pro traditionibus ex diuinae sapientiae abyssu promanantibus habuisse, et hoc pacto deceptos nebulam pro lunone fuisse amplexos. Sophistarum hoc iudicium esse oggerit Boehmius, obiciunt affectae, et carere hos homines, ita iudicantes spiritu diuino afflante et illustrante conqueruntur, magno supercilie affirmantes, diuinam Sophiam non nisi infantibus et simplicissimis tradi manifestarique. At clamoribus hic nihil efficit, sed rationum evidentium demonstratione opus esse, quilibet intelligit, qui cogitat, non contradicere et euertere rationis lumen diuinam reuelationem, licet illud multis parasangis supergessam, nec praeter vtrumque principium cognitionis humanae, quorum illud philosophiam gignit, hoc doctrinam diuinorem, tertium et his vel contradicens vel euertens dari posse: Esse vero pestilens emanationis dogma, quod et rationis axiomata et reuelationis traditionem vehementer conuelli violatque, cardinem theosophiae Boehmiana, adeoque a Deo inspiratum esse non posse, nec velle diuinum spiritum vocibus cassis et sine mente sonis summam sapientiam edocere. Quae omnia si expendantur, confensuros nobiscum esse omnes, quotquot partium studio non ducuntur, confidimus, totam Boehmianam disciplinam esse fructum imaginationis emotae, et delirantis: quamuis haud inuiti fateamur, occurrere apud eum non pauca, quae extra sytematis nexum sensumque considerata veritates continent eximias; concedamusque, eorum, quae non intelligimus, iudicium haud facile fieri posse. Non enim hoc loco de singulis eius dogmatibus obscuris sententiam dicimus, sed de generali discipline eius habitu, qualis ex manifestis indicis potest dignosci. His euictis atque suppositis, nulli dubitamus afferere, nihil habere doctrinam Boehmianam, quod philosophiam referat. Extra se enim raptus et incerto atque cerebrino cognoscendi principio innexus, de rebus naturalibus et spiritualibus talia tradere ausus est, quae nec sibi constant et cohaerent, nec vel regni gratiae conditioni respondent. Quid enim series illa emanationum, principiorum, sephirarum, regnorum etc. velit,

ipfi

ipsi Boehmianaee disciplinae alumni dicere, et negantibus vel dubitantibus demonstrare nequeunt, sed ad experientiam et internam illuminationem prouocant, qua nullum adeo delirum somnium est, quod non ita probari possit. His accedit obscuritas nocti densissimae similis, quam rerum quidem profunditas genuisse his hominibus videtur, si verum autem dicens, ipsa horum mysteriorum vanitas peperit. Cum enim chemicorum aenigmatum symbola, quae in se difficillima et incertissimis interpretationibus obnoxia sunt ad res diuinias spirituales, ipsamque diuinam essentiam, et intelligentias coelestes definiendas transtulisset, quorum omnium ideas alias non habuit, quam quae suppeditatae erant ab imaginandi facultate, necessario istae tenebrae ob ipsam rei et argumenti naturam obtingere debuerunt f. Quamuis autem hanc obscuritatem suis commentariis velut stellis quibusdam illustrare quidam sectatores contendunt, quales fuere anonymous a G. ARNOLDO operi suo historico inserunt g, Auctor *Hortuli Seraphici*, Franciscus Clingius h aliique, fatendum tamen, post faces ab illis accensas nihil plus nos videre, immo magis coecutire, quam antea, et ignes nonnullos erraticos pro lucidis sideribus deprehendere. Ad quod demonstrandum nihil aliud, praeter lectionem librorum Boehmii et sectatorum, requiritur; cuncta enim tanta nocte premuntur, vt ipse ARNOLDVS i fateatur, metaphoras alienissimas et figuratam dictio nem aenigmata exhibere, nec potuisse Boehmum, hominem idiotam, clare sua atque perspicue enunciare.

§. XXIII. Certius haec cognoscere, et iudicium adhibere suum Lector posset, si, quod hactenus facere consueimus, ipsum Boehmii systema eius oculis liceret subiicere. Ast id nobis impossibile esse, candide fatemur: cum et res ipsae nulla claritate se describi patiantur, et verba Boehmii noua, inusitata et peregrina significatione detorta Latinis vocibus commode satis nequeant enarrari. Lectorem itaque Boehmianaee sapientiae noscendae cupidum rogamus, vt ipsum Boehmum adeat, et imprimis *Auroram* eius consulat, libellumque in quo tria diuinae essentiae principia explicuit. Illa enim obscurissima est, et sine hoc intelligi plane non potest k: ipse quoque Boehmius tractationem de tribus Principiis clauem et alphabethum eorum, qui scriptorum suorum intelligentiam affectant, ob eam caussam appellauit l. Fatemur autem, in hoc quoque libello ineluctabilem regnare obscuritatem et difficultates insuperabiles. Dabimus tamen nonnulla ex eo, tentabimusque utrum Latine loquentem in scenam adducere Boehmum possimus, quia in hoc tractatu paulo clarius prodidit, quo tota theosophia sua tendat. Ipse libri titulus solito euidentiora loquitur, promittit enim, aetum iri de aeterna generatione SS. Trinitatis diuinae principii

*Doctrina
theosophica
Boehmii.*

Ttt t 3

f) Vol. III. p. 1564. seqq.

g) Amstelod. 1700. 8.

h) Conf. Relat. Innoc. 1703. p. 110. seqq.

i) loc. cit. p. 637.

k) Caussas indicat ARNOLDVS loc. cit.

p. 635

l) Epist. XII. §. 66. p. 87.

cipi experte, et quo pacto per eam et ex ea creata sint omnia, non modo angeli et coeli cum stellis et elementis, sed et essentiae naturales omnes, et quodcumque vivit et crescit, praecipue tamen homo, ex quo creatus sit; quo modo exorta in hoc tempore sint omnia, quae iam fiant, et quae futura tandem sint omnia. Huic igitur argumento sequentes inaedificavit assertiones.

I. Deus ipse est essentia omnium essentiarum, omnia enim ortum suum habent ex Deo ^m.

II. Cum Deus mundum, et quaecunque in eo sunt, conderet, non habuit materiam aliam, ex qua omnia ficeret, nisi essentiam suam ex se ipso ⁿ.

III. Spiritus actio alia non est, nisi ut se attollat, scaturiat, se moueat, seque semper generet. Et hac quidem ratione Deus est Spiritus incomprehensibilis.

IV. Tres vero generationis eius formae sunt, amarum, acerbum et feruidum.

V. Fons originalis irae et amoris ex vna scaturigine, ex vna matre est, adeoque vtrumque idem est ^o.

VI. Dici non potest, Deum esse ignem, acerbum, amarum et similia, multo minus, esse aquam, aërem, terram, quod vero ex eo haec facta sint, id cernimus. Nec dici potest esse in Deo mortem vel infernum, at haec inde orta esse dicendum est.

VII. Tria sunt in rerum omnium fonte et origine, ex quo exorta sunt omnia, spiritus, vita, actio, comprehensio omnis, sulphur, mercurius, sal.

VIII. Sal, anima est, siue spiritus oriundus, phyr prima materia, ex qua genitus est spiritus, præsertim in acerbitate: mercurius quatuor continet species siue formas, acerbum, amarum, ignem et aquam; sal foetus est, quem illa generant, et acerbum est, adeoque caufsa est, comprehensibilitatis ^p.

IX. Mercurius acerbus est, et amarus, nempe aqua sulphurea et ignea, res inter omnia terribilissima, verum id omne in spiritu, natura nempe originali, id est, in essentiarum essentia, Deo, natura principii expertise, parente naturae huius mundi.

X. Anima origo ex primo Dei principio extat, et a Deo homini, principio tertio, inspirata est, nempe in foetum fidereum et elementarem; tradit autem in hoc primum principium DEI, ex quo, et in quo est, cum sit pars propria essentiae eius ^q.

XI. Ipsi quoque diaboli ex primo principio Dei sunt, illud enim primo-prima origo naturae diuinæ est, at ab altero principio excluduntur ^r.

XII. Anima, quae a Spiritu S. illuminatur, vere ingreditur diuinam naturam, videt enim in diuino lumine et intuetur alterum sanctæ et diuinæ

^m) §. 1.

ⁿ) §. 3.

^o) §. 5.

^p) §. 7.

^q) c. II. §. 2.

^r) §. 3.

nae generationis principium, nempe essentiam diuinam: Spiritus fidereus autem et elementaris, qui ex sanguinis scaturigine progreditur, non nisi matrem intuentur, ex qua progreffi sunt, et in qua viuunt ^{s).}

XIII. In tres species siue formas (*Gestalten*) natura abit, quarum quae-libet aliam gignit, sua qualitate et natura praeditam ^{t).}

XIV. Fons acerbitatis originalis mater est, ex qua scaturigines aliae quinque profiliunt, generanturque, amarum, ignis, amor, limus, aqua ^{u).}

XV. Anima vero ex prima patris generatione originali per scaturientem spiritum, qui est Spiritus Sanctus ex patris lumine progressus, homini inspirata est. Ex quo sequitur, animam esse ipsam Dei essentiam.

XVI. In materia aeterna separatio fit aeterna, quae oritur in generazione aeterna, a quatuor anxietatibus, dum ex acerbi et amari congesu ignis gignitur, et in ignis fulmine lumen, ita tamen, ut suum cuius fonti ius et natura sua conseruetur ^{v).}

Non penetrabimus altius in hanc syluam densissimam, et quo longius mirus generationum et emanationum architectus progreditur, eo obscuriorem. Principia enim et fontes principiis et fontibus cumulat, qualitates acerbas, amaras, acidas, dulces ponit, matrices, generationes, foetus et similia excogitat, malos fructus cerebri somniantis. Quae omnia eo tendunt, ut scaturigines per varias classes, species, et gradus ex Deo emanantes, quibus rerum omnium essentias constare ait, describat. In quo maxime ridiculum est, quod interdum etymologia quaedam inepta, puerilis et absonta occasionem foecundissimae imaginationi Boehmii suppeditet noua principia principiataque, nouos fontes, formas et naturas rerum comminiscendi, quo fieri non potuit, ut non entia imaginaria et cerebrina coaceruentur innumera. Similia quoque in *Psychologia*, siue *Quaestionibus de anima* ^{y)} habet, in qua Quaest. I. ^{z)} Globum philosophicum rerum omnium origines depingentem exhibet, Gnosticorum deliriis haud absimilem. Qui libellus, cum a I o. ANGELO WERDENHAGENIO ICto Helmstadiensi Latine versus sit, et frequenter occurrat, Lectorem, harum lautiarum cupidum ad eum ablegamus. Mirum autem philosophum ipso Heraclito συντελεῖτερον, eas quae stiones tetigisse, quae summos semper philosophos exercuerunt, qualis est, animae propagatio, natura, operatio. Quas ita explicat, ut vel ex hac sola Boehmii psychologia sit manifestissimum, in excludendo hoc foetu accessisse manum auxiliariicem philosophiae in scholis tum agitatae peritissimam; ad cuius terminos et definitiones ita principia Boehmiana applicata sunt, ut noua dogmata constituant. Et tamen in epilogo auctor excusationem praetendit, quod artis ignarus, verbis idiotarum magna haec mysteria inepte enuntiauerit, quamuis ita turgidus, ut haec omnem scholarum sapientiam longe superare

s) §. 4.
u) §. 11.

t) c. III. §. 9.
x) c. IV. §. 19.

y) Vtимur editione Amstelodamensi 1648. 12.
z) p. 28.

rare ostentet. Ex his vero omnibus ut tandem his nebulis Lectorem liberemus, licet satis obscura et incomprehensibilia sint, (ut solent esse, quae imaginatio lascivius et ratione non castigata parit) constare tamen palparique a Lectore posse putamus, sistema emanatiuum, secundum quod Deus rerum et essentiarum fons omnis est, ex quo omnia effluxerunt, caput cardinemque immo totam animam systematis Boehmiani esse, et hoc omnia tendere, ut positis principiis quibusdam secundis, siue principiatis, emanationum diuersitates, modi, discrimina patescerent. Id adeo apertum, et a B. HINCKELMANN^a tot locis scriptorum eius demonstratum est, ut prolixo probari haud sit opus. Nam non spiritus solummodo, sed orinem quoque materiam ex scaturiente Deo emanauisse, vbiique tradit; sic ut non erubescat scribere in Aurora^b: Totam diuinam SS. Trinitatem scaturiendo emanandoque corpus imaginemque ex se configurasse, velut Deum quendam parum; item^c: Naturas et creaturas omnes ex Dei virtute ab aeterno progrediente ortas esse. Immo verbis satis claris obscurissimum principium emanationis omnis ita explicat^d: SS. Trinitas immutabilis, est substantia triumphans, scaturiens, mobilis, in qua omnes virtutes sunt, ut sunt in natura. Haec enim aeterna mater naturae est, ex qua coelum, terram, stellas, elementa et quaecunque sunt vel sub coelis vel super coelos nominat, hoc ipso totum Deum nominat, qui virtute sua ex se procedente essentiam suam ita corpoream fecit. Quae multis quidem impudentissimum atheismi genus visa sunt, reuera autem sistema emanatiuum aperte produnt, secundum quod Deus mundus expansus est. Non ignoramus, fuisse, qui castiores sensus his et similibus Boehmii verbis tribuant; ast eos audiendos non esse, vel haec vna ratio euincit, quia abiecto emanationis ordine et principio totum Boehmianum sistema corruit. Nos Lectorem potius, si patientia gaudet hisce deliriis immorandi, hoc doctrinae aedificium cum Cabalistico comparare iubemus^e, certi, multis, quae obscurissima in Boehmio videntur lucem affulsuram inexpectatam. Non enim principia tantum inter se conueniunt, sed et termini vocesque ex hac schola desumptae videntur. Vnum dogma de Adam Kadmon et Sephiris siue scaturiginibus lucis diuinae in eo fulgentibus et ex eo diuersis gradibus emanationibus, reuolutionibus procedentibus si cum doctrina Boehmii in Aurora allata conferatur, rem mirifice illustrabit. Simili prorsus modo enim de Filio Dei ex Deo genito, de origine angelorum ex eo, de profluentibus ex eo spiritibus fontanis, siue Sephiris (*Qualgeister*) de reuolutione, proportione mutatione et ascensu qualitatum in diuina natura, de tribus principiatis in diuinis,

^{a)} In detectione fundamenti Boehmiani.

^{b)} § 26. p. 30.

^{c)} §. 30.

^{d)} c. IV. §. 32. 33.

^{e)} Conf. H. MORI Iudicium de Boehmio.

uinis, et septem spiritibus naturae, de anima hominis diuina, fiderea et elementari differit. Quae si non probant, multa eum vel, qui materiam illi subministrarunt, a Cabalistis accepisse, id tamen euincunt, simile de eius placitis iudicium esse ferendum, eaque eodem modo intelligenda, vt illa. Nisi enim secundum significationem systematis emanatiui theosophiam Boehmianam explices, sensum prorsus nullum, lucem nullam in eius praecptis inuenies. Plura ex ipsis eius scriptis haurienda sunt, multoties editis, et vno fasce anno ^{clo} CLXXXII Amstelodami vulgatis, quibus diutius cum taedio Lectoris inhaerere non licet.

§. XXIV. Habuit Boehmius sectatores multos, vt obscura et intellectu difficultia plerumque admiratores haud paucos inueniunt. Qui tamen ^{Sectatores} Boehmii. cum plerumque ad theologiam, cui mysteria Boehmiana intulerunt, resperxerint, non hoc loco omnes enarrari possunt, sed in annalibus ecclesiasticis producendi sunt: consuli autem debent, quos cumulauit virorum praestantissimorum CASP. SAGITTARII ^f, MATTH. CHR. PFAFFII ^f, COLBERGII ^g, ARNOLDI ^h, WALCHII ⁱ aliorumque diligentia. Quamuis Paracelsi quoque et Fluddi sequaces huc trahi possint, qui seculo XVII prodierunt. Paracelso enim haud pauca debere Boehmum supra obseruauimus, a Fluddo autem non pauciora eum accepisse quorundam, et nuper denum, cel. MOSHEMII ^k coniectura fuit. Fatum tamen, posterius nobis non verisimile videri; eo enim tempore, quo Boehmius Auroram scripsit, libros suos vel nondum vulgauerat Fluddus, vel in Germania tamen innotescere et in manus tutoris Gorlicensis peruenire non potuerunt, Boehmius quoque ante Fluddum fatis functus est, et ipsa, nisi fallimur, vtriusque principia dissident. Quaecunque autem schola Boehmio affinis fuerit, illud certum, concurresse ad factionem Boehmianam, quotquot ingenium exagitauit ἐπεγκλιτον, et delectauere principia vaga, et dogmata tritam viam deserentia: quos nosse omnes et in scenam adducere, esset otio lectoris atque patientia abuti. Nos paucos et celebriores tantum considerabimus.

§. XXV. Fauit vehementer Boehmio Silesia ^l, et complures Boehmii produxit affectas. Inter quos praecipue notandus est Balthasar Waltherus, Glogauiensis, Doctor medicinae, artisque chemicae consultissimus. Is enim amplissime Boehmio fauisse, et inter amicos eius primum locum obtinuisse dicitur. Memorabile est, quod de eo narrat FRANCENBERGIVS ^m, sexennio eum per Syriam, Aegyptum, Arabiam, Per-

f) Introduct. in Hist. Eccl. p. 899. SCHMI-
DIVS Suppl., p. 671.
ff) Hist. lit. theol. P. II, p. 348. 364.
g) Christianism. Platonico-Hermet. P. I. p. 107.
h) loc. cit. p. 651. De script. theol. mylt. p. 592.
i) Introd. in Hist. Controv. Theol. P. I. p. 646.

k) Hist. Christ. rec. Sec. XVII. e. f. I. c. 4. §. 28.
p. 399.
l) Vid. WERNSDORF. Disp. de Fanaticis Si-
lesiorum.
m) In Vita Boehmii §. 18.

Persiam iter fecisse, iactareque solitum a Chaldaeis et Arabibus astronomiam, chemiam, magiam, cabbalam se didicisse. Qui cum domum rediisset, percepta fama de Boehmii noua sapientia, ad eum Gorlicium venit, et trimestre apud eum commoratus est. Verisimilitudine ergo non destituuntur, qui contendunt, ab hoc viro Boehmum, hominem cetera *idiotum*, notiones et principia Paracelsica, chemica, magica, quorum tot vestigia in eius scriptis extant, didicisse, et fortean illum quoque manus emendatrices eius scriptis admouisse. Illud sane tradit ERASMVS FRANCISCI¹, nescio qua fide, Boehmum sua scripta emendanda Walthero Dresdam misisse, quo loco illi officinae chemicae, quam elector instruxerat, praeerat. Et hic ille *Mysteriophilus* est, ad cuius *Quæstiones de animæ origine, effentia, natura, facultatibus et statu* respondit BOEHMIVS², vt supra dictum. Praeter hunc medicum alias quoque artis salutaris custos, Tobias Koberus familiaritate Boehmio innotuit. Is enim Gorlicii medicinam fecit, et intima familiaritate futori Gorlicensi iunctus fuit, vt ex epistolis eius nonnullis, *Epistolis Boehmii theosophicis* insertis liquet³. Sed et Cornelium Weisnerum et Fridericum Krausium, medicos inter familiares Boehmii fuisse, nonnullis obseruatum est. Id quod ideo notandum, vt constet, quo canali ad Boehmum opiniones, voces, termini Paracelsici, chemici, magici, profluxerint, licet artis medicae chemicaeque esset imperitus. Multum vero inter amicos Boehmius debuit Abrahamo a Franckenberg, Oelfnensi, equiti Silefio, anno c1510 xciii nato. Qui cum satis ingenio valeret, et eruditio copiam possideret haud contemnendam, sectarum Christianarum diffidiis offensus totum se Boehmio tradidit, et non eius modo scriptis obstetricatus⁴ est, sed et secundum principia Boehmiana librum de *Fundamento sapientiae; viam veterum sapientum; triadem mysticam, et gemmam magicam* edidit, vt alia taceamus, enarrata C ASP. SAGITTARIO⁵. Apologiam autem pro Boehmio scripsit Io. Theodorus a Tschesch, Friderico Palatino principi, et post hunc Ioanni Christiano, duci a consiliis, de cuius itineribus, fatis et vitae historia, videndus praeter G. ARNOLDVM⁶, GOTTL. WERENDORFIUS⁷. Obiit post vitam vagam et exulem medio seculo XVII, apud Elbingenses in Borussia, et edita quoque HENRICI PRVNNI⁸ *Introductio in notitiam scriptorum viri theosophi Iacobi Boehmii*⁹, de hac factione pulchre mereri conatus est.

§. XXVI. Nemo tamen Boehmiana factionis, nomen suum magis fecit memorabile, quam Q V I R I N V S K V H L M A N N V S, in Quirinus Kuhlmannus. felici tragicoque vitae exitu notissimus, cuius res prolixe narrant AR-

NOL-

n) In confratio[n]is telis columniae Leui p. 223.

o) Vid. ARNOLD, l. c. p. 652.

p) ARNOLD. Hist. Eccl. Vol. III. pag. 92.
WERNSDORF, l. c. §. 18. CALO loc. cit.
c. 2. §. 3.

q) loc. cit. p. 902.

r) P. III. c. 9. p. 93.

s) loc. cit. §. 17.

t) Amstelod. 1684. 8. lingua Germ.

NOLDVS^x, WERNSDOREIVS^x, BENTHEMIVS^y, BAYLE^z, alii-
que a SAGITTARIO^a laudati. Natus in celebri Silesiae metropoli Vra-
tislauiae anno clo CLII, parentibus honestis, adolescens ingenium prodi-
dit praecox, ac singulare, paradoxum et a via declinare promtum. In le-
nenfi academia Themidis sacra amplexus, ab aliorum conuersatione vi-
tae singularis affectatione abhorruit. Tum ad Batauos abiit, Lugduni-
que summos in iure honores affectans de emendando corpore iuris cogi-
tauit: morbo vero grauissimo correptus ad reformatum restituendum
que regnum Dei animum adiecit, et vt huic animi instinctui pareret, in
Britanniam, Galliam, ipfasque ditiones imperii Turcici excurrit, male
tamen multatus anno clo CLXXXVI Vratislauiam rediit. Vbi cum
quiescere eum vel animi impotentia, vel fatorum iniquitas non fineret,
nouum iter ad Sarmatas suscepit, et in Moscouiam tandem venit, adeoque
si non impie, imprudenter tamen res suas egit, vt blasphemiae accusatus
exitiali tandem rogo anno clo CLXXXIX, IV. Non. Octobr. deleretur.
Hunc ad extremum furorem seduxisse imaginationis ferociam fatendum
est, si vera sunt, quae de eo narrantur. Nihil enim tam paradoxum,
vagum, absconum, quod non miris coloribus pingere auderet. Mirum
itaque non est, artem Lullianam, combinatoriam et similes nugas vehe-
menter illi placuisse, et pro Boehmio quoque eum verba fecisse, acriter-
que pro eius *Geonveus*^b dimicauisse. De quibus tamen eius somniis co-
natibusque deliria mentis aperte prodentibus, ne nimii simus, hoc loco
plura dici non possunt, adeundus autem est, qui, quantum satis est, dabit
D. G. MORHOFIVS^c. Verum ne inspirationis diuinae Boehmio testis
ipse inspiratus deesset, ex Anglia prodiit IOANNES PORDAGE, me- *Io. Pordage.*
dicinae Doctor, Leadiae virginis factioni quoque addictissimus. Qui
cum diuinis reuelationes visionesque iactaret, systematis Boehmiani di-
uinitatem a Deo edoctum se esse testatus est. Quod vt noua luce collu-
straret, vulgavit *Metaphysicam veram et diuinam*, per Lothum Vischer-
um Germanico habitu postea in lucem productam^d, itemque *Sophiam*,
sive detectionem coelestis sapientiae de mundo interno et externo; porro
theologiam mysticam, sive arcanam mysticamque doctrinam diuinam de
inuisibilibus aeternis, nempe mundo et globo archetypo, sive mundo mun-
dorum, essentiis, centris, elementis et creationibus, non rationali arte
sed cognitione intuitiva descriptam. Concedenda laus Pordagio, et ordi-
nis et claritatis paulo meliorem eum curam, quantum argumenti natura et
indoles patiuntur, habuisse, quam Boehmum, et sistema theosophicum
luculentius exornasse. Ipsa tamen dogmata cum mysteriis Boehmianis
concordant, et eiusdem commatis sunt. Statuit enim: spiritum aeterni-

Vvv v 2 tatis

v) P. III. c. 19.

x) loc. cit.

a) l. c. p. 902.

y) Statu Eccles. et Schol. apud Batauos P. II.

b) Polyhist. T. I. L. II. c. 5. §. 63. p. 361. seqq.

P. 344.

c) Francofurti 1715. 8. vid. Relat. Innoc. 1715.

z) DiQ. T. III. art. Kuhlmann, add. Relat. In-

noc. 1711. p. 755.

p. III. PFAFF. Hist. Lit. P. II. p. 382.

tatis esse essentiam essentiarum et causam causarum; Patrem esse monadem, Filium dyadem, Spiritum S. triadem; mundum primum et aeternum a Deo creatum haud esse, sed genitum exclusumque ex Deo, adeoque substantiam esse purissimam. In hoc mundo aeterno esse millies millia spirituum simplicissimorum, ab angelis diuersorum, cum hi ex formis naturae aeternae facti sint: illos enim esse purissimos, supernaturales et abstractos spiritus, exeuntes a patre, vnitate summa fonteque spirituum: inter eos autem septem reliquis anteire. Huc autem omnem philosophiam suam reuocat ^d, vt septem illi spiritus archetypi in sophiae vniione, et hinc cum spiritu hominis aeterno resuscitato coniuncti, efficiant magum, philosophum durum, astrologum peritum, chemicum expertum, medicum honore dignum, theologum beatum, verumque Christi discipulum. Cuius sapientiae alumnos tota illa societas, quae Philadelphiensis nomen sibi arrogauit ^e, comprehendit, de quibus videndi, qui res ecclesiae superioris seculi enarrarunt ^f, vel mysticorum historiam literariam exposuerunt, G. ARNOLDVS ^g et PETRVS POIRETVS ^h. Solet etiam inter Boehmii af-

*Io. Iac. Zimm.
mermann.* feclas referri IO. IACOBVS ZIMMERMANNVS, pastor eccliae Bietighemensis, in agro Wurtembergico, qui ob dogmata Paracelsica, Boehmiana, et similia munere exutus strenue pro causa Boehmii pugnauit, tandemque cum familia ad Batauos recessit, apud quos ipse Roterodami obiit, reliqui in Pensyluaniam transfretarunt, de cuius scriptis fatisque inter se comparandi FRIDERICVS BRECKLINGIVS ⁱ, ANDREAS CAROLVS ^k, Cl. FISCHLINVS ^l, aliique.

*Aduersarii
Boehmii.*

§. XXVII. Quemadmodum amicis et sectatoribus Boehmius non caruit, ita magnus quoque eorum numerus est, qui inimicis in eum signis insurrexerunt, et fanaticismi, enthusiasmi, ipsiusque atheismi eum accusarunt. Quos enumerare eo minus opus est, quo minus plerique in hunc campum possunt adduci, eo quod theologicis armis contra illum in aciem processerint. Multos nominant ARNOLDVS ^m et PFAFFIVS ⁿ, qui consulendi. Inter hos sunt, qui praeter enthusiasmi notam atheismum Boehmio obiiciunt, eo quod Deum esse mundum expansum, exque Deo emanare omnia statuerit, sicut mundum in Deum conuerterit. Id quod tam impium visum BVDDEO ^o, vt Spinozismi eum reum ageret, in quo praeceuntem habuit ABR. HINCKELMANNVM ^p. Recte tamen et distincte de hac accusatione statuendum est. Et ipsum quidem, quod ei obiicitur, dogma, omnia ex Deo emanare, omnium rerum essentias in Deo consistere, redire omnia in Deum, toties ingeminavit commendauitque Boehmius, vt laterem lauare

cen-

^d) l. c. p. 506.

^e) Vid. IAEGER. pec. Diff. de Societate Phil. adelphiensi inserta Hist. Eccl. Sec. XVII.

^f) ARNOLD. l. c. p. 652. P. IV. p. 377. WEISMANN. Hist. Eccl. T. II. p. 1106.

^g) Descript. theor. myst. p. 385.

^h) Bibl. myst. select. p. 174. 176.

ⁱ) Apud ARNOLDVM l. c. P. III. p. 775.

^k) Innocentia Wurtenbergica p. 50.

^l) Memor. Theol. Wurtenberg. Suppl. p. 250.

^m) l. c. p. 650.

ⁿ) l. c. P. II. p. 361.

^o) Isagog Bibl. theor. p. 1371.

^p) In detect. fundam. Boehm.

cēfendi fint, qui verbis eius sensum magis commodum affingunt. Supra enim obseruatum, totius systematis Boehmiani fundamentum id esse, et sine eo consistere non posse. Ast qui Spinozismum ex emanatiō Systemate exsculptū, nimirū sunt. Ille enim vnam tantum substantiam certis tantummodo modificationibus distinctam, nempe rerum vniuersitatem, Dei loco agnoscit, hoc posita diuinitate, res omnes ex ea emanationis lege effluxisse statuit. Quo pacto licet res omnes ex essentia diuina participant, sua tamen substantia peculiari gaudent, et formaliter a fonte suo differunt, suos quoque essentiae et perfectionis gradus, et limites diuersos habent. Et ita quidem Deus cum creatura, causa cum effectu non confunditur, nec emanatiō systemati atheismus potest obici: ast parum leuius id errare fatendum quoque est, cum non minus periculofum deismum inuoluat, essentiam Dei simplicissimam in partes discindat, et omnia diuinitatis particulis replete. Quod omni fere aetate maximas veritati diuinae infidias struxisse, exempla tot philosophorum emanationis hypothesin admittentium cōprobant. Ex quo tandem, nobis non praeēuntibus Lector ipse sententiam de schola Boehmiana dicere poterit.

§. XXVIII. Longe elegantius ornatiusque hanc scenam instruxit *Io. Baptista Helmontius*.
IOANNES BAPTISTA VAN HELMONT, toparcha in Mērode, Royenborch, Oorschot, Pellines, medicus superiori seculo celeberrimus. Cuius vitae historiam attentione dignam ne ignoraremus, ipse cavit; duobus enim locis scriptorum suorum rerum suarum circumstantias descripsit, quae diligenter inter se comparanda, et quae Filius Franciscus Mercurius Helmontius de vitae eius exitu in literas retulit adiicienda sunt, quod neglexisse ARNOLDVM, WITTENIVM, REIMMANNVM^{q)}, qui res eius attigerunt, merito miramur. Natus est Ioannes Baptista Helmontius, ex antiqua generosaque prosapia^{r)}, Bruxellis anno clo 1577, fratrū ac fororum postremus. Puer indolem excitatam, ingeniumque praecox, quodque tritam viam deserere auderet, demonstrauit, triennis autem calamitosissimo Belgii tempore anno clo 1580 parentem amisit, cumque filiorum postremus esset, in studiis educatus est. Quibus tanta alacritate mentisque contentionē insudauit, ut annos natus septemdecim philosophiae cursum iam absoluueret, eosque doctrinae profectus demonstraret, quibus permoti professores medicinae Louanienses eum elegerunt, qui lectiones chirurgicas in collegio medicorum paelegeret. Quanquam autem fatetur, temerarie se et incogitanter egisse, ea docere praeſumens, quae non intelligeret, ad eius tamen temporis consuetudinem se attemperauit, qua auctorum opiniones

Vvv v 3

nullo

^{q)} In Confessione T. I. Opp. p. 9. edit. Lugd. vnde repertī WITTENIVS Meinor. Med. p. 125. ARNOLDVS H. E. P. III. c. 8. p. 71. REIMMANN. Hist. liter. Germ. Vol. III. p. 437. et tum in Tumulo pefis T. II. Opp. p. 146.

^{r)} In Praefatione Opp. parentis praemissa.

^{s)} II. cc. FREHERVS Theatr. p. 1374. quine gligentissimus hoc loco est.

^{t)} Arma gentilitia exhibet titulus.

nullo fere delectu habito iuuentuti proponebantur. Erat autem librorum heluo et notabilia cuncta in locos communes redegerat, ita vero diligentia eminebat, vt a paucis superaretur. Mature vero perspexit, quam longe a vera eruditione abesset, cognovitque, quam mire ab arrogantia professorum iuvenes creduli simplicesque deciperentur. Contraxit itaque se in calculum, vt suo iudicio cognosceret, qualis quantusque philosophus esset, et an ad veritatem adspirauisset. Quod examen cum candidate suscepisset, comperit se litera inflatum, et plane nudum, nisi quod artificiose altercari didicisset. Qua re ita aperti sunt Helmontii oculi, vt se nihil scire intelligeret. Et astronomiae quidem haut leuem operam impenderat, quod in argumento physico aliquid scientiae promittere sibi videretur: logistica quoque et algebra, loco oblationis, quoties taedium lectio adduxerat, coluerat: hisque Euclidis elementa iunxerat, et *Cyclognomicam CORNELII GEMMÆ*. A quo cum Copernicum vnicce commendari videret, non destiterat, donec eundem sibi familiarem fecisset. At cognitis eccentricitatibus, coelorumque gyris, cognovisse se, ait, non impenso tempore dignum fuisse, quicquid de coelis acquisiuisse praesumisset. Coepit itaque astronomiae quoque studium apud eum vilescere, quod parum certitudinis ac veritatis promitteret, inania vero suppeditaret quam plurima. Indignatus ergo suae ignorantiae, magistri artium titulum recusauit, cum ne vnam quidem artem secundum veritatem, sed secundum apparentiam tantum, didicisset. Hincque factum, vt omnis, quae in scholis tradi solet disciplina Helmontio per omnem vitam valde forderet, isque in illam, quocunque loco posset, inueheretur. Id quod mire quidem placuit G. ARNOLDO eandem vbiique tibiam inflanti, recte autem, nisi fallimur, ex intolerabili fastu, quo praeter se atque sua omnem eruditionem Helmontius deprimit atque contemnit, et se solum sapere putat, colligitur, animi typhum eum seduxisse, vt non vanitatem tantum disciplinarum nonnullarum, sed omnem quoque eruditionis orbem fastidioso sperneret animo, ratus se ad excitandas scientias meliores a Deo esse missum. Id quod vidi notauitque in Helmontio HIERONYMVS HIRNAYM^{u)}, qui non ineleganter ita de eo pronuntiat: *Plures Helmontium voluerent, nisi stilo tam arrogant et supercilioso scripisset. Imprimis enim tanquam a Deo ad reformandam philosophiam simul et medicinam, ad penurias ut vocat, scholarum caecitates et credulam ignauiam corrigendam esset vocatus ac delegatus, dicit se veritatem docere compulsum, et nouam condere philosophiam, ac omnia pene rescindere a prioribus tradita.* Sed audiendus porro de vita suae ratione et studiorum modo Helmontius. Is ad Iesum Dei filium conuersus orauit, ipsum vocaret, quo videretur. Docebant eo tempore Louanii philosophiam Iesuitae, rege licet, proceribus et academiae doctribus ipsoque pontifice Clemente VIII inuitis. Apud quos cum Martinus

u) *De Typho humani generis c. XV. p. 165.* probante I. F. BVBEG Isagog. P. I. p. 22.

nus Delrio disquisitiones magicas exponeret, huic praceptorū adhaesit: at pro messe se solas, ait, stipulas inanes rapsodiaque pauperrima collegisse, iudicio priuatum. Ad moralem itaque philosophiae partem conuersus, cuius illi sensum quandam Seneca et Epictetus iniecerant, hanc esse iudicauit, quam graui silentii iugo redimendam Pythagoras censuisset. Placuit quoque austerioritas persuaso, paucis mutatis Capucinum esse Stoicum Christianum, aeternitatis quoque arrisit studium, sed rigidorem sectam renuit valetudo tenerior. Scriptis Thomae Kempis et Tauleri autem excitatus Dominum rogauit, ut vires daret ad amandam sectandamque veritatem nudam. Mire autem cum se per Stoicam philosophiam in perfectione Christiana profecisse crederet, ecce somnio ab ea reuocatur. Enarrabimus illud ipsis eius verbis, cum memorabile et accuratum de Stoica ethica iudicium suppeditet. *Videbar, scribit, factus bulla inanis, cuius diameter a terra in coelum usque vergeret: superne enim eminebat sarcophagus, inferne vero loco terrae abyssus erat obscuritatis: horruim immensum, simulque excidi extra omnem rerum, meique notitiam. Ad me vero rediens, intellexi unico conceptu, quod in Christo Iesu viuimus; mouemur et sumus, quodque nemo vel nomen Iesu ad salutem dicere, sine peculiari gratia Dei possit; quod continue orandum sit, et ne nos inducas in temptationem. Datus est mihi nimirum intellectus, quod sine peculiari gratia, ad quaslibet actiones, non nisi peccatum nos expectet. Quo conspecto, et saporabiliter cognito, admiratus sum priores meas ignorantias, et cognoui, quod Stoicimus me, inanem et tumidam belluam; inter abyssum inferni et mortis imminentis necessitatem detineret. Cognoui, inquam, hoc studio, specie mediocritatis fieri me arrogantissimum, quasi libertatis arbitrio fretus, gratiae diuinae renunciarem, ac quasi, quae vellemus, per nosmet ipsos efficeremus. Absit tale nefas, dixi: quapropter istam blasphemiam paganismo quidem indulgendam, at Christianum dedecere censui, adeoque philosophiam Stoicam hoc titulo odibilem censui.* Qui locus eo magis memorabilis esse videtur, quo clarius docet, quid documenti afferant μετέωρα moralia, et pracepta superba humanae sapientiae, et quo elegantius eos sobrie in argumēto morali versari iubet, quibus austerioritas philosophiae et virtutis Stoicae etiam in doctrina Christianorum morali est commendatissima, et qui supra humanae naturae conditionem sapiunt. Quales sibi visos esse Taulerum et Kempis Helmontius haud obscure innuit, quo iure, quaque iniuria? Christianis doctoribus definiendum relinquimus Horum itaque Helmontius pertaefus, ad leuandum lectionis taedium, antīnum ad herbarum cognitionem aduertit, et Matthioli atque Dioscoridis libros euoluit, qui cum nec usum certum, nec effectuum stabilem caussam exponerent, ipsi quoque nauseanti Helmontii animo euiluerunt. Idem sibi in Galeno et Aucenna accidisse fatetur, cum ex eorum lectione didicisset, veram medicinam non ex hominum libris, sed a Deo esse percipiendam. Medicae artis

artis incertitudine delusus, ad populorum mores, principum placita, iusque atque leges animum traducere cupiens, miris omnia fluctibus iactari vidit, et tam difficultem aliorum gubernationem, ut suae vix sufficeret. Animi tamen inclinatione propendens in rerum naturalium placidissimam cognitionem, medendi institutiones apud veteres Graecos et Arabes, et apud recentiores obuios legit, examinavit, et notabiliora per locos communes annotauit. Ast relegens omnem thesauri collecti copiam, suae se egestatis puduisse, insumtique laboris piguisse ait. Idem illi accidit, cum medicum artis salutaris praxin facientem comitaretur; nec enim certi quicquam se de morbis statuere nouisse, ait, et regulas medicorum falacissimas deprehendisse. Conuersus itaque ad preces, doluit, primum se, renitentibus suis ad incertissimam vanamque medendi artem animum adiecisse, rogauitque Deum, ad eam vocationem se duceret, quae ipsi placeret, obsecuturum se pro possibili, quoconque vocaret. Haereditate vero inter viuos distributa, et ex parte forori inscripta, cum se vbiue frusta et inutiliter egisse deprehenderet, medicinam deferere et peregre proficiisci statuit, excitatus somnio quodam, quo totum vniuersum, tanquam informe aliquod chaos et merum nihil vidiit, addita voce, monente, vt, cum omnia nihil sint, apud Deum veram sapientiam quaereret. Iter ingressus, quo magis medicinam detestabatur, ac velut imposturam a se abiiciebat, eo maior illi se suppeditabat medendi occasio. Nempe ab homine idiota quodam, qui se illi sociauerat, pyrotechniae, id est, chemiae quaedam manualia discebat, et vt erat acumine praeditus, mox penetrare quorundam corporum per ignem inspexit, comprehenditque multorum separationes in libris nondum traditas, quo pacto valde creuit discendi auditus. Comparata vero supellestile chemica, abdicauit libros omnes, senitusque, vt scribit ipse, se per ignem plus proficere, in conceptis orando acquisitis, quam libris quibuslibet, cantum semper cuculi eundem canentibus. Ita factus philosophus per ignem, quo nomine se ipse appellare solebat, totus in hanc artem incubuit, nec obstaculis, quae innumera apparebant, absterreri se passus est, nec laborem, aetatem, vigilias, nummorum dispendia pertimuit. Neque symposia, neque Venus ullam ei horam subtraxerunt, quo minus totus dies noctesque huic operae inuigilaret. Ut vero diuinae benevolentiae successus fauentiores experiretur, pauperes et mediocris fortunae homines lubens sine mercede sanauit, tanta pertinacia, vt eum confessionarius, quem vocant, cogeret cuiusvis offerentis pecuniam admittere, ne secus faciendo fores illis praecluderet, qui pudore praepediti non auderent auxilium eius vterius inuocare, iuberetque ea, quae medendo acquisiuisset, inter pauperes distribuere. Auaritiae tamen surculum in diuitium sanationibus non sine pugna euellere se potuisse fatetur, eamque ob cauffam Deum implorauisse, eum autem media ipsi praescidisse, ita, vt licet in aula Rudolphi imperatoris amplae fortunae illi promitterentur, ea res in vanum abiret. Aliter autem

autem ipsi prospexit diuina prouidentia, vxorem enim piam atque nobis
iem ei dedit, cum qua Viluordiam se subduxit et totum se arti chemicae,
(pyrotechniam vocat) immolauit, pauperumque calamitatibus subuenit.
Quod facile ab eo fieri potuit, cum ex vxoris haereditate amplissimae ad
eum facultates accessissent, licet non nisi litibus intercedentibus earum
possessionem recuperauisset. Conqueritur autem praepotentes ad infamiam et occultam necem sub pietatis inuolucro eum fuisse persecutus ^{x).}
Nec a vero absimile, cum sine mercede curationes institueret, multos ad
eum concurrisse, morborum remedia implorantes, at, annon arrogantius
scriperit: *Se quotannis aliquot myriades infirmorum sanare suis reme-
diis non desistere, nec proinde minui sua pharmaca,* Lectori expenden-
dum relinquimus. Ita vero et arti et proximo seruens mortem sibi acci-
uit ^{y).} Ab aegrotis enim aliquando in nebula gelida domum reuersus,
pleuritidem sibi contraxit, suis tamen medicaminibus incolumem se re-
stituit. Sensit tamen imbecillitatem vitae viriumque ex febris recrude-
scents insultu, adeo ut pridie exitus sui erectus adhuc amico Parisios scri-
beret, coniicere se, non ultra viginti quatuor horarum spatium, vitam
suppetiturum. Id quod factum; eruptus enim est rebus mortalium III.
Cal. Ian. anno clo I C X L I V. Ex qua narratione filii liquet, falsum esse
P A T I N V M ^{z)} afferentem, Helmontium, qui venaelectionem impro-
babat, cum pleuritide infestaretur, ea neglecta phreneticum obiisse. Ma-
gnas fuisse Helmontio patri ingenii dotes, acumen insolitum, experien-
tiā multam, nemo negauerit, qui res eius nouit, nec aduersarii hanc
ei gloriam denegare audent: communis autem medentium plausus multi-
fariam eius eruditionem extulit ^{a).} Qui si parcus veteres castigasset, si a
satyra scribenda et inuectiuis in alios, partes suas non sequentes abstinu-
set, si modestius sua laudaslet, longe maiorem famam ab omnibus retu-
lisset. Inerat enim ei vis ingenii acerrima, et artis chemicae peritia sin-
gularis, nec a literarum ornatu destituebatur, ea vero felicitate medendi
fruebatur, vt miraculosas curationes instituisse dicatur illis, qui hominem
nouerant. Id quod agnouerunt viri docti, etiam ex medicorum filiis,
qui licet haud pauca in eo reprehenderint, eum tamen ob doctrinam at-
que experientiam mirifice extulerunt, et Verulamio, Boyleo, Galilaeo,
Cartefio aliisque seculi XVII heroibus iunxerunt ^{b),} quorum loca, ne ni-
mii simus, hic non adducimus, legi autem apud THOM. POPE-PLOVN-
TIVM ^{c)} et G. ARNOLDVM ^{d)} possunt. Maxime vero inter laudes eius
extollitur, quod arcani *χρυσοποιοῦ* particeps fuerit, id quod tot viri docti
afferue-

x) Multa de sua constantia in contemnendis
persecutionum imbris ab academiis excitatis
gloriatur, de Lithiasi c. 8. §. 2. T. II. Opp. p. 45.

y) Filius in Praef.

z) Lettr. III. p. 12.

a) THOM. BARTHOLIN. Epist. med. cent.

IV. Ep. 73. p. 429.

b) RAPIN Reflexions sur la philosophie p. 54.

c) Cens. cel. auct. p. 955.

d) loc. cit.

afferuerunt, vt crederet *BVDDEVS*^e, Helmontium, licet lapidis parandi mysterium non intellexerit, puluerem tamen hunc effectum producentem, habuisse. Hanc vero artis suae felicitatem liquoris Alcahest adscripsit Helmontius. Quem primaeum illud principium esse putat, ex quo omnia orta sint, et sal summum esse praedicat, ignem et aquam, cunctaque ait corpora penetrare, et subtilia reddere atque transmutare, separare lumen a vegetabili, hocque in distillabilem succum mutare, carbones in liquores diaphanos vertere, et sophiae processu parari posse. Quae quamvis satis certe visa sint Helmontianis sectatoribus, valde tamen suspecta sunt D. G. MORHOFIO^f, eo quod liquor ille nemini mortalium, qui cognitus quidem sit, fuerit ostensus, immo ne ipsi quidem filio Francisco Mercurio, vñquam visus sit: ignotus autem fuerit veterum scholae chemicae, primusque memoratus Paracelso, ita tamen, vt si rem ipsam consideres, repugnare omnino rerum naturae videatur. Vnde illorum sententiae accedit, qui hoc sophisma putant medicum, quo nouae doctrinae suae gratiam aliquam conciliare voluerint, tam Paracelsus quam Helmontius, longe isto speciosior in adstruendis liquoris sui Alcahestici dotibus. Qua de re medicorum filiis iudicium relinquimus. Quanquam autem minime proletaria eruditionis copia et lectione haud contemnenda abundabat, adeo tamen omnem, quae in scholis addiscitur doctrinam contemnebat, vt ne conuiciis quidem parceret, magnoque supercilie omnia despiceret, quae non diuina quaedam illi philosophia suggerisset. Inde factum, vt nouum sibi systema tum philosophico-medicum tum theologicum effingeret, quod nouis paradoxis, et insolitis dogmatibus scatet. In eo multa quidem a Paracelso accepit, eum tamen in haud paucis deseruit, ratus, vidisse eum multa, at in ipsa naturae adyta non fuisse admissum. Singularia autem et inaudita cum sequeretur, mirum haud est, innumeris eum contradictiones fuisse passum, et imprimis medicos plerosque eius hypothesibus fuisse offensos^{ff}. Ita v. g. ferre non potuerunt, damnari ab eo venae sectiones^g, tribuique inter viscera duumuiratum^h ventriculo et lieni. Ut alia taceamus medicis ignota et suspecta, Helmontio vero laudatissima, de quibus videsis REIMMANNVMⁱ. Eundem se in theologia praestitit, licet enim totus pietatem spiraret, vetera tamen illi omnia forduerunt, et ne doctrinam quidem Christianam ita probavit, vt non nouum illi vultum effingeret: de quibus tamen eius placitis hoc loco plura dicere nihil attinet; enumerat autem ea E. D. COLBERGIVS^k, qui adeundus, et comparandus cum G. ARNOLDO^l. Quo tamen facile conce-

e) Diff. an Alchymistae in Rep. sint tolerandi §. 14.

f) Polyhist. T. II. L. II. P. I. c. 10. §. 2. p. 201.

ff) Vid. BARTHOLIN, de Pulmon. sect. III. p. 20. filius Cent. I. Epp. med. 79. p. 311. P. AMMANN. Medicina crit. Praef. p. 8.

g) Io. MAVRIT. HOFMANN. de Venaeffect. necessit th. 30. 37.

h) CONRING. Introd. in art. med. c. II. §. 23. SCHELHAMMER ad h. l.

i) loc. cit.

k) Christ. Plat. Herm. P. I. p. 197. 201. add. FECHT. Noct. Christ. p. 926.

l) loc. cit.

concedimus, verum esse, quod de Helmontio narrat Io. CARAMVEL LOBKOWITZ^{m)} his verbis: *Noui hominem, fuit pius, doctus et celeber: Galeni et Aristotelis iuratus hostis, sub quo aegri non laborabant diu, nam secunda aut tertia die carebant vita aut morbo. Vocabatur praecepit ad illos, qui ab aliis medicis deserebantur, e quibus non paucos restituit, vel freudentibus illis, a quibus fuerant condemnati. Nam nec nostra aetate defunt, qui Helmontianis medicaminibus mirificas virtutes tribuunt*". Collegit scripta Helmontii filius Franciscus Mercurius, quae diuersis locis prodiereⁿ⁾, Germanico quoque habitu, curata ab amico filii et Helmontianae disciplinae admiratore CHRISTIANO KNORRIO A ROSENROTH^{p)}.

§. XXIX. Helmontiana physiologia tota, ut omnis eius disciplina, *Physiologia* paradoxa est, paucis autem thesibus vix comprehendi potest, et lectorem *Helmontii* poscit valde attentum, ob rerum difficultatem, et dictiois obscuritatem. *patris.* Vedit id ipse Helmontius, et excusat, timens ne taedium lectori subdatur, *si forte noua atque paradoxa infestent magis, quam vera oblectent.* Ne tamen abeamus *ἀσύμβολοι* praecipua Helmontianae physicae dogmata paucis, qua licet breuitate enarrabimus. Statuit autem ita:

I. Omnis caussa efficiens physica, non est externa, sed interna, effensualis, in natura^{q)}.

II. Constitutuum, effienter instituens, caussans intrinsece, perfectiue atque per se est archeus.

III. Omne corpus naturale non alia requirit, quam corporea initia, plerumque mutationi ac vicissitudini dierum obnoxia, non autem natura confitat hyle indefinita, ac impossibili, nec priuatione.

IV. Sunt itaque caussae rerum tantum duae, una efficiens, altera materialis.

V. Res singulae in natura succum aliquem genericum desiderant pro materia, ac denique feminine, efficiens, disposituum, dirigens principium internum generationis, ex harum duarum caussarum connexione desumenda est definitio.

VI. Materia ex qua, aqua est, initium autem per quod, fermentum seminale disposituum, unde mox producitur semen in materia.

VII. Materia acquisito semine, fit eo ipso vita sive materia illius entis media, discurrens in rei vtriusque periodum, sive materiam ultimam.

VIII. Est autem fermentum, ens creatum, formale quod neque substantia, neque accidentis, sed neutrum, per modum lucis, ignis, magnalis,

Xxx x 2 forma-

m) In Catalogo operum apud DE VISCH
Bibl. Ordin. Cisterciens. p. 187.

n) Pertinet huc Io. HENR. COHAVSEN Ar-
cheus febrium faber, Amst. 1731, itemque Hel-
montius ecstasicus, sive visa medicaminum pote-

stas ab Helmontio somnante. Vid. Jurnal literai-
re T. XVII. P. I.

o) Amstelod. 1648. 1652. 4. Venet. 1651. f. Lugd.
1667. f. qua nos vtrum.

p) Vid. MERCKLINI Lind. renou. p. 558.

q) Opp. T. I. p. II. seqq.

formarum etc. conditum a mundi principio in locis suae monarchiae, ut semina praeparet, excitet et praecedat.

IX. Haec fermenta dona et radices sunt a creatore domino stabilitae in seculorum consummationem continua propagatione sufficientes, atque durabiles, quae ex aqua semina sibi propria excident atque faciant.

X. In est locis ordo quidam diuinitus inditus ratio quaedam et radix immutabilis producendi statutos quosdam effectus siue fructus^{r)}.

XI. Aqua est vnica rerum caufsa materialis, quatenus initii naturam in se habet, in modo, puritate, simplicitate ac progressu initiandi, prout et in termino dissolutionis, ad quem cuncta corpora per materiae ultimae reductionem redeunt.

XII. Ignis non ad generationem, sed ad destructionem datus est, nec eius origo seminalis est, sed peculiaris, estque res inter creatu singularis una et impar.

XIII. Caufiarum efficientium in natura aliae sunt efficienter efficietes, aliae effectiue: prioris classis sunt ipsa semina, horumque dispensatores spiritus; posterioris sunt ipsa hospitia atque organa feminum proxima, qualia sunt fermenta externa materiae dispositiva, in alteritatem transmigrationes.

XIV. Omne agentis naturalis consilium non alio fine agit, quam ut disponat materiam sibi substratam ad scopos sibi cognitos saltem determinatos pro generatione.

XV. Singula vtut dura et opaca tamen ante sui istam soliditatem claudunt in se auram, quae ante generationem femini hactenus foecundo internam futuram generationem adumbrat, et generatum ad finem usque scena comitatur. Et haec caufsa efficiens interna archeus vocatur.

XVI. Constat archeus ex connexione vitalis aurae velut materiae, cum imagine seminali, quae est interior nucleus spiritualis, foecunditatem feminis continens: semen visibile autem huius tantum est filius.

XVII. Archeus generationis faber ac rector se ipsum vestit statim corporali amictu: in animatis enim perambulat sui feminis latebras omnes ac recessus, incipitque materiam transformare iuxta imaginis sui entelechiam; praeses demum manet curator rectorque internus finium in obitum usque^{w)}.

XVIII. Omnis conclusio opinionem duntaxat inducit, non demonstrationem.

XIX. Necessario in nobis praexistit cognitio conformitatis terminorum in syllogismo ante conclusionem, adeo ut in generali praescierim id, quod in conclusione demonstratur, et tantum in apricum producitur.

XX. Co-

r) p. 23. seq.

affirmauisse, conf. MORHOV. Polyhist. T. II.

s) Notum, Thaletem hanc sententiam primum

p. 362. 401.

t) p. 25.

u) p. 26.

XX. Cognitio quam per demonstrationem haurimus, iam prius in nobis erat, et tantum per syllogismum fit paulo distinctior, sed tamen remanet, ut ante, dubio annexa, quia conclusio sequitur debiliorem partem praemissarum.

XXI. Cum scientia lateat sub cinere in intellectu, hic potest eum discutere, nec opus ad hoc habet modis et formis syllogisticis.

XXII. In praemisis non clauditur necessario conclusionis cognitio.

XXIII. Syllogismus non potest inuenire scientias, sed eas tantum clariores facit.

XXIV. Verae scientiae sunt indemonstrabiles, id est, non possunt profici a demonstratione.

XXV. Logicalis inuentio mera est resumtio eius, quod prius erat scitum.

XXVI. Logicae ergo usus est tantum, ut docens queat suam opinionem imprimere distincte in audiente, et ut audiens per connexionem reminiscientiam excitet.

XXVII. Physica Aristotelis et Galeni ignara est, sed quaerenda sunt praecepta solidiora.

XXVIII. Initio rerum coelum, terra et aqua omnium corporum deinceps nascendorum materia creata est: aqua autem in coelo continebatur, quod auram simul complectitur ^x.

XXIX. Ignis ex elementorum numero relegandus est, nusquam enim creatus legitur.

XXX. Terra non est pars mixti, nec mater corporum sed matrix.

XXXI. Aqua et aer nihil quicquam aliud in se conuertunt.

XXXII. Terra initio fuit continua et indiuisa et unico fonte irrigabatur: in diluvio demum in varias sectiones hiscebat ^y.

XXXIII. Aer et aqua inter se nunquam permuntantur.

XXXIV. Globus ex terra et aqua compositus, rotundus quidem est, ab ortu per occasum in ortum, sed teres siue ovalis figurae.

XXXV. Inter initia physica gas et blas, veteribus incognita, necessario obtinent. Gas exhalatio aquae est, a frigore Mercurii eleuata, magis magisque subtilis reddit a exsiccante sulphure ^z. Blas autem est motus localis et alteratiuus stellarum ^a. Et haec duo initia meteororum sunt.

XXXVI. Datur vacuum in aere, ex demonstratione mechanica per ignem.

XXXVII. Aeris porositates, vtcunque sint actualiter omni materia expertes, habent nihilominus in se ens creatum, reale, non locum nudum, sed quod est inter materiam et spiritum incorporeum plane medium, adeoque nec substantia nec accidens, sed neutrum: idque magnale vocatur.

XXXVIII. Magnale non quidem lux est, sed forma quaedam assistens aeri, eiusque velut socia et connubio certo coniugalis.

XXXIX. Corpora, quae mista dicuntur, solius aquae fructus materia-

Xxx x 3 liter

^x) pag. 32.

^y) p. 35.

^z) p. 46.

^a) p. 50.

liter sunt, nec alio elemento opus habent. In solam enim aquam insipidam, sublato semine mercurius ille resoluitur.

XL. Concretorum corporum semina partes similares in sal, sulphur, et mercurium remigrant, et in iis pro illorum exigentia latent, non tamen sensu Paracelsico.

XLI. Nulla rerum seminalis vicissitudo fit citra fermentum, quod mas-
sam semine impraeagnat ^b.

XLII. Sunt autem duplia fermenta in natura, vnum quidem in se continet auram fluxibilem, archeum semifinale, qui suo fluxu in animam viuentem adspirat; alterum vero solum continet initium motus siue generationis rei in rem.

XLIII. Ille, qui res omnes ex nihilo fecit, hodie quoque cunctorum viam, originem, vitam, et perfectionem creat, licet causae secundae ope-
rentur velut partiales ^c: hinc formae ex nihilo a Deo creantur.

XLIV. Deus est vera, perfecta et actualiter omnis omnium essentia,
esse autem, quod res habent est entis, non autem Deus ^d.

XLV. Initio generationis archeus nondum est luminosus, sed est au-
ra, in quam forma, vita vel anima sensitiva generantis parumper nituit,
donec sufficienter sui fulgoris sigillum aliquod umbratile impressisset ^e.

XLVI. Aura haec, aida splendoris sensati in generante semel ac um-
bratiliter in se concepti, intendit via omni sibi possibili, corpus organi-
zare, ad receptionem illius luminis et actionum ab illo lumine depen-
dientium.

XLVII. Huc ergo anhelans desiderando, se ipsum magis magisque accen-
dit, curritque perfectissime, ut suscipiat istud lumen formam siue vi-
tam. Quam tandem non aliunde acquirit, quam ab eo, qui vita est, ve-
ritas ac lumen vitale: sieque formas accipit a patre lumen, postquam ple-
ne est fructus suis muniis. Et sic Christiana philosophia dictat.

XLVIII. Archeus iam conceptus ubique vitae custos, et transmutatio-
num promotor manet, eiusque mutationem illico vitae suae mutatio a
prima ad ultimam sequitur ^f.

XLIX. Consonant quidem archei, quatenus vitales splendorem aliquem posseident: attamen non se mutuo recipiunt, ne illorum turbetur regimen et ordo.

L. Vicissitudo in natura non ex materiae appetitu, sed ex potestate effi-
cientis Vulcani est ^g.

LI. Corruptio est dispositio quaedam materiae, a fatigente rectore Vulcano derelictae, adeoque non priuatio est, sed caussis constat positius.

LII. Fermenta aliena praeficiuntur corruptionibus cunctis perque fer-
mentorum alteritates omnis inchoat corruptio ad gradum sensim ac fasti-
gium ascensit, ac tandem adepta periodum terminatur. Alia enim diffla-
to naturae balsamo pereunt, alia non nisi prius excitata putredine.

LIII.

b) pag. 69. seqq.

c) p. 81.

d) p. 83.

e) p. 87.

f) p. 93.

g) p. 95.

LIII. Natura nescit, nec admittit suo voto contraria ^h.

LIV. Duplex blas est in homine, vnum, quod naturali motu, alterum vero voluntarium, quod per internum velle fibi motor existit. Hoc pri-
mum mouens voluntas est ⁱ.

LV. Calor efficienter non digerit, sed tantum excitatiue, adeoque non est proprium digestionis organum, sed fermentum stomachicum ^k.

LVI. Timor domini initium, finis ultimus sapientiae autem caritas ^l.

LVII. Anima nequit se ipsam apprehendere per rationem, neque per imagines. Veritas essentiae enim, et veritas intellectus se penetrant in unitate et identitate, ideoque intellectus res immortalis est.

LVIII. Cum luminum vitalium sint plura genera, lumen mentis est sub-
stantia spiritualis, vitalis et luminosa creatura ^m.

LIX. Qui identitatem nostram cum Deo immenso fingunt, aut nos partem illius totius dicunt, athei sunt.

LX. Intellectus habet fibi coaequaliter atque substantialiter colliquatam et unitam voluntatem intellectuam, non quidem quae sit potestas vel accidentis, sed ipsum lumen intellectuale, substantia spiritualis essentia simplex indiuisa, ab intellectu separata per suppositionalitatem sui esse, incomprehensibili modo et non in essentia ⁿ.

LXI. In mente pariter tertium est amor, seu desiderium amandi et placandi, illis aequale, et simplex in unitate substancialia. Non autem ille amor est actus quidam voluntatis, sed procedit simul ab intellectu et voluntate substancialibus tanquam distinctus et glriosus actus.

LXII. Mens est actus unus purus simplex, formalis homogeneus, indius et immortalis, in quo proxime Dei imago incomprehensibilis, incomprehensibiliter essentialiterque consistit, mentemque format, adeo ut in ista imagine omnes potestates nedum deponant naturam attributorum, verum suas suppositionalitates colligant in unitatem indistinctam.

LXIII. Intellectus est ita lux mentis, ut ipsa mens sit intellectus merus, lucidus, adeoque a corpore separata videt et sine cerebro intelligit.

LXIV. In corpore intellectus corporalibus organis obligatus et per suam sedem animae sensitivae in profundum corruptae naturae demersus vim qualificatiuum assumit, quae imaginatio dicitur.

LXV. Imaginatio non habet species intellectivas, quas non hausit ab obiectis sensibilibus.

LXVI. Ideo vis intellectiva, quae cum animae sensitivae functione phantastica concurrit, sequitur organi indolem, atque vitae sensitivae arbitrium ^o.

LXVII. Ordinaria fabrica discursuum est circa os stomachi anima enim cogitat in praecordiis.

LXVIII. In cerebro est sedes memoriae, ab anima impressa.

LXIX.

^h) p. 100. ⁱ) p. 112. ^k) p. 124. ^l) p. 164. ^m) p. 165. ⁿ) 167. ^o) p. 171.

LXIX. Intellectus est de essentia animae, voluntas et memoria sunt facultates caducae et vitae sensituae.

LXX. Intellectus radiat luminaliter in caput, medio tamen corporalis connexionis, per spiritum aereum.

LXXI. Intellectio orta per inuentionem atque iudicium fit in cerebro per affluxum radii e praecordiis ^p.

LXXII. Nempe sedes animae est in stomacho, praeferit eius orificio, tanquam centrali puncto atque radice ^q.

LXXIII. Quia mens proxima diuinitatis imago est, idcirco nihil proprie principaliter atque intime cogitat, contemplaturque, nisi primam illam unitatem, et reliqua cuncta propter eandem: quamdiu autem quipiam cogitatur, quod sensibus vel ratione percipi potest, nondum est pura abstractaque mentis notio ^r.

LXXIV. Modus autem eo perueniendi est procul remotus, propter omnimodam abstractionem et proscriptionem omnium rerum creatarum, immo et increati considerationem: fit autem per abnegationem ex sequestratione progredientem, vsque ad omnem mentis actuitatem, quae nempe proin excludit mentis omnem cogitationem et contemplationem, expectatque superne influum lumen gratuitum, nihil agendo, sed tantum tolerando post exhaustam omnem egoitatem ^s.

LXXV. Non propinquius agendo scanditur ad supereminenter solius mentis et abstractam lucis idealis denudationem, quam per orationem silentii in spiritu, in quo deliciae Dei sunt adorari.

LXXVI. Ut autem exercitia prodant quidditatem mentis, id potentius non aliunde haberi potest, quam ab exercitiis spiritualibus, quibus ipsa mens sese extricata connexis conceptibus rerum creatarum, cognitarumque sensuum ministerio.

LXXVII. Desiderium optatusque animae, qui est absque omni egoitate in anima amorosa feruente desiderante, fit per liquationem mentis desiderantis in amore Dei: vnde dependet totalis resignatio sui totius, quod Deo offert, quo excluduntur omnes cogitationes praeter nudum amoris optatum.

Haec ex innumeris, quae coaceruat Helmontius ipsis eius verbis barbariem haud raro prodentibus selegimus, vt de summa philosophiae eius, cum rationalis tum naturalis, tum moralis Lectori constaret. Quae licet theosophicum aliquod sistema p[re]se ferunt, vt ex ultimis assertionibus totaque de mente humana doctrina luculenter patet, scholarum tamen methodum proprius feruant, eosdemque vultus exprimunt. Nec errabimus magnopere a vero, affirmaturi, Helmontium licet magno Scholasticae et Galenicae sectae odio duceretur, attamen philosophiam nobis scholasticam nouo habitu indutam in scenam reduxisse. Certe, eadem dicendi barbaries, eadem notionum nihili, vagarum, et sensu carentium figura, ea-

ta, eadem distinctionum inanum diligentia, eadem disputandi licentia, et quae alia Scholasticae philosophiae vitia sunt, in Helmontianis philosophematis vbique reperiuntur. Et licet ad experientiam multoties prouocet, nec negandum fit, multa eum ignis beneficio detexisse latentia, infeliciter tamen plerumque et *ἀναλόγως* ex iis dogmata deriuat. Maxime vero in Helmontio reprehendendum est, quod ingenio vehementer luxurianti et nonnunquam deliranti totam suam philosophiam inaedificauerit. Cuius manifesta indicia sunt, quod ex somniis animo, post meditationes profundas oblato et ecstasibus, quas se passum esse dicit, principia sua philosophica desumserit; totam autem psychologiam suam statui animi ex gustato Napello deliranti eiusque experientiae inaedificauerit. Quis enim quaeso a delirante, et suo regimine orbato cerebro sanguinum aliquid expectauerit? Reliqua, si pauca quaedam experientia magistra asserta excipias, studium contradicendi scholarum placitis auctori dictauit, quae tamen suppositionalitatibus, quidditatibus, haecceitatibus, egoismis et similibus scholasticorum larvis ipse quoque incrustat. Studium autem nouitatis dum ad abstractas et cerebrinas notiones eum adduxit, huiusmodi principia excogitauit, quae nullibi nisi in febricitantibus Helmontii ingenio inueniuntur, qualia sunt Gas et Blas eius, quibus tamen inuentionibus mire gaudet, licet nec perspicuitatem gignant, nec solidi quid dicant, nec distinctam notionem faciant. Cuius generis quoque archeus luminosus Helmontii est, quem tamen tot viri docti adamant, nempe quod facilius licet incertis, obscurisque principiis admissis, ignorantiam tegere, et de ignotis multa garrire. Qui autem accuratam ratiocinationis seriem postulat, sitiens ab Heli montio, apud quem innumera falorum ratiociniorum genera sunt, quae satis probant, ipsum accuratis et perspicuis distinctisque rerum, quas afferebat, notionibus non fuisse vsum. Quae nobis monentibus, sufficient, ut sententiam Lector ferre queat, quo loco habenda sit Helmontiana sapientia.

§. XXX. Patrem non imitatus modo est, sed coniecturis assertisque paradoxis superauit, eruditione non fuit inferior, filius FRANCISCVS Fr. Mercenarius Helmontius, philosophus per vnum in quo omnia, eremita peregrinans. Hoc enim epitheto ipse vsum est, vt characterem philosophi eo certius dignoscas. Natus est anno c^o l^o c x viii parentique et philosophanti et naturae recessus igne tentanti gnauus adstitit, eadem autem theosophicae doctrinae principia theologica, philosophica et medica afferuit, in haud paucis longius progressus est. Paternarum curationum felicitate vero, et arcanorum chemicorum notitia magnam famam celebritatem nactus est^{c)}, suntque qui tradant, artis *χρυσοποιίαν* non notitiam modo sed facilem quoque vsum habuisse, eiusque specimina in au-

la

c) p. 170.

u) Conf. STELLIVS Introd. in hist. liter. P. I, c. 2. §. 8. p. 79.

Hist. philos. Tom. IV.

la imperatoris ostendisse. Quod vtrum verum sit, hic disquiri non potest, eo quod testium fides examinanda sit, quod huc non pertinet. Et magna quidem ingenii extraordinarii vi et foecunditate gauifum esse Helmontium filium, omnino fatendum est, vnde illa nominis celebritas extitit, quamne summi quidem viri illi denegant *. Accessit linguae Hebraicae insolita cognitione per arcanos quoque libros Iudeorum volutata, vnde factum, vt Cabbalisticæ philosophiae maximum pretium statuerit, et Cabbalae denudatae editionem consilio et re cum Knorrio admodum iuuerit. De qua re cum *Tomo tertio* quaedam iam dixerimus, ea repetere hoc loco nolumus. Non mirum autem Cabbalisticam philosophiam Helmontium deperiisse, eam enim cum theosophica mire conuenire, ex supradictis est manifestissimum, facileque illi intelligent, qui ideam metaphysicae Cabbalisticæ Helmontianæ, a nobis *Tomo tertio* enarratam attento considerauerint animo, et cum theosophicis placitis comparauerint. Ea vero eruditio Cabbalistica valde eum commendauit principi Palatino Solisbaciensi, qui his potissimum cupediis delectabatur, et Knorrii atque Helmontii conatus valde adiuuabat. Ex aula Palatina autem Amstelodamum, indeque Berolinum secessit, ibique anno cl^o l^oc x c i x obiit. Animi vero temperamento gaudebat atra bile referto subtristi et feuero, quod cum imaginationis foecundissimae feroore accenderetur, ad singularia, paradoxa insolita quaevis dilabebatur. Non id ignorauit Helmontius, qui in his paradoxis haud exiguum sapientiae partem repositam esse censebat. Id quod prodidit editis *Dissertationibus paradoxicis de Macrocosmo et microcosmo, et utriusque unione, in quibus de sole, luna, stellisque earumque influxu et operatione, deque hominibus, brutis, mineralibus, lapidibus* etc. profunda multa afferuntur, vt ex dicendis constabit. Nec luculentius forte huius characteris ingenii Helmontiani testimonium est, quam *Delineatio alphabeti vere naturalis Hebraici Solisbaci anno cl^o l^oc l^ov*i* edita* ^z, in qua alphabeti Hebraici signa, significationem, mysteria, et tandem quid non? in homine mira imaginandi felicitate inuenit. Quibus an in omni philosophiae et literarum historia leuius quid inueniatur, dubii haeremus. Ipsa fane inextricabilis obscuritas viri, tantam meditationum profunditatem sectantis, vt atra ipse nocte se cingeret, satis dicta probat, ac omnino probandum est, iudicium serenissimae cuiusdam principis et summo de rebus philosophicis iudicandi acumine instructae, et Helmontium intus et in cute noscentis ^y, quae virum nimia imaginum infolitarum et male cohaerentium subtilitate se ipsum non intellexisse, eleganter et ex vero censuit. Hunc enim totius scholae theosophicae characterem esse, ea quae hactenus dicta sunt, satis comprobant, reteque

*) Vid. LEIBNIZ. Hist. crit. de la Rep. des Lettres T. X. p. 317. Pertinet huc quod opificiorum fere omnium peritus fuerit, Leibniziana p. 226.

y) Lingua Anglicana, Germanice prodit Hamburgi 1691. 8.

^{z)} Conf. STOLL. l. c. p. 79. MORROW. Polyh. T. I. L. IV. c. 3. §. 1. p. 734.

a) Leibniziana p. 230.

Et que hanc anomaliam ingenii Helmontiani notauit magnus LEIBNIZIVS^b. Nec errabimus a verisimilitudine, si ad confirmandam quam de eius ingenio dedimus imaginem ipsam eius religionem aduocemus. Quamvis enim cum parente Romanae ecclesiae professioni esset addictus, ab ea tamen ad Quackeros fecessit, eorumque vitae rationem indolem habitu quoque simplici et plebeio expressit. Nihil autem dicta manifestioribus speciminibus probat, quam placita παραδοξώτατα, quae illi in mentem venerunt. Ut enim Cabbalistica eius somnia taceamus, quae tamen verum Cabbalistarum sistema peruertere suo loco demonstrauimus, philosophia illa Mosaica, quam in *quibusdam praemeditatis et consideratis cogitationibus super quatuor priora capita libri Geneseos*^c exposuit, adeo vaganti extra ordinem orbitamque imaginationi habenas laxat, ut

Diruat, acdificet, mutet quadrata rotundis.

Nec aliud iudicium meretur, *Seder olam, siue ordo seculorum, id est, Principia philosophiae antiquissimae et recentissimae*; qui liber quidem a PETERSENIO^d foeminae cuidam illustri apud Anglos tribuitur, ex Leibnizii autem testimonio, Ven. REIMMANNVS^e affirmat, Helmontium verum et genuinum eius auctorem esse; licet non magnopere repugnaue- rimus GER. CROESSIO^f afferenti, comitissam quandam Anglicanam easdem cum Helmontio hypotheses amplexam illi in hoc foetu excluden- do obstetricatam fuisse. Ita vero παραδοξοφιλιαν in eo libro auctor secu- tus est, ut recte affirmatum laudato REIMMANNO, *animi se pendere, an a natis literis unquam scriptum in lucem prodierit, quod plura compre- henderis paradoxa, et tot ac tanta in theologia iuxta ac philosophia spar- serit semina contra opinionem omnium*. Non enarrabimus peregrina auctoris placita, quae in isto libro incrustauit, cum ab aliis facili negotio hauriri possint^g, sed verbo tantum monemus, totum in eo esse Helmontium, ut animarum euolutiones, emanationesque ex fonte diuino earumque reuolutiones per varios gradus et statas periodos explicet, vnde nec a μετενσωματώσεως dogmate sibi temperauit, re ipsa vero Cabbalistarum deliria expressit, quorum nihil fere est, quod non adulteratum et suis com- mentis intermixtum in horrea sua receperit. Scripsit autem hunc librum Helmontius ut a Spinozismo, Cartesianismo et Hobbesianismo, quae eo tempore inuisa inter Batauos Anglosque erant nomina, suam philosophiam distingueret; quod qua ratione fecerit, illi, quibus libellus rarissimus ad manus non est, ex REIMMANNI^h narratione discent, cuius liber cum in omnium manibus sit, eum hoc loco non exscribimus. Sed ne arro- gantius nos sine allatis rationibus de Helmontio iudicasse videamur, ecce

Yyy y 2 paucas

b) Conf. FELLERI *Monumenta inedita* P. VI. n. 4, vbi exhibentur Excerpta ex literis Leibnizii de ingenio F. M. Helmontii.

c) Amstelod. 1697. 12.

d) *Im Geheimnis von Erbgebohrnen aller Creatu- ren.* p. 27.

e) In Histor. Atheistini S. III. c. 10. p. 521.

f) In Histor. Quackeror. L. II. p. 282.

g) CROESSVSⁱ l. c. Relat. Iunoc. 1704. pag.

650. 753.

h) loc. cit.

pucas ex quamplurimis, theses et assertiones, ex *discursibus eius paradoxis de macrocosmo et microcosmo* haustas, quae ingenii Helmontiani indolem mire exprimunt, et quae diximus abunde probant. Ita nempe statuit:

I. Luminaria coeli aut masculina sunt et calida, aut foeminina et frigida ⁱ.
II. Calor et frigus non accidens sunt, sed substantia realis, vera et spiritualis ^k.

III. Calor siue lumen solis pater est rerum comprehensibilium, qui foetum essentiali ex aqua progenerat ^l.

IV. Omnis vno fit modo spirituali.

V. Frigus lunae est res spiritualis pariter atque corporalis, qua mediantे spirituali vnione cum calore solis spirituali res omnes comprehensibiles, producuntur et reducuntur in vnum. Grauida itaque luna est ex sole.

VI. Luminaria nocturna, luna puta et stellae magna cupiditate interdiu propter vitam suam solem attrahunt, eiusque calorem in naturam suam conuertunt, noctu vero eum iterum edunt, qui ita transmutatus in lunae centro colligitur, fitque aqua aetherea subtilissima et spiritualis ^m.

VII. Principium vniens spiritus est, siue substantia realis spiritualis. Et hic spiritus mundi maximus, in quauis parte creaturarum habitat, et perpetuas reuolutiones operatur ⁿ.

VIII. Et macrocosmus et microcosmus suum in se creatorem comprehendit, ideo uterque etiam in eo ad suam perfectionem redit ^o.

IX. Fit autem ea vno in filio primogenito et ab uno perfectionis et gloriae gradu ad alterum promouetur ^p.

X. Et hac quidem ratione per multas reuolutiones ad Dei gloriam redit homo ^q.

XI. Quicquid est, principio carere debet, adeoque aeternam naturam essentiamque in se habet, quae sine fine continuo operatur, et se expandit, ut post suam originem ad maiorem perfectionis gradum eleuetur, ita tamen, ut quamvis semper fiat propinquior et similior Deo, nunquam in Deum ipsum mutetur ^r.

XII. Effluere ex homine perpetuo et sine fine iusta proportione homo integer idealis, redireque in eum debet. Haec vero sunt corpora spiritualia, et spiritus corporei, qui originem ex spiritu hominis centrali capiunt ^s.

XIII. In coitu coniugali emanat spiritus idealis, et semen vtrumque spirituale iungit, ex quo foetus dein corporeus nascitur ^t.

Sufficiunt pauca haec, ut de singulis, quibus scatet liber, iudicium ferre Lector prudens queat. Quae omnia miram quidem imaginandi vim et foecunditatem produnt, at iudicio eo magis destituuntur, quo magis nec funda-

ⁱ⁾ p. 2.
^{k)} p. 4.

^{l)} p. 5.
^{m)} p. 12.

ⁿ⁾ p. 22. 24.
^{o)} p. 149. 150.

^{p)} ibid.
^{q)} p. 152.

^{r)} p. 153.
^{s)} p. 155.

fundamento quodam rationali nituntur, nec recte inter se cohaerent. Περὶ τοῦ Φενδού autem emanationis doctrina est, ex male intellecto axiomate: ex nihilo nihil fit, enata, quam vbi cum parentis placitis cum Cabalistarum deliriis et notionibus atque regulis quibusdam chemicis sociasset, mirabile hoc doctrinae aedificium inde emersit. Quod totum theosophiam quandam spirare, ex Helmontii *Praefatione operibus parentis praemissa* est manifestissimum.

§. XXXI. Omnim tamen, qui ex theosophorum schola prodierunt acumen vicit, et φιλοσοφῶν in hac via incessit PETRVS retus. POIRET VS, philosophorum nostrae aetatis haut postremus. Cuius vitae historiam, praeter G. ARNOLDVM^x, L. H. BENTHEMIVM^y, NICERONIVM^z aliosque auctor commentarioli *de vita et scriptis Petri Poireti*^a perfecutus est, qui tamen elogium magis quam biographiam Poiretianam condidit. Ipse vero Poiretus, de vita sua narrationem cum amicis communicauit, quae cum *Bibliotheca Bremenisi*^b inserita sit, hunc in exponendis rebus eius ducem omnium tutissime sequemur, et reliqua suo loco attexemus. Natus et Poiretus Metis XVII Cal. Mai anno clo Io c x l v i, parentibus pauperibus quidem, at honestis, qui cum acumen iudicii in pueru mature vigere et ingenio eum commendari cernerent, scholae urbane eum tradiderunt, ipse vero tredecim annorum adoleſcens, totum se Latino sermoni reliquaque humanitatis disciplinis addiscendis addixit. Cumque anno clo Io c l x i a praetore Hanouensi, qui comitatui Lichtensteinensi in Alsatia praeerat, ad instituendos lingua Gallica filios aduocaretur, studium istud non deferuit, sed ea alacritate cucurrit, vt anno clo Io c l x i v academiam Basileensem adire posset, quo loco fautorum commendatione in collegium Augustinianum receptus est. Triennium in hac Musarum sede commoratus est Poiretus, cum autem valetudine valde infirma affligeretur, ab ore doctorum pendere, et diuinæ atque humanae sapientiae praecepta ab eis haurire impeditus est. Suo Marte itaque in disciplinarum recessus penetrare, et musei parietibus affixus, a mortuis ea discere fategit, quae a viuis accipere non poterat. Quo factum, vt suo genio in eligenda studiorum via indulgeret, cum ab aliorum opinione et iudicio pendere opus haut haberet. Ignota tum quidem in acroateriis philosophorum erat philosophia Cartefii, quam cum valde commendari a viris doctis obseruauisset, summa diligentia in eam addiscendam incubuit, cumque acumine iudicii gauderet, ita in eius mysteria penetrauit, vt intimi recessus paterent, ipse vero totus ad Cartesianum raperetur. Sacram vero doctrinam, typum Salmuriensium theologorum atque Piscatoris fecutus didicisse, illi dicitur, qui biographiam eius *Bibliotheca Bremenisi* inseruit, eamque ab ipso Poireto se accepisse

Yyy y 3

testa-

^x) Hist. eccl. P. III. p. 162.^y) Stat. eccl. et schol. Holl. P. II. p. 420.^z) Memoires de Lit. T. IV.^a) Praefixus est POIRETI Opusculis posthumis.^b) Claff. III. Fasc. I. m. 4. p. 75.

testatus est. Ast narratum nobis ab amico fide dignissimo est, qui Poiretum paucis ante obitum diebus anno c^o I^o cc xix conuenit, et de eius studiorum ratione multa ab eo accepit, fassum sibi esse Poiretum, se nunquam integrum aliquod theologiae sistema legisse, exceptis *Institutionibus theologicis Maresii*, neque tamen has absolutiss. Multa tamen se didicisse a Io. Ludouico Fabricio, Palatino theologo, quem Heidelbergae audiuerit, neque ipsi Vitrinam patrem displicuisse. Ex qua narratione de fide ARNOLDI iudicandum est, qui ad relationem ipsius Poireti prouocat, testaturque, quamuis inuitus sacrarum literarum studio a parentibus destinatus sit, nunquam tamen receptis dogmatibus animum adiecisse, et hanc caussam fuisse, cur tandem litibus, et contradictionibus implicatus fuerit. Paulo tamen aliter ipse Poiretus, in *Epistola ad auctorem bibliothecae vniuersalis*^{b)}, differit, quo loco fatetur, se more hominum literatorum communi φιλαυτον et sibi placenter loco doctrinae sacrae, quae detecta mentis miseria ad veram sapientiam ducit, inutilibus atque stultis speculationibus tempus operamque impendisse, laudatum autem ob eam rem ab illis fuisse, quorum magna tum fuerit auctoritas. Superficieriam enim vulgaremque eruditionem velut vestimentum aliquod splendidum se induisse et a praceptorum ore, decretis et opinionibus acer-
rime a se defensis peperdisse, et non quidem scientiarum maxime philologicarum omnium insatiabilem fuisse famem, cum eas despiceret, at maioribus et altioribus inhiasse, ideoque ad inutiles metaphysicae chimeras nugasque inanis diuertisse, quo tamen pacto animae desiderium et insatiabilis sciendi cupiditas extincta non fit. Tandem miserante diuino Numine, ad Tauleri, Kempisi et similium scripta delatum, cum animae suae miseriam fordesque agnouisset, deque purgationis necessitate fuisse conuictus, omnem sibi sectariam doctrinam forduisse, et concordiam dis-
sentientium toto animo praeoptasse: donec ad Burignoniam defatus haec omnia vicerit, et theosophiae se totum tradiderit. Ex quibus narrationibus tribus, quae omnes ab ipso Poireto profectae sunt, sole meridiano clariss patet, Poiretum in exponenda studiorum suorum philosophicorum et theologicorum historia non in omnibus sibi constitisse, et mox electum se in iuuentute iam fuisse, mox auctoritatis praeiudicio fascinatum doctorum suorum opiniones fuisse secutum, tradidisse. Illud tamen du-
bio caret, Poiretum, cui ingenii adfuit vigor insolitus et iudicandi vis acris, sibi magis suisque meditationibus, quam praceptorum institutioni eruditionem suam debuisse. Anno c^o I^o c^o L^o x vii paucos dies, antequam pestifera lues inualesceret, Basileam deseruit, et Hanouiam fecessit, ineunte vere anni c^o I^o c^o L^o x viii autem Heidelbergensem scholam adiit, ut sacro se muneri, cui se destinauerat, praeparet. Ibi Fabricium virum doctissimum, vt dictum, audiuit, et ordinis quoque ecclesiastici axioma accepit, vt vicariam in exercendo munere ecclesiastico operam praefare posset,

b) p. 449.

posset, qua ratione aliquandiu ecclesiae inferuit, anno c^{lo} I^o c^{lxixii} autem ordinarium ecclesiastae munus in ducatu Bipontino accepit. Eo loco positus cum morbo vehementi corriperetur, edito voto contra atheos et religionis hostes, restituta sanitate scribendi, ad id exsolendum se accinxit, et religionem naturalem conscriptis cogitationibus rationalibus de Deo, anima et malo, usus Cartesianis φιλοσοφουμένοις defendere aggressus est. De quo tamen eius labore, quo famam sibi haud contemnendam inter philosophos comparavit, infra magis commodo loco dicemus. Belli calamitatibus autem et munere et domo pulsus est, quae occasionem ei suppeditarunt, totam vitae et fidei scenam commutandi. Et ipse quidem in tumultus bellicos, quibus exilium eligere coactus sit, causam transfert; BENTHEMVS^e autem, qui Poiretum aliquoties conuenit, et vitae circumstantias ex eius ore didicit, narrat, ideo eum munus deseruisse, quod intellexisset, nec suam, nec gregis commissi vitam cum doctrina ab ipso tradita conspirare. Conciliari autem haec possunt, si G. ARNOLDI^d narrationem sequamur, qui ipse quoque a Poireto eam accepit. Is enim refert, cum vidisset, suspectum a Marefio factum esse Voëtium, quod Thomam Kempfium legendum commendauisset, cupiditatem se incessisse librum hunc inspiciendi: eius tandem cum alio a Burignonia conscripto compotem factum, magno desiderio accensum fuisse dictam virginem conueniendi: quorum amicitiam epistolis nonnullis ambuerit. Cum autem anno c^{lo} I^o c^{lxvii} irruptionibus Gallorum loco et munere moueretur, adeo non deiectum animo fuisse, vt potius gratulatus sibi id exilium sit, cum difficultates muneris grauissimas, et virium imbecillitatem diu intellexisset, hancque ideo causam Deo commendauisset. Qua narratione admissa, omnia cohaerent; constat enim ex ea, Poiretum munus quidem non deseruisse, at electum furore hostium exilium non modo patienter tulisse, sed gratissimum quoque habuisse, quod occasionem nactus esset commodam ad eas partes transeundi, quae mirifice illi placere cooperant. Exutus itaque munere ad Batauos fecessit, indeque Hamburgum, vbi conuenit Antoniettam Burignoniam, (cuius vitam ipse POIRETUS scripsit, eiusque Operibus^e praefixit, quam enarravit quoque more suo P. BAYLE^f, vehementi idcirco controversiae cum Poireto implicatus, vt supra dictum). Quae ita suis dogmatibus placitisque cepit Poiretum, vt et aliquandiu eius lateri affixus eam comitaretur, et adoptato systemate paradoxo ex Cartesiano fieret μυστήρας. Quod nomen quidem refugit, quoad vixit Poiretus, et more suo valde indignatus est B. Iaegero^g, cum is locum illi inter mysticos assignauisset: licet enim non negaret, se theologiam mysticam cum innumeris viris maximis ita magni facere, ut nihil supra, nec se illius theologiae vere diuin-

nae

e) I. c. p. 421.

d) I. c. p. 162.

f) Dict. T. I. p. 646.

e) Edidit eas Poiretus Gallice, et Germanice

g) Opp. posthum. p. 252.

Amstelod. 1684. Vol. 19. 8.

nae pudere; pati tamen se non posse, ait, quod malo fine inter mysticos referatur, quia nunquam de ea theologia ex professo scripscerit, neque de ea scribendi se capacem crediderit, multo minus se inter illuminatos immediate et adeptos adnumerari, aut aliis regenitum credi legemque impleuisse voluerit. Si tamen verum fatendum, et non de nomine, sed de re ipsa sermo est, totum, quod abieco Cartesianismo, elegit systema ita comparatum est, ut mysticorum placitis ut ouum ouo sit simillimum. Quod enim de Burignonia ipse obseruat: *Quamuis nequidquam arte aut studio confegetur argumenta aut distinctiones mysticorum auctorum, tamen eius scripta passim eorum substantiam et solida fundamenta comprehendere, eorundemque sensum mire detegere;* id de Poireto quoque pronuntiandum est, cuius scripta medullam mystici systematis exhibere, non modo *oeconomia* eius diuina, sed tractatio quoque de *Eruditione tripli- ci*, immo noua quoque *Cogitationum rationalium* editio sole meridiano clarius testantur. Nec alio teste opus est, nisi ipso Poireto, qui haud vno loco^b mysticorum doctrinam velut diuinam commendauit, et suis meditationibus assertum iuit: nec alia cauſa est, cur Iaegero atque Christiano Thomasio mysticorum primipilis eum adnumerantibus tam graui indignatione succensuerit, quam, quod nosset, eos rationis contemtum, et somniantis imaginationis imperium illis obiecisse; quam ignominiam ferre noluit, licet rationis operam omnem multo labore ex eruditionis solidae circulis eiecisset. Sane ita ubique vrget illuminationem passiuam in fundo animae sacro silentio admittendam, ut contradicendi studio se ipsum nesciuisse Poiretus censendus fit, cum se mysticum exprimere velle negaret. Quemadmodum autem ad Burignoniae partes vehementer erat pertractus, ita deserta factio Cartesiana, quam ante haut parum ornauerat atque roborauerat, non modo eius decreta abiecit, sed acerrime quoque in eam insurrexit, naeuosque eius philosophiae detegere, quibus poterat modis, annis est. Neque deneganda laus Poireto, eum, qua erat iudicandi acrimonia, si praeiudiciis se exuisset, errores et πρωτεύοντι Cartesiani systematis acute detexisse, et in quibus deficiat, quid in eo culpandum sit, luculenter ostendisseⁱ. Ast ferri non potest, virum doctum et acutum, cum se Burignoniae auctoritate fascinari passus esset, et theosophiam quandam miris dogmatibus paradoxis refertam esset amplexus, non sectariam modo philosophiam, sed omnem rationem eiusque scientiam iisdem telis iugulauisse. Quod cum obiecisset Poireto Christianus Thomasius, qui prius vehementer Poireti consilia probauerat^k, at melius re inspecta, consideratoque damno et αποφία rei ineptum sapientiae genus more suo critico obelo confixerat, valde eo nomine in hunc aduersarium Poiretus coepit surgere, negando sibi rationem inuisam

^{b)} Vid. Defensio methodi inueniendi rerum Opp. posthum. f. 5. p. 167.

^{g. 8.} Cogit. rat. p. 115. 140. 145. 146. ed. recentiss.

ⁱ⁾ Vid. Method. inueniendi rerum P. L.

^{k)} In priori praefatione Tr. de eruditione tripli.

vifam et contemnendam censeri, sed intra limites se fuos illam tantummodo cogere. Nec negari potest, non tam impotenter stolidaque in omnem rationis vsum debacchari Poiretum, quemadmodum ab aliis theosophiae sectatoribus factum, sed idealem eum illi cognitionem et eruditio-
nen superficiariam relinquere. At si res ipsa consideretur, et funda-
menta Poiretiana excutiantur, patebit, verum esse, quod illi obiecit Thom-
asius¹, eum, cum obseruauitset, Cartesianos aliosque vsum rationis
nimis extollere in inquirenda veritate, in alterum extremum esse prola-
psum, vt lumen rationis plane deprimeret; et tanquam inutile et damno-
sum abiiciendum esse statueret. Re ipsa enim huc omnia conspirant, quae
de eruditione rationis superficiaria commentatur²: „Esse rationem in
„mente facultatem eam veluti pictoram et vmbra tilem, eamque naturam
„habere, vt ob idearum proprietatem non nisi superficiaria cognitio inde
„exsurgere possit, nec reales obiectorum affectionumque proprietates in-
„telligantur: esse rationem facultatem corruptam, limitatam, vmbra tilem,
„mereque accidentariam, et actiuitate sua ideas suas sine Dei amico con-
„cursu debito modo excitare non posse: ratiocinandi actum ipsa ratione
„ideisque imperfectiorem esse, ob attentionem minorem, memoriae an-
„gustiam, idearum absentiam, latentem propensionem animi, praeiudi-
„cia, etc. adeoque ex tribus illis putridis atque corruptis fulcris, ideis
„scilicet, suisque affectionibus tantopere euanidis ac imperfectis, intelle-
„ctu actiuo aegro, et ratiocinatione incerta patere, quam parum illi co-
„gnitioni sit deferendum; immo ne vigiliam quidem huiusque a somno
„distinctionis certitudinem a ratione expectari posse, certitudinem meta-
„physicam nec summam esse, et tenuem esse, et pauci vsum; rerum na-
„turalium cognitionem solidam nec a ratione, nec in ratione esse posse;
„mathesin non nisi externa quaedam palpare velut coecum, nec habere
„rationis oculos, immo principia de maximis et minimis omnis quanti
„mathematica, omnem vim rationis humanae transcendere, aut si quasdam
„de his efformare voles, contradictorias viuis eiusdemque rei efformare
„posse, quarum unaquaeque demonstretur vera esse, non obstante con-
„tradictione persistente.“ Haec enim et complura alia, quae magno mo-
limine asserit, ita comparata sunt, vt rationem aut plane eiurandam abi-
ciendamque, aut mysticorum et theosporum placitis, quae demonstria-
tionem omnem refugiunt, nudo obsequio subiiciendam et captiuandam esse,
inde sequatur. Quo pacto nihil tam absurdum delirumque est in cerebri
humani theosophiam et coelestem illuminationem affectantis iactantisque
cogitationibus, quod non de ratione triumphet, quam ita deprimit Poire-
tus, vt altiora vulnera a nullo sceptico vnuquam acceperit, nec ab Arce-
silao vel Carneade proficiisci potuerit in hoc lumen a Deo nobis concessum
accensumque aliquid contumeliosius.

§. XXXII.

1) In noua Praefat. §. 23. p. 23.

2) Sect. II. c. 5. p. 391. seqq.

Poireti ultima fata et scripta.

§. XXXII. Sed ut in viam retuertamur, paucis reliqua vitae Poiretianae absoluimus. Ad Burignoniam delatus dici non potest, quanta diligentia et insigni feroore eius placita defenderit et disseminauerit. Per Frisiam orientalem autem in Hollandiam delatus, Rhenoburgi confedit, quo loco tolerabantur, quicunque a communi ecclesiae sententia discesserant, modo tranquillitatem publicam non laederent. Ibi quietus ad obitum illuminationi passiuae atque libris scribendis vacans et ab omni munere abhorrens, sibi vixit, et familiam aluit, ex nonnullis, quibus vulgaria sordebat, collectam. Neque tamen sectam vñquam instituit, neque conuentus sacros, immo ne domo quidem ad cultum diuinum publicum aut sacram synaxin egressus est, facile autem passus, vt, quamcumque familiares sibi religionem sequendam putarent sequerentur, aut suo ingenio et placitis obsecundarent ⁿ. Ita corruptam enim ciuitatem totius mundi credebat, vt illi interesse, eiusque partem esse Christiano conscientiae integritatem seruare cupienti fit impossibile. Et hac quidem ratione usque ad annum aetatis LXXIII vixit, ultimis vitae temporibus doloribus haemorrhoidalibus vehementer excruciatu, depositique mortalem sarcinam XII Cal. Iun. anno clo I o c x i x, febre catarrhalis extinctus. Concedenda laus acuminis et ingenii Poireto est, quo alte in rem penetrare, errores detegere, naeuos luculenter demonstrare, cunctaque apte et concinne enarrare poterat. Nec diffitendum, quamplurima bona, pulchra et egregia in eius libris, illis praecipue, quos ante Burignoniana factionis electionem scriptis, deprehendi. Agnouerunt id viri docti passim, non illi tantum, qui mysticis fauente ^o, sed et illi, qui multa in Poireto desiderarunt, et in his C H R. T H O M A S I V S ^p, qui, licet insignes, quas Poireto tribuerat laudes, suo modo retractasset, fatetur tamen etiamnum, in libris eius de eruditione triplici multa egregie bona deprehendi, multos errores eruditionis falsae detegi, non solum antiquioris philosophiae scholasticae, sed et nouioris Cartesiana, adeoque eos valde commendandos esse studiosae iuuentuti, ne illecebris doctrinae illius communis vel antiquioris vel nouioris decipientur. Laudanda quoque Poireti perspicuitas, qua concinne et luculenter difficillimum argumentum enodare, et tum subtilissimas quæstiones metaphysicas explicare, tum theosophica quoque principia in se obscurissima mira luce perfundere valebat. Animo autem adeo pacifico regebatur, vt omnium sectarum, religionum hominum concordiam meditaretur, et Irenico vniuersali ^q. Iurieo opposito, hanc pacem Christianam, non sine eloquentia commendaret. Extollunt quoque, qui cum Poireto congressi sunt, animi humilitatem, modestiam, moresque ad pietatem compositos, et humanitatem cunctis benevolam facilemque; quam tamen, quod mireris, moderationem

ⁿ) BENTHEM. I. c.

^o) Vid. quæ collegit ARNOLD. I. c. p. 162. et ipsius Apologeticus IV. p. 432.

^p) I. c. p. 22.

^q) Prodiit primo Gallice, hoc titulo: La paix des bonnes ames, dans tout les partis du Christianisme 1687. Germanice 1702.

nem animi in scriptis eius polemicis desideres, in quibus aduersariis magna vehementia respondit, ratus scilicet, se pro causa Dei pugnare. Eius enim aduersus impios quoscunque, maxime atheos et religionis irrisores strenue defendendae studio laudabili totus ardebat, cuius exemplum esse possunt quae contra Clericum et P. Baylum, Spinozam aliosque maxima contentione zeloque disputauit. Dolendum itaque, virum nec iudicio nec eruditio cultura destitutum adeo in amplectendis Burignoniae deliriis insaniuisse, vt, si quis *Nouam oeconomiam diuinam*^r, quam eius principiis superstruxit, et singulare atque paradoxum sanctioris disciplinae aedificium inaedificauit, legat, vix oculis suis fidem habeat, huiusmodi foetum a Poireto proficiisci potuisse, qua de re, ne nimii simus, doctorum ecclesiasticorum censurae consulendae sunt. Neque in hac sphæra se continuuit, sed nouam sapientiam diuinitus edocendam philosophiae non tam intulit, quam illa electa perditaque surrogauit. Fecit id in tractatione de *Eruditione triplici solida, superficiaria et falsa, in qua ostensa veritatum solidarum via et origine, cognitionum scientiarumque humanarum et in specie Cartesianismi fundamenta, valor, defectus et errores deteguntur, praemittitur tr. de vera methodo inueniendi verum.* Qui cum prima vice Amstelodami anno clo Iō c xcii prodiisset, adeo placuit Christiano Thomasio, valde eo tempore theosophos depereunti, quod corruptam voluntatem, eos sanare posse crederet, vt anno clo Iō c xcvi eam tractationem *Halae* recudi curaret, praefixa *Praefatione*, in qua laudes innumerae, in philosophiam mysticam et theosophicam, maxime Poiretianam cumulantur. Non tamen diu in eo errore haefit vir acerrimi iudicii, et hypothesi pertinaciter non addictus, sed perspecta confusione principiorum a mysticis et theosophis admissa, illas partes deseruit, probe animaduertens, viam illam passiuam a Poireto commendatam, ad entusiasmum ducere. Cum autem ob detectos in eo sectariae philosophiae naeuos librum manibus iuuenum excutiendum non putaret, noua *Praefatione critica*, de vero eruditio solidae, superficiariae falsaeque discrimine accurate egit, et quam periculosum sit abieci neglectoque intellectu actiuo, passiuam quandam illuminationem in centro animae sacro silentio admittendam expectare, distincte demonstrare studuit, quam editionem, iuxta illam, quam Poiretus auctam et emendatam anno clo Iō c c vii vulgauerat, expressam luci publicae anno clo Iō c c viii^s commisit. In qua editione tamen omissa appendix a Poireto editioni Batauae adiecta, qua *Defensio contra Titium, Apologia pro tr. de Educatione liberorum contra ministerium Hamburgense; Irenicum uniuersale, Idea theologiae mysticae eiusque auctorum, et Epistolae apologeticae duae aduersus Io. Clericum continentur.* Valde offendit haec dissertatio Thomasiana Poiretianam.

Zzz z 2

retum

^r) Historiam libri dat BUDDEVS Isagog. ^s) B. IAEGERT et Cel. L. IOACH. LAN-

in hist. theol. L. II. c. 7. p. 1374.

et Antipoiretiana scripta.

^t) Lips. et Francof. §.

retum, contradictionis paulo impatientiorem, qui in peculiari *Defensione methodi inueniendi verum non sine aculeis ad eam respondit*, edere tamen fatis vltimis impeditus eam apologiam non potuit, vnde inter *Opera postbuma* apparuit, quibus similis generis responsionem in *Praefatione generali* editor adiecit. Licet autem fluctus in simpulo, quod aiunt, Poiretus plurimos mouisset, parum tamen operosis istis apologia profecit, cum contra rationes Thomasii a Titio quoque strenue Poireto oppositas, nihil vrgere potuerit, nisi suam, et sibi similium hominum experientiam, quam deceptam fuisse imaginationis lusu ex opposita vtriusque luminis rationis et reuelationis indeole scopo inuictis demonstrationibus probabant: vnde negatis assertis Poiretianis eorumque confirmatione desiderata totum corruit theosophiae, id est eruditionis istius verae, diuinae, internae et realis aedificium. Interim, praeter ea, quibus naeuos sectariae philosophiae detexit, hoc tamen laudandum est, quod perspicue ordinateque theosophicum systema more philosophico exposuit. Idem, quod mireris, in emendatione *Cogitationum rationalium de Deo, anima et malo* suscepit. Eas cum prima vice anno clo Io c lxxxvii edidisset, in plerisque Cartesium secutus est, ita tamen, vt suas quoque meditationes interdum afferret. Ast cum alteram editionem anno clo Io c lxxxv vulgaret, quo tempore iam theosophico mysticoque systemati aperte adhaerebat, relicitis notionibus et definitionibus Cartesianis de Deo menteque humana, nouas dare mysticorum dogmatibus conuenientes contendit. Nempe supposito „, „Deo placere, vt se ipse viuide quaerat, inueniat „et contempletur, seque sentiat, quantum fieri potest deliciosissime, extra sta- „tum solitudinis diuinae essentiae suae, atque inde posito, dari entia extra „essentiam Dei, in quibus se Deus tanquam principium agens et actuosum re- „praesentare velit, conclusit inde, mentis essentiam debere esse cogita- „tionem cupidam luminis et laetae acquiescentiae, quibus scilicet pro- „prietatibus diuinae essentiae imaginem referat. Inde porro afferit, nihil „menti essentialius et intimius esse, quam cupiditatem obiecti, hancque „ferri essentialiter in lucem et acquiescentiam, siue in verum et bonum „infinitum, non posse autem producere illam lucem et acquiescentiam, „cuius indistinctius cupida est: ex quo sequi putat, ad explendam istam „cupiditatem opus esse illuminatione fidei, qua desiderium luminosae ac- „quiescentiae infinitae expletur, mensque suarum tenebrarum et impoten- „tiae ad acquiescentiam conscientia, denegatis ideis omnibus et figuris „propriis ad determinationem a Deo ita transfertur, vt efuriens Deum „cum ineffabili et intensissimo ardore atque anxia expectans pabulum de- „siderii, Dei luce et acquiescentia tota lucide et tranquille repleatur, ea- „que Deum luminosum et tranquillantem reuera possideat, cu muis ipsa, „quamdiu mortali onere grauatur et tegitur, lumen eius reiecta non ad- „spiciat facie. Ex quo actu mentis illuminatio mentis acquiescentiam „nasci

u) Prolixo haec et acutè persequitur in Diff. praeliminari.

„nasci ait tranquillissimam, et coniunctionem ardentissimam siue amorem Dei.“ Et hoc quidem fundamentum illud est, quod a mysticis et theosophis acceptum, qua potuit perspicuitate et acumine philosophico ornauit roborauitque, quod deinde in tr. de *Eruditione triplici* prolixo deduxit. Diuersissima haec esse a Cartesiano demonstrationis Dei modo et theologia naturali, quilibet videt. Cum itaque in prima editione contra atheos, de Deo, trinitate, anima, malo acute secundum Cartesii principia disputasset, ea omnia in adiectis annotationibus secundum principium istud mysticum emendauit, et singulis fere paginis illud inculcauit. Quod qua caussae Dei felicitate et victoria factum sit, licet cetera acutissime pro ea pugnauerit, illorum iudicium esto, qui norunt, quam male res Dei hostibus eius prodantur, si principia assumantur precario excogitata, cerebrina, saltem hypothetica et quorum negatione tota caussa diuina cadit. Tacemus intellectum illum passuum et otiosum silentium, naturae humanae mentis aduersum, et S. Scripturae ignotum, ad quaevis somnia decipientis imaginationis recipienda esse aptissimum, vnde recte monuit Cel. STOLLIVS^x, libros hos Poireti caute legendos, et otiosi animi hominibus tradendos non esse. Idem institutum in tertia editione, paucis ante obitum annis^y seruauit Poiretus, cui nouam dissertationem de duplii discendi methodo deque simulato P. Baylii contra Spinozae atheismum certamine adiecit, de qua in Baylii vita, quantum satis, dictum. Viderunt deua in quae seduxit lectorem Poiretus, viri docti beneque monuerunt, recta via ad enthusiasmum duci animum; id quod primus, nisi fallimur, Poireto obiecit IOANNES CLERICVS^z. Cui peculiari epistola, alteri volumini tr. de *Eruditione triplici adiecta* non sine aculeo Poiretus respondit, iniuriam sibi fieri clamans, eo quod diserte affirmauisset, rationem et sensus in unionem Dei peruenire non posse, in *Oeconomia diuina* autem ab enthusiasmo fanatico Christianam doctrinam luculenter vindicasset. Ast probe obseruatum viris eruditis est, ludere definitionum varietate Poiretum, et id tantum enthusiasmum vocare, quando ratio corrupta illuminationem diuinam iactat, quam intellectui hominis passiuo in fundo centroque animae vindicauit. Vnde cum de habitu disciplinae generalis differeret vir acerrimi iudicii GOTTL. GERHARDVS TITIVS^a, et totam Poireti ideam eruditionis verae, falsae et superficiariae depingeret, examinaretque, ita de eo pronunciauit: *Enthusiasmum fanaticum, id est, aegrae mentis deliria esse illam eruditionem solidam, notitiam humanam seu naturalem ad enthusiasmum duci aptam, eruditionem superficialem, ab enthusiasmo alienam eruditionem falsam.* Quae censura adeo vulnerauit animum Poireti, vt cum non haberet, quae accurate responderet, ad inuestigias descendenter, et concionando magis, quam refellendo, aduersarium repellere conaretur, vt recte obseruatum Cl.

Zzz z 3

STOL-

^x) Hist. lit. P. II. c. 2. §. 7. p. 447.^y) Amstelod. 1715. 4.^z) Bibl. vniuerf. T. VI.^a) Art. cogit. c. 19. p. 475.

STOLLIO^b. Attamen pulchre rem suam egisse Poiretum, iudicauit **ARNOLDVS**^c, in eodem luto haerens, qui vtrum rem acu tetigerit, Lectoris arbitrio definiendum relinquimus. Cum autem ex hoc principio admisso innumera dogmatum paradoxorum seges effloresceret, et studium placitorum Burignoniae, quaecunque paradoxa et a sensu, ratione et scriptura aliena illa dixerat, Poireto ita commendauisset, vt ornare ea, defendere, et hederam illis suspendere auderet, aduersarios quamplurimos expertus est, quibuscum vsque ad finem vitae illi dimicandum fuit. Nam praeter Clericum et Titium, quorum iam mentionem fecimus, illustrem quoque virum V. L. SECKENDORFIVM aduersus se concitauit, cum is scripta Burignoniae in *Actis Eruditorum Lipsiensibus*^d recensuisset; illi enim secus, quam Poiretus, de eius placitis statuenti *Monitum necessarium* opposuit, cui tamen vir celeberrimus *peculiaris scheda* *avocatus* respondit. Sed Iurieum quoque, Iaegerum, *Theologiam Anti-Poiretianam* edentem, Thomasium Baylumque aduersarios expertum fuisse, ex supra dictis repetendum est. Idem celeberrimo Halenium theologo Io. IOACHIMO LANGIO accidit, cuius *Dissertationes Anti-Poiretianas* ante mortem refutauit, vulgavit *Responsionem* eamque *Prologo galeato* munitum editor. Cumque ob *Poireti* libellum *de Educatione liberorum* graues motus in ecclesia Hamburgensi fuissent concitati, Pfeiffero eum reprehendenti more suo vehementi *Apologia*^e respondit. In his autem scriptis polemicis, quae omnia fere partim nouae editioni tr. de Eruditione triplici adiecta sunt, partim in *Operibus posthumis* comprehenduntur, prodidit Poiretus, hominem se fuisse, isto tranquillissimo quem tantopere commendabat statu nondum potum. Tanta enim in aduersarios, et praecipue in Clericum, Baylum, Titium et Pfeifferum acerbitate et dicendi vehementia inuestitus est, vt nisi certam virorum doctorum fidem sciремus, qui humanitatem et morum facilitatem eius experti laudant, minime credi posset, talem eum in conuersatione se exhibuisse, qui pugnando amorem et modestiam neglexerat *f*. Adeo verum est, contradictionis impatiens animos cancellis contineri non posse, et mystico quoque atque theosophico philosopho suam bilem esse. Feliciori pugna et laetiori victoria contra Spinozae impietatem et Balthasaris BEKKERI nugas dimicauit. Et illum quidem in *Fundamentis atheismi euersis*, sive specimine absurditatis atheismi Spinoziani, *Cogitationibus rationalibus*^g adiectis haud infeliciter aggressus est, quanquam nonnulla in eo specimine desideret Ven. IAC. STALKOPFIUS^h: Bekkerum autem ita profligauit, vt quid reponeret: non haberet, et licet ab amicis extimularetur, responderet

^b) loc. cit. p. 447.^c) loc. cit.^d) 1686. p. 9.^e) T. II. Operis de Erud. triplici.^f) Vid. BVDDEVS. Isag. L. II. c. 7. p. 1375.**STOLLIVS** I. c. p. 485. Act. erud. Germ. P. LXXXI. art. 2.^g) p. 829.^h) In *Animaduersionibus succinctis* in definitionem II. Part. II. Ethices Ben. Spinozae, nec non illius confutationem a P. Poireto scriptam.

dere tamen Poireto minime auderet. Cum autem Burignoniae partibus se addixisset, non modo iudicium, quo pollebat, amississe, sed quem totto animo detestabatur spiritum sectarum admisisse visus est; certe ferre non potuit eius visiones et praecepta improbantesⁱ. Scripsit praeter laudatas tractationes plura alia, quae tamen huc non pertinent^k, omnia enim, excepta dissertatione *de natura idearum ex origine sua repetita*, sive, vera et cognita prima adu. Cl. Abrab. Pungelerum^l, theologica sunt: ista vero dissertatio ea suis domesticis innixa hypothesibus repetit, quae in noua *Cogitationum rationalium* editione prolixe iam differuerat. Cum autem mysticis impense faueret, multa scripta theosophica aliorum in lucem produxit, praefationibus, auctariis, animaduersionibus illustravit^m, hancque scholam sibi, quo posset modo, habuit commendatissimam.

§. XXXIII. Praeter hos, quos ex ingenti theosophorum numero adduximus philosophos, non omittenda est integra Rosaecrucianorum fraternitatis historia unde petenda?

Rosaecrucianae fraternitatis historia unde petenda?

adduximus philosophos, non omittenda est integra Rosaecrucianorum fraternitatis historia unde petenda?

quae ineunte seculo XVII magnum strepitum in ecclesia orbeque literario excitauit, et diuersissima eruditorum iudicia meruit. Tanta autem prolixitate famosae societatis historia diffunditur, et cum ecclesiae tum artis salutaris fata ingreditur, ut integrum hoc loco enarrare, et iudicium interponere non liceat, paginae angustia et tractationis limitibus obstantibus. Accedit difficultas rei, quae coniecturis tantum definiri potest, quae prout lectorem offendunt, ita momentum vel leue et graue habere videntur. Ipse autem libri huius societatis symbolici, quales sunt *Fama* et *Confessio*, et qui reliqui sunt, consulendi sunt, in quibus colligendis diligentissimus fuit G. ARNOLDVSⁿ, licet in eius tractationeordo et accuratio desideretur. Multos quoque nominant STRVVIVS^o, LIPENIVS^p, COLBERGIVS^q, quibus tantum non omnes addi possunt, qui historiam ecclesiasticam recentiorem attigerunt. Nos summam rei, prout lectis et comparatis inter se libellis hoc nomen gerentibus nobis apparuit, enarrabimus, et nostram sententiam modeste subiiciemus.

XXXIV. Percrebuit fama societatis Rosaecrucianae ex oriente seculo XVII, de anno autem, quo primo innotuit, incerti scriptores haerent. Quidam ad annum seculi decimi sexti septuagesimum recurrent, non audiendi, cum vestigium huius societatis nullum eo tempore compareat.

PA-

Summa Histo.
riae Rosae-
crucciani so-
licitati.

i) Vid. LEIBNIZ. *Reflexions sur l' esprit* *seculaire*, in FELLERI *Monumentis ineditis* T. IX. art. 7.

k) Catalogus scriptorum Poireti omnium adiecius est in calce *Cogit. rat.* et in Bibl. Bremensi l.c. itemque in Opp. posthumis.

l) Amstelod. 1715. 8.

m) Pertinet huc *Theologia Germanica*, Gallice edita, cum diss. apologetica adu. Iurieum 1700. 12. praefationem quoque praemissi refutationi libri LOCKI *Fides et ratio* collata, quam secun-

dum principia sua edidit discipulus quidam eius. De aliis vid. BUNDYVS l.c. p. 910.

n) Hist. Eccles. et Haer. P. II. c. 18. p. 613. seqq.

o) Introd. in Hist. Lit. c. IX. §. 29. p. 466. collata Biblioth. philos. c. II. §. 13, et quae viri docti ad haec loca annotarunt.

p) In Biblioth. theol. P. II. p. 684. 685.

q) Christianism. Platonico-Hermet. P. I. c. 6. p. 265.

r) Nominavimus nonnullos in Germ. Hist. phil. opere T. VI. p. 1236. seq. plures autem ARNOLDVS l.c. quos plerosque euoluimus.

PASCHIUS inter *Inuenta nou-antiqua* huius quoque societatis mentionem faciens eius origines in annum *clo c x vii* refert, sed falsum hoc esse libelli illi demonstrant, qui de hac societate ante annum istum in vulgus exierunt. Nobis verisimile est, anno *clo c x* primum de ea rumeorem sparsum esse. Nam non scribit modo personatus **IVLIANVS DE CAMPIS**, in *Epistola ad omnes*, qui de noua societate ordinis de cruce rosea aliquid vel legerunt, vel differendo de re ista aliquid audiuerunt, anno *clo c xv* edita: *Non ignotum esse plurimis, quam fortunam sinistram excursus de reformatione totius mundi in aestate elapsi anni clo c xiv expertus fit, et quam male excepta sit adiecta narratio de fama fraternitatis roseae crucis.* Sed et **DANIEL MEDE-RVS** in *Judicio theologico de Fama et Confessione fraternitatis R. C.* anno *clo c xvi* edita, Praef. ait, *ante quinquennium Famam fraternitatis in quinque linguis diversis prodisse.* Ex his enim verbis clarum est, anno hoc famam de ista fraternitate primum esse sparsam. Ipsam vero istius sodalitii historiam verisimili iudicio eruere est difficultum. Cum enim sparsa semel Fama de hac fraternitate, quicquid erat theosophorum Paracelsistarum, adeptorum, alchemistarum, et huius furfuris aliorum, sodalitium hoc sibi vindicaret, eo quod ad arcanas istas artes et scientias chemicas, magicas, Cabballisticas alluderet, factum inde est, ut sua ex hoc grege quilibet somnia Roseae crucis sodalibus accepta referret, sicque incertis rumoribus totum fere orbem Christianum repleret; id quod Fluddi, Sperberi similiumque, qui hoc sibi axioma vindicarunt, scripta de hoc sodalitio fatis superque comprobant. Quod ita exacerbavit viros doctos, puritatis fidei custodes, ut ipsam hanc societatem, de cuius tamen existentia certi sciebant plane nihil, multis accusationibus et suspicionibus onerarent. Quae omnia nisi accurate ab ipsis fabulae originibus distinguantur, numquam inuenietur, quid verisimili ratione de hac re statui possit. Ad hanc itaque cautelam attenti, rem primo quidem, prout fama ferebat, enarrabimus, et tum demum modeste nostram sententiam subiungemus. Ita vero publico rumore, primo Germaniam, mox per omnem fere Europam sparso tradebatur: Prodiisse Sodalitium haec tenus latens, cuius origines ad Christianum Rosencreuz referenda sint: Natum illum esse in Germania anno *clo c c lxxxviii*, suscepitoque itinere sacro ad sepulchrum Saluatoris ex Palaestina Damascum peruenisse, ibique cum sapientibus Chaldaeorum fuisse congressum, arcanasque eorum disciplinas, magiam puta Cabballamque didicisse. Tum in Aegyptum et Libyae regiones delatum, mysteria ista multis thesauris auxilie. Reuersum autem in patriam emendationem scientiarum omnium animo concepisse, et ad obtainendum hunc scopum laudabilem arcana fraternitatem instituisse, paucis membris constantem, huicque amicorum sacro sibi fidei et silentii symbolo iunctorum collegio sua mysteria aperuisse, et diuinam hanc eos sapientiam docuisse, praincipiendo, ut ad posteritatem simili modo methodoque arcana propa-

propagaretur. Tandem annos natum centum atque viginti sine morbo vigentem pie obiisse. Sublato tribus huius auctore, eam inter fidissimos quosque arcanam seruatam et ad posteros pari modo propagatam fuisse; donec tandem istud sodalitum detectum sit. Quod ut specioso atque verisimili titulo orbi persuaderetur, libelli prodierunt duo, in quibus, res omnis enarrata et mysterium hoc siue verum siue fictum, detectum est. Vnus *Famae fraternitatis* rubrum gerit, id est, *Detectionis fraternitatis laudabilis ordinis Roseae crucis*; alteri *Confessionis fraternitatis* titulus praefixus est, et Germanica atque Latina lingua prodiit. In his libellis, qui primam totius fabulae scenam confinxerunt, haec sodalitio isti tribuuntur. I. Singularem a diuina benevolentia reuelationem sodales accepisse, eiusque beneficio maximorum et plurimorum mysteriorum notitiam acquisiuit, ea quoque velut veros theosophos explicare posse, cum mediante lumine gratiae, ad collustrandum naturae lumen sint maxime idonei. Ideo praeter sacra oracula, scripta Tauleri et theologiam Teutonicam commendabant. II. Vniuersalem eruditio[n]is omnis per quosunque status et vitae genera emendationem eos moliri, et ad emendandos naevas doctorum, maxime medicorum et philosophorum, se accingere. III. Possidere eos lapidem philosophorum, eoque parario tinteturam siue medicinam vniuersalem, artemque mutandorum metallorum, arcanamque notitiam vitae prolongandae fuisse adeptos. IV. Scire eos et praedicere, instare seculum aureum omni felicite exoptatissimum. His quatuor scenis primus fabulae actus comprehendebatur. Cum autem ea diuulgata, tota Paracelsorum, Theosophorum, et Chemicorum turba res suas agi crederet, et vtraque manu hanc sibi sodalitatem vindicaret, nihil tam absonum delirumque fuit, nihil adeo noua et inaudita mysteria prae se tulit, quod non ad hanc tribum referretur, quae vero omnia, et a quibus auctoribus profecta sunt, et quo fundamento isti societati tribuantur expendenda, et cum ipsis fabulae originibus et dogmatibus, quae simulabat, non commiscenda sunt. Enarrari satis non potest, quantos motus in ecclesia pariter atque orbe literario rumor iste, vbi semel percrebisset, excitauerit. Nempe prout quilibet aut animo erat affectus, aut hypothesi peculiari addictus, aut sectae cuiusdam praeiudicio occupatus, ita obscurissimi aenigmatis interpretationem fingebat, et se Oedipum esse putabat. Et theologorum quidem plerique, quos Paracelsica schola, et chemicorum atque theosophorum factio simili clamore dudum offenderat, valde fidei puritati metuebant, ac fanaticam quandam cohortem sub hac larua latere suspicabantur^{s)}. CHRISTOPHORVS NIGRINVS autem Caluini asseclas ista fabula tegi, prolixa commentatione demonstrare voluit. Obstabant tamen ytrique conjecturae loca nonnulla in laudatis libellis occurren-

^{s)} HORNBECK. Summa Controversi, p. m.
426. IO. OLEAR. Synopsi Controuer. p. 461.

^{t)} In Sphynce resacea Francof. 1619. 8.

currentia, quae fatis prodebant, societatis huius sodales, ecclesiae Euangeliae esse additos, nec communionem eos cum Fanaticis affectare. Id ipsum Roseae crucis nomen nonnullis prodere videbatur, quod ab insignibus B. Lutheri defumtum esse suspicabantur. Et hinc prodit vnum et alter ex Lutheranae ecclesiae gremio, qui pro fraternitatis orthodoxia pugnauit^a. Alii, et imprimis medicorum natio collegium aliquod chemicum hanc fabulam condidisse, coniiciebant, qua in opinione valde confirmabat eos et nomen societatis, et iactatae artes chemicae et Paracelsicae, quas cum emendandae promouendaeque pietatis studio sodalitium illud prae se ferebat. Et nomen quidem chemicum esse, et compositum ex vocabulo ros et crux coniiciebant, quae vocabula sint chemica, eo quod ros sit omnium corporum potentissimum ad soluenda metalla, crux vero idem significet quod lux, quia signum crucis tres illas literas L V X exhibeat, lux autem sit semen, siue crassum illud et corporeum lumen, quo coacto auri mutatio perficitur; vnde Rosaecrucianum esse philosophum *χειροποιοῦντα* suspicatus est PETRVS GASSENDVS^x, cuius coniecturam latius deduxit EVSEBIUS RENAVDOTIVS^y, probauitque nuper praestantissimus MOSHEMIVS^z. Paracelsi autem partes ideo iuuari commendarique credebant, quod medicina Galenica valde contemnentur. Plurimum autem auxit hanc suspicionem, quod Paracelsistarum et Theosophorum Chemicorum celeberrimi FLVDDVS^a atque Sperberus aliquique nonnulli fraternitatis huius patrocinium suscepissent, et de eius profectibus admirandis in philosophia adepta, magia, cabbala, chemia nefcio quae miracula confinxissent, et splendide essent mentiti. Quae eo magis verisimilitudinem prae se ferebant, quod primi totius comoediae auctores de huiusmodi artibus multa promisissent, ut eo occultius laterent, et lactior emerget insperata fabulae catastrophe. Adeo vero haec se medicis nonnullis probauit opinio, vt cum Galenicae scholae essent addictissimi, irarum pleni in Rosaecrucianos insurgerent, in quo certamine alios vehementia vicit ANDREAS LIBAVIUS^b. Tandem inuenti quoque sunt, qui singularem ex diuina misericordia viris quibusdam piis contigisse reuelationem credebant, vt emendantur scientiae, et pietas atque mysteria hactenus ignota ingenti humani generis emolumento pandarentur, et hi quidem reuera existere eiusmodi societatem, et vera esse, si non omnia, attamen, quae de ea narrabantur, pleraque crediderunt. Quas partes statim sub exordium fabulae arripuit DAVID MEDERVIS^c, antistes ecclesiarum comitatus Hohenloici MICHAEL MAIERVS^d, et ipse ROBERTVS FLVDDVS^e, aliquie. Hi instare nouum felisque seculum,

^{a)} MEDERVIS I. c. et Vindiciae rhodostauroticeae.

^{x)} In Examine philosophiae Fluddanæ §. 15. T. III opp. p. 261.

^{y)} Conferences publiques T. IV. p. 87.

^{z)} Hist. Christ. recent. Sec. XVII, S. I. c. 4. §. 28. p. 398.

^{a)} In Tr. Apologetico, integratatem societatis de Rosea Cruce defendente contra Libauium 1617. et in Apologia compendiaria.

^{b)} Vid. ARNOLD. I. c. p. 625, seqq.

^{c)} loc. cit.

^{d)} In Themide aurea,

^{e)} loc. cit.

culum, et regni naturae et gratiae fines amplissime dilatatum iri sibi per-
suadebant. Quanquam autem vbique locorum sodalitii Rosae cruciani
fama percrebuerat, adeo vt lippis quoque et tonsoribus nota esset, nemo
tamen dicere poterat, quo loco illud inueniri posset, et non deprehendeb-
atur, qui conuinci posset, quod illi esset addictus. Certe, Renatum
Cartesium, vbiunque in itinere longo esset moratus Rosae crucianos qua-
siuisse, nullum autem inuenisse, testatur HADRIANVS BAILLETVS f.
Attamen leges et statuta fraternitatis in vulgus comparebant, et vbique
satis curiose perquirebantur sodales, vt, quod ecclesiae metuebatur, da-
mnum arceretur, et imposturae poena irrogaretur. Ipsa quoque Para-
celsistarum, theosophorum, philosophorumque per ignem turba, fabulae
incertitudine decepta, dum hanc sibi sodalitatem afferit, eiusque mysteria
mire crepat et defendit, acerbe autem in eos inuehitur, qui in eam insur-
texerant, mire rem turbauit, et nouis suspicionibus orbem repleuit. Fue-
runt enim ex hoc numero, qui non modo dogmata inaudita et ab omni fide
et opinione remota Rosae cruciano collegio tribuebant, sed ipsam quoque
magiam hoc transferebant, et quid ista societas in euocandis numerorum
potentia spiritibus posset, iactabant s. Quos dum pro veris tribulibus
plerique habent, pessime apud plerosque sodalitas ista audire coepit. Sa-
gacioribus autem nonnullis mature subolebat, fabulam quandam vel
aenigma aliquod symbolicum artificiose et non sine ingenio confictum la-
tere, vixque prodierat *Fama* et *Confessio fraternitatis*, cum iudicarent
nonnulli viri docti, aenigmaticum et figuratum scriptum esse b, nec ex-
titisse vnquam huiusmodi collegium secretum vel vixisse eius auctorem.
Ast quae sub hac larua facies lateret, coniecturis nonnulli assequi tenta-
bant, et alii quidem chemicorum quorundam lusum esse, suspicabantur i,
alii, vniōnem inter Lutheranam et Reformatam ecclesiam magnis moli-
minibus studiose eo tempore quaesitam exoptatamque sibi deprehendisse
in eo aenigmate videbantur k. Qui vero omnium cautissime iudicium
faciebant, in eam opinionem discedebant, viros quosdam ingenii excelsi,
et acuti totam ideo fabulam excogitauiſle, vt otiosos homines naſo fuspen-
ſo ducerent, et credulitati simpliciorum illuderent, aut philosophos me-
dicosque exagitando curioso figmento expiscarentur, quid de emendatione
artium et scientiarum, de mysteriis Paracelsicis et chemicis et simili-
bus crederent. Immo anno clo Io c x x ausus est scribere MICHAEL
BRELERVS^l: *Laterem lauare, qui in detegenda fraternitate, ista operam
ponant suam; famam fraternitatis enim auctores agnoscere trigam vi-
rorum clarissimorum, qui ingenioso hoc aenigmate alios, quos philoso-
phorum lapidem adeptos esse fama ferebat, ita prouocare tentauerint,
vt suo se indicio proderent: et hanc quidem non coniecturam nudam esse,*

Aaa aa 2

f) In Vita Cartesii T. I. p. 90. Synopseos.

b) Vid. MORHOF. Polyhist. T. I. p. 13f.

b) VID. MEDERV'S IN PRAE. I. C.
i) Ibid.

11301.

k) NIGRINVS loc. cit.

1) In Mysterio iniquitatis Pseudo-Euang. c. 3: p. 182.

p. 100.

sed veritatem certissimam, reliquos clamores autem omnes inter mendacia esse referenda. Nec defuit fabulae catastrophe; euantere enim et societas ista et omnes illi, quos edidit strepitus, cum auctores eius silent, nec agere eam editis porro scriptis, ut hactenus factum, pergerent. Qui ideo scribere desuisse videntur, vel quod crederent, satis iam esse commentorum, et abunde prodidisse orbem literatum animi sensa et multorum stoliditatem, ut pii prudentesque viri inde emendationis causam quaerere possent; vel quod obseruarent, abuti ingenia fanatica, et paradoxa ista sodalitii secreti fama, et metuendum esse doctrinae puriori periculum: vel quod ipsi sibi timerent, ne, qui larvato Rosaecrucianorum nomine abutentes, vehementes satyras et aceras inuectivas vulgauerant^{m)}, innocentibus tandem fabulae auctoribus molestiam crearent. Et haec quidem isto tempore facta sunt; ubi vero fama conticuit, valde confirmata est opinio, viros nonnullos pios atque doctos, et ingenio atque eruditione non carentes hanc ideo fabulam exorsos fuisse, ut et emendandi orbis eruditii desideria, aerigmatica scriptione, proponerent, et sectarium, quod vehementer illo tempore regnabat, studium exagitarent, et vitia atque naeuos eruditorum symbolica satyra corrigerent, latere tamen in argumento delicato possent, et seculi sui supra modum acerbi et contentiosi dicacitatem personati eluderent. Quam coniecturam verisimilitudine summa gaudere, ipsa *Famae fraternitatis praefatio* satis innuit, et tota fabula loquitur. Quanquam autem impossibile est, viros illos pios et cordatos detegere, qui hoc societatis Rosaecrucianae symbolo orbem eruditum tentare ausi sunt, fatemur tamen, magna nobis verisimilitudine se commendauisse *GOTTEREDI ARNOLDI*ⁿ⁾ coniecturam, qui Ioannem Valentimum Andreae, virum doctissimum et elegantissimi ingenii, theologum Wurtenbergicum, si non primum comoediae auctorem, auctorem tamen cum nonnullis viris doctis fuisse suspicatur. Non ignoramus *BIAEGERVM*^{o)}, quem secuti sunt alii^{p)}, multum in eo fuisse, ut hanc suspicionem ab eo depelleret, narrat enim: rogatum virum doctissimum a senatu ecclesiastico ducatus Wurtenbergici, respondisse, semper se, audita fabula Rosaecruciana risisse, et curiosos fratres pati non potuisse. Verum tantum abest, ut haec coniecturam istam infirment, ut potius magnum ei pondus addant, cum satis luculenter innuant, habuisse eum totum sodalitium pro fabula ideo excogitata, ut curiosi deluderentur. Sane ex viri praestantissimi, et praeter iudicij acrimoniam et elegantiam ingenii summo candore et pietate laudabilis verbis et circumstantiis omnibus, maximum haec coniectura verisimilitudinis gradum obtinet. Erat enim illi ingenium satyricum, et naeuorum in ecclesia atque orbe docto perspicax, quos haud uno scriptorum genere iugulauit; ex quibus

^{m)} Tales edidit larvatus Irenaeus Agnostus.ⁿ⁾ loc. cit.^{o)} In Hist. Ecclef. Sec. XVII. p. 58.^{p)} AuctoR Reprehensionum God. Arnoldi pag.

132. SERPILIVS Epitaph. theol. Sueu. p. 12.

bus intelligitur, emendandis illis animum magno cum studio adiecisse. Accedit scribendi ratio illi propria eiusque characterem mire referens, ipsaque arma eius gentilitia, et quae alia sunt, quae hanc coniecturam magnopere firmant. Talia autem scriptorum Andreae loca ab Arnaldo allata sunt¹⁾, ex quibus, nisi omnia fallimur, inuictis rationibus constat, eum, si non ipse primus fabulae auctor fuit, actorem tamen cum aliis fuisse; claris enim verbis indicavit, actam eam esse, et depositam personam, euanuisse comoediae laruas, nec expectanda esse fraternitatis fata alia, sed pudore suffuso resipiscendum esse eruditis, quod naſo se ducere et expiscari auctores eius passi sint. Neque magnopere huic coniecturae opponi potest, Paracelsistas, chemicos, adeptos, et inter eos, qui magna nominis claritate innotuerunt, Fluddum atque Sperberum huic fodalitio nomen dedisse. Ipse enim VALENTINVS ANDREAE monuit, adeptos, medicaſtos, theosophos huiusque generis alios, occasionem iſtius fabulae arripientes de suo emolumento cogitauſſe, et ſpes ſuarum fortunarum amplas inde hauiſſe. Qui cum eius catastrophe tandem prodeunte et ceſſante iſto collegio, attamen durauerint, et suas res porro vrgere perrexerint, manifestum inde eſſe putamus, ipſas eius fodalitatis rationes cum Paracelsica et theosophica factione non cohaeſiſſe. Quia tamen ingenia haec anomala et fanatica, hoc nomine ad commendandum peregrinum philosophiae habitum valde abuſi ſunt, ratio inde patet, cur in theophorūm historia memoria Rosae crucianae tribus omitti non potuerit.

§. XXXV. Sufficiunt dicta, vt intelligatur, qualis ſecta theophoro- *Observatio-*
rum fuerit, qua indole fuerit gauſſa, quibus characteribus ab aliis distin- *nus de philo-*
guatur. Colligemus iam ſparſim dicta in vnum, et quid de ea statuen- *sophia scho-*
dum fit, poſcentibus tractationis noſtræ legibus ſtrictim exponemus. *lae theo-*
Cuncta autem, re accurate expensa, huc redeunt. *phicæ.*

I. Non conſpirat haec ſecta placitis, decretis, et fundamentis, ſed ut quisque ingenio magis promitus et imaginationis oeftro percitus eſt, eo magis ſententiis paradoxis variat. Fruſtra itaque agunt, qui horum hominum philosophiam uno typo poſſe exprimi ſperant. Cuius ratio ipſa a cognoscendi principio, quod reiecta rationis luce elegerunt, deriuanda eſt. Cum enim non certas leges, et principia ſibi delegiſſent, ſed intellectu paſſiuſ ſacroque ſilentio in centro fundoue animae illuminationem diuinam quaererent, non potuit non tota theophicæ gentis ſchola ad diuerſiſſima placita deferri. Quicquid enim ſuggerebat iſtud principium internum, imaginarium, et incerto ſenſu fallax, id pro diuino, et vero habitum eſt. Et haec cauſa eſt, cur tot ſystemata (ſi modo nomen hoc mereantur male cohaerentia animi aegri ſomnia) theophicæ ſint, quoſunt theophorūm capita.

Aaa aa 3

II. Sunt

1) Alethaea exul. p. 329. Turris Babel c. 25. p. 69.

II. Sunt tamen dogmata nonnulla, quae characteristica recte appellaue-
ris, eo quod non communia tantum toti factioni isti sunt, sed eam quo-
que ab aliis sectis discriminant. Inter ista autem illuminatio passiuia pri-
mum locum occupat, et fundamentale dogma est. Nempe magno hi ho-
mines odio rationis homini connatae lumen prosequuntur, idque fallax
esse et incertum, ac superficiariam tantum atque idealem cognitionem
scientiae et certitudinis expertem et sapientia vacuam gignere clamant:
hac ducente errare hominem et in deuia delabi a felicitatis tramite, magnis
profundisque suspiriis conqueruntur. Eam itaque aut plane abiiciendam
negligendamque, aut e philosophiae verae, diuinae et ad felicitatem atque
tranquillitatem hominis facientis circulis eiiciendam esse contendunt. Li-
cet autem diuinorum oraculorum auctoritatem aperte contemnere non
audeant, ne impietas suspecti sibi ipsis apud alios officiant, minusue to-
lerentur, contemta tamen literae significatione, non tam oraculorum fa-
crorum dictamina pro principiis assumunt, quam allegoriarum insulsarum
machinis nonnulla in partes suas rapiunt, ipsum doctrinæ Christianæ
systema Scripturae S. innixum magno supercilio velut commenta schola-
rum et humanarum speculationum spernentes. Dumque omnem intellectus
actiuitatem proscribunt, nouum et a mentis humanae natura atque
indole plane abhorrens cognitionis genus passuum, intrinsecum, imme-
diatum atque diuinum corminiscuntur, quo anima diuinae sapientiae lu-
minisque coelitus infundendi auida, sine vlo actu suo, quiescens, silens-
que lucis diuinitus irradiantis illapsum expectat, et hoc suo desiderio tan-
dem cum maxima acquiescentia et gaudio in statu isto luminoso fruitur.
Qua illuminatione passiuia coelestem atque diuinam prorsus sapientiam, re-
liquis hominibus ideales rationis nugas fectantibus ignotam se adeptos esse,
magnificis orationibus ostendant. Quae adeo ex dictis et allatis testimo-
niis atque exemplis clara sunt, et omnibus fere paginis in scriptis eorum
inculcantur, vt ea prolixius probare opus haut sit. Ita vero suo se indi-
cio hi homines produnt, et quam inepta et a vera philosophiae indole
aliena sit theosophia ista, luculenter manifestant. Cum enim et rationis
et reuelationis lumen a patre luminum homini sit traditum, nec quae ab
vno auctore profecta sunt, repugnare sibi possint, distincti tamen sint na-
turae gratiaeque circuli; in vtramque eos vehementer peccare, quilibet
videt. Nempe rationem deprimento, et scripturae auctoritatem eleuan-
do ita diuinum vtriusque auctorem laedunt, vt is homines fallere voluisse,
(absit blasphemia dictis!) censendus sit, qui istic eos ducibus munivit
in inquirenda felicitatis via, quibus veram animae tranquillitatem et bea-
titatem assequi et sapientia ornari nequeant. Quamuis enim diuina col-
lustrari luce hominem ad aeternorum cognitionem ipsa sacra oracula dicti-
tent, non tamen vel rationem ea supprimit, vel immediato animum lu-
mine perfundit, vnde longe alia existit illuminatio, quam ab his homini-
bus vrgetur. Qui dum omne veri criterium, et id distinguendi a falso
regulam

regulam atque instrumentum insuper habent et contemnunt, erroribus, somniisque cerebri ab omni veritatis diuinae et humanae sensu deuiantibus patulas portas aperiunt, et quocunque delirantis cerebri nugae fugerunt, pro diuino nobis obtrudunt, ea superbia et intolerabili fastu, ut cum criterium veritatis dignoscendae non habeant, sibi solis suaeque experientiae credendum esse postulent, rati, decipi se non posse, licet a febricitantium deliriis rationes eorum parum distent. Quod quam ineptum sit, et humanae naturae indecorum, immo ipso creatori benignissimo indignum, quilibet palpat, qui praeiudiciis turpissimis non fallitur. Et hoc πεῖρον ψεύδος huius sectae et primarius error est, quem recte iugulauit virorum piorum et acutorum diligentia.

III. Fallere autem hos homines et falli, adeoque in omnem sapientiae diuinae humanaeque modum peccare, alterum systematis theosophici dogma characteristicum luculenter prodit. Nempe cuncta ad emanationis systema redeunt, cuncta ex Deo deriuant, Deumque faciunt fontem essentiarum omnium, mundum autem Deum expansum, animam quoque ex ista scaturigine velut diuinae aurae particulam oriri statuunt, et hunc in finem varios fontes, principiata et emanationes, variosque euolutio- num gradus comminiscuntur, redditumque rerum omnium post plurimas revolutiones in Deum afferunt, ut ex supra dictis est manifestissimum. Qua ratione, si non ipsum Deum cum mundo confundunt, et in Spinozae castris militant, attamen rebus omnibus, maxime animae humanae essentiae diuinae communicationem ita tribuunt, ut et deismo aperta porta pateat, et ad enthusiasmum, deificationem (veniam verbo exoramus) quandam affectantem seducatur humanus animus. Quam culpam quidem valde deprecantur huius sapientiae diuinae cultores, et se enthusiasmo quam maxime refragari, magnopere clamant, ut supra Poireti exemplo demonstrauimus: at ludunt vocis ambiguitate, ut inuidiam exosi erroris euent: hunc enim enthusiasmum vocant, si diuina affectet humana ratio. At hoc pacto suo se telo iugulant, et enthusiasmi reos esse fatentur. Tota enim illa interna et passiva illuminatio, quam Deo adscribunt, imaginationis emotae opus est, quae cum diuinam collustrationem somniet, ἐν θυσιαῖς recte dicitur.

IV. Damna haud exigua philosophiae pariter atque sanctiori discipline ex hac affectata theosophia oriri, nemo non videt. Parit enim hic enthusiasmus superbum rationis atque reuelationis contemtum, ordinaria luminis diuini collustratione, mediisque quibus illa peragitur, non contentum, sed singularia, extraordinaria, immediata defiderantem: quo affectu occupatus animus omnia fastidit, quaecunque via trita et solita homini solent innotescere, siue humana fint, siue diuina. Id quod negant quidem scholae huius patroni, et vt demonstrent, reuelationi in sacris oraculis factae ab ea iustum statui pretium, ea loca cumulant, quibus praecla-
rede

^{r)} Conf. THOMAS, Praef. ad POIRETI tr. de Eruditione triplici, ed. nov.

re de sacris literis loquuntur, eamque miris modis commendant. Ast tametsi negari non potest, pulchra nonnulla, et si verba species, omnino probanda ab his hominibus dici, fatendum tamen, neruum eos sacrarum paginarum excidere, vique omnia eas spoliare, afferendo mortuam esse in illis literam, veram sapientiam lucemque salutarem in mentibus accendere minime efficacem, nisi interna et immediata illuminatione, quae in fundo centroque animi obtingat, viua reddatur et operationi suae restituatur. Quo pacto omnis diuina notitia non sacrae, quae in oraculis diuinis continetur, doctrinae tribuitur, sed interno isti principio, quod cum diuinis sibi origines afferat, scripturae literam ad deliria aegri animi torquet rapitque, adeo ut nihil sit tam absolum, tamque insanum, cui non hoc interprete admisso verba diuinorum scriptorum accommodentur, idque in diuinis foliis quaeratur, de quo eorum auctores Σεόπνευσος ne somniantes quidem cogitauerunt. Cuius si quis exempla cupiat, eum explicaciones cosmogoniae Mosaicae a Flundo, Sperbero, Gutmanno, Boehmio aliisque datae, et dictante isto lumine interno ex fundo animae illuminatae productas, intueri iubemur, quae tanta nobis cerebri confusi et imaginationis errantis somnia narrant, ut sufficient ad demonstrandum, quantum inde damnum sanctior disciplina capiat. Quae tamen a diuinioris sapientiae doctoribus latius enarrari solita pluribus heic tangere haud licet. Auget vero hoc malum intolerabilis arrogantia et quae illi iuncta est dicacitas horum hominum, qui se solos sapere, sibique diuinos hos thesauros folis obtigisse, reliquos atra nocte cinctos oberrare, et in tenebris fine duce, sine via palpare sibi persuadent. Nihil enim aut religione sanctum, aut muneris grauitate reuerendum, aut meritorum gloria illustre est, in quod, si placitis suis refragetur, non atrocibus criminibus inuehantur; nullus vitae status, nullus ordo et humanae societatis membrum nullum est, cui non errores, naevos, vitia, scelera, et denique quid non? obiciant, in aliorum maculis perspiciendis adeo lyncei, ut exaggerationibus defectuum aliorum suorum omnino obliuiscantur, vel eos plane coecutientes non videant. Nec his contenti, haud raro, ut omnia infra suam sapientiam posita esse demonstrent, monstra configunt, et nihil rectum esse statuunt, nisi quod ab ipsorum dictamine regulisque praescribitur atque proficiscitur. Immo in omnem eruditionem humanam inuolant, literas, scholas, doctores, et quocunque ab interno lumine ab illis iactato profectum haud esse credunt, magnis calumniis onerant, sic ut palam fit, nullum eos cognitionis genus pati posse, quod ferocientis imaginationis deliriis modum ponit, et paucis modeste sapere docet. Quod ut aliqua specie atque colore faciant, hominum, atque temporum vitia, licet non minus illis polluti, quam alii, ipsis disciplinis tribuere, et ubi ferro recidere morbida membra debebant, id in viscera adigere, et corpus ipsum interficere minime erubescunt. Et haec vera cauſa est, cur tot querelae, inuectiuae, et verba acerbissima in homines ecclesiasticos et academ-

academicos, in scientias humanas et disciplinas sanctiores, in eorum libris cumulentur, in quibus colligendis miram industriam probauit G o d. A R N O L D V s. Quod an stare possit cum caritate et humilitate, quas virtutes ex illuminatione ista immediata et interna oriri iactant, et arinon animi impotentiam ambitionis atque irarum, omnisque affectus vehementiae plenissimam, sapientiae verae autem e diametro contrariam prodat, Lectoris pii et prudentis arbitrio definiendum relinquimus.

V. Plurimum hanc ingenii humani nec legibus subiecti, nec limitibus circumscripsi, nec disciplina castigati proteruiam et sapientiae humanae, id est, philosophiae, et diuinae ipsique religioni obesse, facile cogitari potest. Quemadmodum enim illa, pietatis et diuinae originis atque operationis praetextu in contemnum adducitur, vt animis leuibus, vilibus ac ignavis omnino fordescat: ita religionis hostibus, cum vident, deliria nullo modo pingenda, et fano sensu excusanda pro diuina sapientia vendi, sanctissima mysteria deridendi, omnemque reuelationem pro emotae mentis deliriis habendi fauentissima suppeditatur occasio. Ipsa quoque pietas, et quae illam mediante diuina doctrina in animis per Spiritum S. producit veritatis diuinae colluстрatio atque sapientiae coelestis disciplina, quae nec rationis lumen deprimit, sed suis tantum limitibus circumscrabit, nec alia hominem docet, quam quae claro et aperto sensu testantur diuiniores litterae, in suspicionem enthusiasmi atque fanaticismi apud eos, qui emendationem animi vitiorumque eradicationem odio persequuntur, adducit. Qua ratione ipsa disciplina I E S V C H R I S T I, doctoris diuinissimi contemnit et in periculum maximum adducitur, cum habeat impietas et vitae licentia, quae feueritati praeceptorum Christianorum ipsa philosophia iudice optimorum et verissimorum opponant, et castigationis animi leuis et nondum emendati iugum excutiat.

VI. Dabimus autem id caritati, bene de proximo speranti, vt credamus, non vidisse quosdam huius gregis damna ista, quae paucis enarrauimus; et optima animi intentione vfos, delusosque sectariae philosophiae ineptis, meliora, sanctiora, diuiniora quaesiuisse, quae animum explere, et satiare diuina luce pectus valeant, quo nonnullos animo ad theosophiam querendam fuisse impulsos facile nobis persuademus. Dolemus autem, eos spe sua delusos, cum lucida sidera se duces elegisse crederent, ab ignibus erraticis fuisse deceptos. Abiecto enim rationis iudicio, qua norma verum a falso distinguitur, cum non haberent, quo imaginationis lascivientis et extra orbitam vagantis operationem a diuina colluстрatione rite discernerent, se ipsos turpiter deceperunt. Temperamento enim gaudentes atrabile referto, austero et subtrifti, quod imaginandi facultatem nutrire solet supra modum foecundam, at deliram et ratione carentem, et summa animi commotione, etiam ad corpus, maxime ad cerebri partes pertingente, maiora, insolita et diuina affectantes, extraordinarias, quas imaginationis cerebrique emoti turbatique morbi frequenter sentiunt, com-

Hist. philos. Tom. IV.

B b b b

motio-

motiones spirituum animalium neruorumque passi sunt, quae ad ecstasim vsque et raptus quosdam apud Boehmum similesque sunt progressae. Quae cum vehementi agitatione cerebro essent impressae, fixis radicibus altissimis et vestigiis luculentis relictis occasionem praebuerunt his hominibus sibi persuadendi, diuinam sibi atque extraordinariam illuminationem obtigisse, de cuius veritate, licet eam nullo alio colore pingere, nulla alia ratione demonstrare possent, nisi sensu suo, adeo tamen se conuictos putabant, ut nullatenus de ea dubitarent. Nonnulli vero eo usque progressi sunt, ut noua praedicere et de futuris vaticinari auderent: quae vatum nouorum effata cum temporum euentu refutarentur, et imaginationis fallacia proderetur, loco commiserationis, qua digni erant, risus et dicteria plerorumque refulerunt, et, quam turpiter fallatur animus, rectore ratione excuso et electo, luculento declarauerunt specimine.

VII. Mirari quis iure queat, qui obiter rem aspicit, qui fieri potuerit, vt ad tam absonta et a mentis humanae indole naturaque abhorrentia delabili viri minime mali potuerint, magis autem, quo pacto euenerit, vt sestatores illis non defuerint, qui has partes probando pro diuiniore sapientia ista deliria habuerint? Ast mirari definet, cogitans, ita plerumque euenire, ut obscura, ignota, et aegrimata prae se ferentia, quae aures quidem inauditis vocabulis et strepitu insolito implet, vacuum autem dimittunt animum, imperitos et iudicio atque ratiocinatione non subactos plerumque capiant, sic ut omisso examine accurato, cuius difficultatem propter obscuritatem istorum aenigmatum Oedipo opus habentium timent, sibi persuadeant, magna et admiranda latere, et licet ista mysteria fateantur esse incomprehensibilia, et omni rationi aduersa, culpam tamen malint in intellectus sui imbecillitatem, eorum arcanorum incapacem rei-
cere, quam in ipsam nugarum istarum absurditatem transferre. Ineluctabilis autem obscuritas, paulo attentiores conuincere debuit, totam istam diuinioris sapientiae ostentationem vanam esse, atque probari non posse. Recte enim viro cuidam doctissimo ^{s)} obseruatum est, abhorre a diuinae sapientiae ratione et indole regulas viuendi et ad felicitatem nostram perueniendi, quae ita obscurae sunt, et intelligi adeo non possunt, ut quid statuendum, quid sequendum sit, humanus ignoret animus. Praeter hanc obscuritatis admirationem in causa quoque fuere artes et scientiae mirabiles ab hac schola iactatae, quales sunt cabbala, magia, astrologia alchemia, medicina vniuersalis, et similes, quibus stupenda praestare, totius naturae harmoniam intelligere, gremiumque eius recludere, diuinitiis innumeris potiri, morbos desperatissimos curare, et ut verbo dicamus, omni creaturae, ne intelligentiis quidem spiritualibus exceptis imperare se posse strenue mentiti sunt. Quae artes vanissimae omni fundamento et veritate carentes indicio quidem sponte se offerente attentos et paulo castius ratiocinantes conuicerunt, thrafonismum et circulatoriam ambitio-

^{s)} Moshem. Institut. ethic. Christianae P. I. p. 22.

ambitionem atque praeiudicia hos homines regere, eosque credulis fumos vendere: at qui vel attentione vel iudicio minus valebant, mendaciis se circumueniri passi sunt, cum specimina illis narrarentur stupenda et inaudita, quae ipsis artibus effecta dicebantur. Quae si prouocata et examinata testium fide ad regulas criticas artis rationalis exigantur, risum magis mouent, quam assensum imperant.

VIII. Nihil autem hanc scholam magis prodidit, et $\alpha\sigma\omega\phi\lambda\omega$ eius detexit, quam audacia de spirituum natura, operationibus, influxuque in sublunaria, de eorum regionibus, sedibus, custodia, deque theosophorum in illos potestate insana et enormia innumera fingendi atque mentiendi. Nulla enim verisimilitudine nititur ista pneumatologia theosophica, adeo ut comprehendendi vix queat, potuisse Paracelsum suas nymphas, gnomos, salamandros, sylphas, satyros et reliquam spirituum cateruam hominibus persuadere, quibus sanum tamen synciput fuisse, alia, in quibus minus desipuerunt, nobis persuadent. Verum quid non potest auctoritatis praeiudicium, et cupido insolita et miraculis similia venandi? Quamuis autem ausi sint nonnulli insipido dogmati fundamentum substernere philosophicum, asserta harmonia superioris et inferioris mundi illiusque in hunc influxu, et assumto spiritu naturae astrali per elementa mundana se diffundente, nullo tamen vel mediocris tantum probabilitatis ratiocinio demonstrarunt, dari eiusmodi spiritum astralem, archaeum, rebus formandis animandisque praefectum, eumque in tot particulas diuisum, quo illi spirituum perfectorum et imperfectorum genera comminiscuntur. Digna itaque doctrina $\alpha\varphi\lambda\omega\sigma\phi\omega$ est, quae rideatur magis quam refutetur; ita enim uno halitu difflari potest, vt negato uno isto inepto supposito, si modo placita horum hominum suis depingantur coloribus, omnes simul pateant manibusque palpantur ineptiae. Id quod luculento atque iucundo specimine, in *Dialogis cabalisticis* ita demonstrauit VILLARS abbas, vt dignas his labris lactucas apposuisse, et iusto remedio eorum insaniam emendauisse censendus sit.

IX. Nihil haec tenus nos dixisse, quod non ipsa scholae huius indoles atque natura probat, ex ipso systematis theosophici habitu est manifestissimum. Quamuis enim nec inter se conspirent doctores ipsis theosophici, nec ita eorum disciplina cohaereat, vt systematis philosophici nomen tueri eiusque accusationem et nexum referre queat, sunt tamen dogmata nonnulla, quae si ex obscuritatis latebris et retecto allegoriarum audacissimarum velo protrahantur, et scriptorum horum praecepta inter se attente comparentur, definiri huicque scholae tribui possunt. Ea paucis hoc redeunt: I. Omnia ortum suum ex diuina essentia habere, at ex hoc infinito fonte emanauisse, et hinc res omnes Deum nobis expansum et in creaturis manifestatum per varios euolutionum gradus sistere; II. ideo autem simili revolutionum ordine et ferie cuncta ad fontem suum redire debere. III. Id vero imprimis de anima humana, spirituue im-

mortalis, qui corpori mortali inest, dicendum esse, eum enim velut scintillam ex hoc lucis infinitae oceano profilientem homini infusum, originis suae vestigia et attributa seruare, et ad hanc, ex qua profluxit aeternam diuinitatis scaturiginem esse reuersurum: eius itaque opus esse, ut agnito fonte suo centroque, ex quo emanauit, ad id assurgere tentet, hocque puro et infinito desiderio anxie quaeſito tandem cum summa delectatione et acquiescentia potiatur. IV. Ex quo dogmate omnis illa moralis disciplina fluit, quam non sine insignis pietatis specie magnoque strepitu commandant, abiicienda esse carnis vincula, nec feruendum corporis cupiditatibus, neque ideali rationis discursu vinciendum et detinendum animum, sed euacuandum eum esse purgandumque poenitentia, et passiuo obsequio, electis omnibus rationis seductricis operationibus, piis precibus et intercessionibus expectandum esse lumen diuinum, eiusque desiderio totum animi fundum esse replendum. Hanc enim veram esse sapientiam eamque non ab Aristotele, non a gentilibus philosophis, sed a Spiritu S. interna et immediata illuminatione intercedente disci posse, eamque in sabbathismo animae, ab omni externa internaque operatione et actiuitate vacuae, esse expectandam. V. Quae ut eo certius affirmare possint, porro statuunt, Deum rerum omnium fontem, imaginem suam essentialiem, non in homine modo ita expressisse, ut eam cum omnibus attributis referat, et contueri quoque in animae centro rite praeparatus possit, sed et rebus atque creaturis omnibus ita indidisse, ut cognito semel Deo intuitua imagine, ab eo ad creaturarum typos et signaturas descendи, intelligique possit, quo vinculo mirabili et concentus mutui operatione atque influxu res omnes cohaereant. VI. Et in hac quidem cognitione connexionis et influxus Dei in res inferioris, atque ordinis et potestatis emanationum ex Deo confistere magiam naturalem, quam qui didicerit, illum posse non elementis modo, sed spiritibus quoque mundanis, eorum praefidibus, imperare, mirabiles effectus producere, arcana latentia detegere, et in ipsam naturae abyssum penetrare. VII. Cum autem emanatio ista diuina et influxus in res inferioris mundi per astrorum irradiationes secundum illos fiat, hinc pars theosophiae haud minima posita est, in cognitione verae astronomiae, et concordiae atque harmoniae siderum cum corporibus humanis, animalibus, terra, mineralibus, plantis. VIII. In quibus cum idem spiritus lateat, et signa quoque in externa facie expressa referat, signaturas rerum ad recludendam internam earum naturam plurimum facere, et a theosopho esse considerandas, adhibendum autem ignem ad referanda naturae adyta, sive chemiae ope in naturam mineralium, lapidum, metallorum penetrari posse. IX. Qua sapientia mirabili adeptis possibile esse, mutare et ad summam perfectionem metalla perducere, medicinam saluberrimam et insanabilibus morbis superiorem parare, custodire vitam in aeum, et ad seram immortalitatem conserua-

re.

re. X. Ex his autem colligunt: constare hominem partibus tribus, scintilla, siue particula diuina, spiritu astrali et corpore: et quamdiu quidem corpori seruat, brutalem statum experiri; ab astrali vero spiritu ad humanitatem reuocari, et a scintilla diuini, quod in ipso est, luminis, ad fontem luminis Deum ascendere. Ita vero mali fomitem in corpore latentem, quo etiam fidereus ille spiritus inquietur, deserere et ad centrum purissimum et felicitatis terminum perfectissimum euolare animam. XI. Et hanc quidem felicitatem initia sua habitura in hoc aevo, reflorescentibus scientiis diuinis, et manifestato coelesti Sophiae munere, sibi plerique huius scholae promittunt. Haec essentialia theosophicorum philosophorum dogmata sunt, quae, quantum scimus, a nullo reprobrantur, quamvis in iis explicandis applicandisque mirum in modum dissentiant. Esse vero inter ista dogmata et placita Alexandrinae, siue Platonicae, et quae huic valde affinis est, Cabbalisticae philosophiae magnam affinitatem, ex comparatione vtriusque factionis est manifestissimum: quae causa fuit. cur multi facrorum doctorum philosophiam Platonicam parentem esse theosophicae scholae affirmauerint. In quo tamen asserto prouide et distincte procedendum est. Nondum enim assertionum opinionumque similitudo demonstrat, vnum philosophandi genus alterius sibi similis fontem esse atque originem. Fatendumque admissum commune emanationis principium potuisse theosophis his omnia illa dogmata persuadere, quae tradiderunt, licet Platonismi ignaris: nec dubitandum est, quin Paracelsus ad hanc scholam minime respexerit, cum veteres tantum non omnes neglexerit: idem de Boehmio aliisque pronuntiare non cunctamur. At certum tamen, doctiores in hac schola et veteris philosophiae haud ignaros, concordiam cum Platonismo iactare, et haud leue caussae suae patrocinium in eo consensu quaerere, eo quod ubique locorum, sine respectu externae fidei professionis Deum lumen hoc, siue Sophiam infudisse animis sui cupidis statuant. Vnde multus in eo est Poiretvs¹, vt demonstret, Pythagoricam atque Platonicam sectam in eadem via ad veritatem fuisse progressam. Accedit chemicorum iactantia, qui cum veteris philosophiae auctores principesque Zoroastrem, Hermetem, Orpheum arcanorum naturalium peritissimos fuisse, et in primis artem *χειροτεχίαν* exercuisse fama audiuerint, vt illi auctoritatem pararent atque fidem, Hermetica sapientia gloriati sunt. Id quod imprimis fecit Paracelsica schola, cuius iactantiam integra tractatione repressit Hermannus Conringius². Idem de Cabbalistica philosophia censendum, cuius libros arcanos paucissimi, excepto Helmontio filio viderunt, et tamen eam ostentando Cabbalae notitiam, id est arcanam et diuiniorem doctrinam iactarunt, cum fando tantum de ea aliquid audiuerint. Id quod imprimis Paracelsus prodidit, qui ridicula

Bbb bb 3 affe-

¹⁾ De Erud. triplici L. II. p. m. 504.

²⁾ De Hermetica Aegyptiorum veterum et Pa-

racelsicorum noua medicina, ad quem librum
saepe prouocauimus.

affectatione cum mysteria Cabbalistica cognouisse videri vellet, ne nomen quidem exprimere potuit, et pro Cabbala Gabalia scripsit. Cuius incitiam cum sectatorum nonnulli imitati sint, praeclaro inde exemplo dicimus, quid valeat auctoritatis praeiudicium.



CAPVT IV.

DE SYNCRETISTIS PHILOSOPHICIS.

§. I.

*Syncretismus
quid sit?*

Supereft alia philosophorum classis, quae sectariae philosophiae absurditate detecta sapere quidem constituit, at peruerse egit, sive que laboris fine frustrata philosophiam magis corrupit, quam promovit adiuuitque. Henoticos intelligimus, sive conciliatores sectarum, qui restituta inter sectas digladiantes dissentientesque pace, conflare ex variis dogmatibus vnum certum doctrinae philosophicae corpus conati sunt: Hi Syncretistae vocari solent, notissima locutione prouerbiali, qua appellabantur olim, qui cum modo viderentur hostes acerrimi, repente in concordiam redirent, vt communi malo resisterent. Quod prouerbium a Cretenibus desumtum effe PLUTARCHVS^a testatur, qui cum frequenter factionibus et bellis intestinis inter se pugnarent, inuidentibus hostibus coēentes et conspirantes se opposuerunt. Quamquam autem Syncretismi nomen ad omnem dissentientium conspirationem subitaneam solet transferri^b, maxime tamen in annalibus literariis ea significatione vox obtinet, qua sententiae opinione, dogmata, inter se diueriffima ita in concordiam ire coguntur, vt amice inter se conspirare, et pugna euangelio videri queat. Et isto quidem sensu in hoc capite de Syncretismo, id est malefana dogmatum et sententiarum philosophicarum, toto coelo inter se dissidentium conciliatione agendum est. Qua appellatione philosophorum, et genuina vocis huius notione definita patet, separandos a syncretistis esse illos, qui omnium sectarum systematibus, decretis, opinionibus ea silebunt, quae vera esse videntur, vel cum certis et indubitatis principiis atque conclusionibus inde deductis ea, quae inter omnes sectas occurrunt veritati affinia, coniungunt: quae eclectica philosophandi methodus, dudum viris prudentibus commendata, et a maximi ingenii philosophis culta cum syncretismo confundi non debet. Quod tamen multoties factum est, indeque haud parum damni philosophiae enatum, cum Syncretismi pestis eclecticae philosophiae nomine cohonestata, turpissime magnis quoque viis imponeret. Id quod sectae eclecticae, et philosophiae PP. veterumque Christianorum historiam suo loco enarratam recolenti ignotum esse negquit,

a) De Frat. amore T. V. p. 298.

b) ERASMVS Adag. cent. II. c. 2. p. m. 27.

quit, et exemplis istis memorabilibus illustrari potest. Porro nec illi hoc capite tanguntur, qui omnium sectarum tolerantiam fouent, et nullam earum aperte damnant, saltem ab omni spiritus sectarii rigore et acerbitate in dissentientes abstinent, vel quod putant, adeo profunde demersam latere sapientiam, ut iustum sit, eos, qui a nostris opinionibus dissident, aequo animo ferre, vel quod in omni secta occurrere veritates quasdam haud contemnendas credunt, vel quod dissensum inter sectas leuiorem esse iudicant, quam ut atrox ideo pugna excitari, et inimicitia philosopho indecora geri debeat: quam potissimum rationem philosopho frequentandam esse illi inculcant, qui innumeras logomachias et inutiles vanasque de verbis contentiones philosophantium animos disiunxisse olim, et hodie dissociare obseruant. Ipsa quoque Christianae legis recordatio, qua amor proximi et infirmitatis eius patientia iniungitur, studiumque modestiae, quod non sibi solis sapere, sed suae imbecillitatis memores de aliis quoque bene sperare homines iubet, hanc tolerantiam commendauit, licet ea non probentur, quae spe bona et patienti animo feruntur. Tandem illi quoque huc referri non debent, qui comparatis inter se Sectarum systematibus et opinionibus, in quo differant, in quo consentiant, ostendunt, et quo pacto verbis magis haut raro, quam sententiis differant, exponunt. Adeo enim id in philosophiae historia non contemnendum est, ut potius, si recte instituatur, magna commoda philosophantibus afferre queat. Syncretistae autem, ab his omnibus diuersi illi sunt, qui opiniones, dogmata, systemata, ipso fundamento sensu genuino toto coelo distantia obtorto collo in consensus concordiamque rapiunt, et inter lucem et tenebras ita paciscuntur, ut dolosa pax cum veritatis damno inde exfurgat. Et hanc quidem labem nulla disciplina vel humana vel diuina est, cui non affricet inepte sedula humani ingenii stoliditas; id quod ex Syncretismo in ecclesia magno purioris doctrinae detrimento inualesceat longe clarissimum. Qua de re tamen, ne nimis ab instituto discedamus, plura addere non licet. Dabit autem obseruationes de hoc argumento egregias, qui post alios de Syncretismo pulchre egit B. Io. Fr. BVDDEV^es^c.

§. II. Semper morem hunc in orbe philosophico obtinuisse, ut *Classes Syn.* dogmata toto inter se coelo distantia copularentur in vnum, et hoc pacto *cretistarum*. nouae inde doctrinae conflarentur, innumeris hactenus exemplis in historia philosophiae exposita demonstrauimus, in qua diligenter ad hunc philosophantium naeuum respeximus. Nec recentiori, de qua iam agimus aetati defuere, qui simile consilium in animum admitterent. Quos dum paucis enarrare constituimus, ordinis caussa in certas classes distribuemus. Fuerunt enim nonnulli, qui vnam vel plures sectas cum Scripturae Sacrae dogmatibus et doctrina Christiana in concordiam ire iussi runt:

^{c)} Dedit is T. III. Obs. Halen^f, quatuor obseruationes, 12. 13. 14. 15. de Syncretismo philosophico admodum luculentas, ad quas subinde respe-

ximus. Alios de hoc argumento scriptores nominauimus in Germ. Histor. Philos. opere T. VI. p. 1258.

runt: alii medicae quidem artis vulnera sanaturi hypotheses philosophicas Hippocraticorum et Galenicorum cum schola Paracelsi et chemicorum conciliare aggressi sunt. Pacem quoque nonnulli facere conati sunt, inter Stoicos, Epicureos, Aristotelicos: maxime vero inter Platonem et Aristotelem multoties concordia tentata est. Id quod plerosque fecisse, qui Platonicam philosophiam recentiori tempore excoluerunt, uno Francisco Patricio excepto, quin et inter Peripateticos haud paucos tentauisse, diligenter, cum de his sectis ageremus, annotauimus. Sed nouarum quoque factionum, maxime Rami et Melanchthonis, siue Aristotelis, Cartesii et Aristotelis partes in foedus ire mutuum coactae sunt. Et de his quidem singulis, ad finem properante nostra huius partis tractatione, strictim dicemus.

*Syncretismus
inter Scr. S.
et sectas phi-
losophorum.*

§. III. Eorum, qui Syncretismum quandam inter Scripturam Sacram, et quae in ea continentur diuina dogmata et inter sectarum vel veterum vel recentiorum placita instituere conati sunt maior est numerus, quam ut nostra eum pagina capiat. Pertinet enim suo modo ad hanc classem pars eorum, qui veritatem religionis Christianae ex concordia philosophorum gentilium cum ea demonstrare sunt aggressi; quos vero hoc loco enarrare, esset extra oleas vagari, praesertim cum otia nobis in hoc argumento fecerit desideratissimi I. A. FABRICII ^d diligentia, qui, cum nobis hoc loco tam prolixis esse non liceat, adeundus est. Porro omnes illi quoque ad hanc classem referendi sunt, qui systemata sua physiologica ad Mosaiicam cosmogoniam transtulerunt, eamque secundum sua principia explicarunt, quas cum in antecedentibus fuse enarrauerimus, hoc loco recte praeterimus. Ipsa quoque theosophorum philosophorum schola huic albo inscribenda est, eo quod Scripturae Sacrae testimonii suorum placitorum veritatem demonstrare, eaque oraculis diuinis affingere ausi sunt, ut in *praecedente Capite* annotatum est. Qui licet omnem rationis usum contemnerent, et omnium sectarum philosophiam fugillarent, ut tamen fines suos dilatarent, non cunctati sunt afferere, contigisse interni luminis particulam nonnullis philosophis gentilibus, praecipue Pythagorae, et Platoni, quos de diuinis efficacius scripsisse credebant, et ad similem, quem ipsi probabant, enthusiasmum ducere nouerant ^e. Immo inuentus est, qui totum mundum, omnesque qui in eo dissident, partes in concordiam *Guil. Postel.* hac ratione reuocare conaretur, **G**VILELMVS POSTELLVS, *tus.* philosophus et opinionibus et fatis paradoxus, et in annalibus quoque ecclesiasticis notissimus, cuius historiam rerum literiarum scriptores passim solent enarrare ^f. Is enim adscito nomine perfonato **E**LIAE PANDO-

^d) In Syllabo Scriptorum de V. R. C. c. XXXII. p. 634.

^e) Locum Poireti in antecedente capite allegamus.

^f) Videndi post historiae literariae Gallorum scriptores Verdierium, et Crucimanum, **C**OLONESIVS Gall, Orient. p. 59, sq. **F**REHNER,

CHEI
Theatr. p. 1474. **P**OPE-BLOVNT. Cenf. p. 667.
TESSIER Elog. T. III. p. 195. **S**ALLENGRE Memoires de literature T. I. art. I. Obs. Hal. T. I. p. 325. **I**TTIG. pec. diff. in Opusculis extante, et Annalium Ecclesiasticorum conditores passim.

CHEI edidit, *Pantheonian*, sive compositionem omnium diffidorum circa aeternam veritatem aut verisimilitudinem versantium, quae non solum inter eos, qui hodie infidelium, Iudeorum, haereticorum, et catholicon nominis vocantur, orta sunt et vigent, sed iam ut admissis per peccatum circa nostrum intellectum tenebris fuere inter ecclesiae peculiares et communis membra^g. In quo libro Postellus characterem ingenii sui paradoxi egregie seruavit, sic ut clare appareat, ab amente (quo nomine a senatu Parisiensi declaratus magis, quam condemnatus est) fuisse scriptum. Ut taceamus enim opiniones, insolitas et nullo vel rationis vel reuelationis fundamento nixas, v.g. animam Messiae fuisse creaturam primaeuam, esseque spiritum sive animam mundi, ut res omnes animet, ad beatitudinem reuocet, et animum, spiritum, corpus felicitate donet etc. ita circa omnium philosophorum, haereticorum et, quoscunque error a Christi disciplina alienauit, opiniones versatur, ut eas cum Scriptura S. in concordiam redigere ipso systemate dualistico, quo non foedior error a Christiana disciplina abhorret, non excepto audeat. Quod quanta mentis delirantis insania, Postellus ausus fit, et quam misere opiniones philosophorum torserit, ut in partes vocare posset, vel ex uno hoc specimine disci potest, quod duobus independentibus principiis, sive Deis, bono et malo ipsum Numen intelligi contendat, quatenus est caussa rerum spiritualium et materialium^h. Quod quam ficalneum sit et ineptum, illos non latet, qui primis labris veteris philosophiae decreta degustarunt. Quamuis autem nemo tam effreni statuendi licentia esset, quem non ad hanc pacis et concordiae tesferam admitteret, Aristotelii tamen infensissimum feruauit animum, eumque cum Pomponatio inter apertos Numinis hostes numerat, de quo verba eius adduxit quoque I. LAVNOIVSⁱ, qui videndus.

§. IV. Ne tamen sicco hanc classem pede, quod aiunt, praeteriisse videamus, paucos delibabimus, qui consensum inter Scripturas diuinis et veteres sectas vel plerasque, vel vnam tamen demonstrandum suscepunt, et hoc pacto concordiam rationis et fidei instituere sunt conati. Inter quos M V T I V S P A N S A eminet, qui in *Osculo sive consensu ethnicae et Christianae philosophiae, Chaldaeorum, Aegyptiorum, Persarum, Arabum, Graecorum, et Hebraeorum mysteria tanquam ab Hebreis desumpta, fidei Christianae consona de Deo deducere*^k fatebit eo euentu, ut ineptissimo Syncretismo, iudice I. A. C. THOMASIO^l, inter lucem et tenebras pacisci, et coelum terramque miscere non dubitauerit. Idem faxum voluit A V G V S T I N V S S T E V-

Consensus inter Script. S. et philosophos veteres scriptores.

CHVS

g) Nec locus, nec annus, nec typographus in fronte libri appareret: vid. PLACCII Thearr. Pseudonym. p. 481. ITTIG. l. c. p. 253.

h) Conf. I. A. C. THOMASIVS de Exust.

i) De Fortuna Aristotelis c. XIV. p. 267.

k) Marpurgi, 1605. 8.

l) l. c. Otium Vindelic. l. c.

Hist. philos. Tom. IV.

Ccc cc

CHVS E V G V B I N V S, episcopus Kisami in Creta insula, bibliothecarius Vaticanus, qui concilio Tridentio interfuit obiitque anno c^o 151^m, vir maioris lectionis et eruditionis, cuius insignem apparatum possidebat, quam iudicii et accurationis, vt ex variis eius scriptis iunctim apud Parisienses editis constare potest. Is enim prolixum opus edidit, quod *de perenni philosophia* inscripsit, et aliquoties ob insignem doctrinae et lectionis copiam recusum est^o. In quo multus in eo est, vt ex vasta lectionis copia omnia corradat, quae de mente et trinitate in diuinis, de vnitate Dei et ceteris attributis, de creatione vniuersi, de angelis et daemonibus, de creatione hominis et immortalitate animorum, de vera sapientia, pietate praemiisque piorum et impiorum poenis, deque mundi exitio apud Chaldaeos, Aegyptios, Orphicos, Platonicos, Stoicos, Ecclesiasticos, reliquosque veteris Graeciae philosophos Mosaicis, Hebraicis, Christianis consona se deprehendisse iudicauerat. Quod opus admirabile quidem esse censuit C A S P. B A R T H I V S^p, si vero fatendum, quod res est, miserabilis cento est eruditionis confuse congestae, male digestae, laborque ab auctore sine iudicio et critica historiae philosophicae notitia, suscepimus. Nam contentus veterum loca, similitudinem quandam cum facris referentia cumulasse, nec ad scriptorum sinceritatem, nec ad sententiatarum dogmatumque significationem certam attendit, et foetibus supposititiis, adulterinis, nuguendulis velut monumentis fide dignissimis vtitur, mentem vero sectarum, immo interdum sacrorum quoque dogmatum peruertit, et dum mire Platonicis fauet, rem sacram prodit; quam ob caussam a I O. B A P T. C R I S P O^q acriter est castigatus: cuius verba cum alio loco adduxerimus, actum agere nolumus. Viderunt id alii quoque viri docti, quibus inepta haec conciliatio displicuit, quique male et imprudenter in hac palaestra se exercuisse Steuchum iudicarunt^r. Eadem dicam scribi Petri Danieli Huetio, viro celeberrimo ob *Quaestiones Alnetanas de concordia rationis et fidei*, supra in eius vita memorauimus, et quam imprudenter in hac comparatione versatus sit, luculenter ostendimus, quae hoc loco repetenda non sunt. Idem de T O B I A E P F A N N E R I *Systemate philosophiae gentilis*^s pronunciaremus, eo quod bona et mala fine discrimine miscuit, et pro sanis morbida propinavit, nisi in *Praefatione* monuisset: *In gentilium demonstrando consensu aliquando similitudinem fere verborum tantum saepe fallacem se sectatum fuisse*. Quod vtrum sufficiat ad saniorem philosophiam gentilem demonstrandam, Lectoris est, accurate expendere.

§. V.

m) Vid. G ADDIUS de Script. non-eccles. T. II. p. 325. D V P I N. Bibl. eccles. T. XIV. p. 183.

n) 1577. fol.

o) Lugduni 1540. fol. Basili. 1542. 4. et inter opera eius: conf. FABRICI. l. c. p. 634.

p) Aduersar. L. VII. c. 2.

q) De Platone caute legendo diffr. I. L. II. p. 36.

r) l. c. p. 116.

s) V O S S I U S Ep. 78. P E T A V I U S Dogm. Theol. P. II. de Angelis p. 94. T H O M A S I U S l. c. p. 29. F A B R I C I. l. c. B A L T U S in Iudicio PP. de Philosophia morali gentilium c. 4. p. 412.

t) Basileae 1679. 4.

§. V. Quod hi similesque inter omnes sectas philosophorum et *Vniuersitatis se^ttae Graecanicae conciliatores cum Scr. S.* Christianam doctrinam tentarunt, id nonnulli in vna tantum secta experiendum esse censuerunt, vt eam cum diuinioribus placitis in concordiam redigerent, sive non repugnare illius professionem Christianae fidei ostenderent. Id ad commendandam Stoicam sectam suscepisse Iustum Lipsium, ex illis, quae in antecedentibus de studio eius refuscitandae philosophiae Stoicae diximus, repetendum est. Quamuis enim adeo dissimilis est Stoica philosophia Christianae doctrinae, vt ipse vir magnus hunc diffensum agnoscere coactus sit; in multis tamen eam amice conspiare sibi persuasit. Ex qua opinione verba fluunt, in *Manuductio ad philosophiam Stoicam*: *cui religioni Christianae, hanc non vnde concordem aut amicam, in multis tamen, et ipsa manuductio te hoc docebit.* Verum vehementer falli atque fallere Lipsium, splendidis Stoicorum praceptis et subdola Christianorum imitatione deceptum, suis locis a nobis demonstratum, et integra quoque dissertatione euictum est, praeter surreptas voces et phrases, et quandam speciem dogmatum Christianorum, ad pessimum Stoicae philosophiae systema fraudulenter et artificiose traductam, nihil habere Stoicos, quod cum Christi disciplina conspiret. Quae cum ita se habeant, inter iniquos et deceptos Stoicorum cum Christianis conciliatores THOMAS GATAKERV^S, quoque referendus est, qui eruditam, quam ANTONINI institutionibus ethicis, *de officiis ad eum pertinentibus*, praemisit Praefationem magno labore ideo conscripsit, vt demonstraret: *Stoicam disciplinam prae caeteris philosophorum priscorum sectis ad dogma Christianum proxime accessisse, et non modo in multis conuenire, sed in pluribus etiam, quam sectam aliam, si practica praecepta consideres, vnde ad Hieronymum prouocat, afferentem Stoicos nostro dogmai in plenisque concordare.* Quae tanta fiducia adductis splendidis Stoicorum de morali argumento praeceptis regulisque afferit, vt contendat, non modo probare hanc Stoicorum dogmatum cum Christianis conspirationem horum veritatem, sed et scintillulas quasdam diuinae imaginis haud contempnendas reliquias in hominum mentibus prodere, et adeo manifestum esse hunc consensum, vt nihil in exterorum, quae hodie extant scriptis reperiatur, quod ad disciplinam nostram proprius accedat. In qua opinione virum optimum, et laudabili cetera pietatis amore accensum, at non satis caute in Stoicorum scriptis verfatum, plurimum decipi, vera, ex quibus praecepta Stoicorum moralia fluunt, fundamenta pestilentissima et impia satis superque produnt: memorabili exemplo, viros etiam doctissimos, et cum eruditione tum pietate insignes falli in hac comparatione et conciliatione turpiter posse, nisi cautelas, alio a nobis loco explicatas, inculcatasque probe admittant obseruentque, et verborum sana

Ccc cc 2

men-

u) In Praef.

x) De Stoicis subdolis Christianorum imitatoribus. Tempe Helvet. T. III. sect. 2, p. 270.

y) In Diff. de Comparatione philosophiae gen-

tilis cum Scr. S. et religionis Christianae dogmatibus caute instituenda, quae Odi Vindelicis meler. primo extat.

mentientium splendore se decipi non patientur. Idem de Andrea Daciero pronuntiandum esse, supra quoque, vbi de Stoicismo resuscitato actum est, monuimus. Is ut eruditione et Stoicae philosophiae peritia Gataker longe est inferior, ita in hoc consenu exsculpendo multo magis desipuit, prodiditque veras rationes disciplinae Stoicae sibi fuisse ignotas; quo nomine malesana eius in hac concordia demonstranda diligentia ex merito a FRANC. BALTO^z castigata est. Similem fortunam experta est secta Epicurea. Et Gassendus quidem vir summus, et doctrina non minus quam iudicio illustris, licet Epicurum meliora et saniora paecepisse, quam plerique putant, haud contemnendis rationibus demonstrasset, ab hac tamen conciliatione tanta prudentia abstinuit, vt ipsa fundamenta impietatis Epicureae, quibus omnis moralis doctrinae sanctitas euertitur, non modo in apricum proferret, sed egregiis quoque confutationibus perimeret. Ast elegantius comedendum Epicurum esse ratus Iacobus Rondellus, eleuare impietatem Epicuri, sanumque dictis eius sensum affingere nullus dubitauit, qua in re frustra eum agere supra quoque ostendimus. Pertinent huc quoque suo modo, qui systema atomisticum a Democrito et Epicuro, rerum omnium generationi explicandae adhibitum ita ad Mosis cosmogoniam applicarunt, vt diuinus vates ἐπινογίσειν cogeretur, quos cum inter Mosaicos philosophos iam tetigerimus, et quam praepostere egerint, monuerimus, plura dictis non addemus. Nulla tamen secta fauentioribus in hac re fatis via est, quam Platonica et Aristotelica. Cum enim hae potissimum inter recentiores philosophos imperium obtinuissent, earum maxima contentio fuit, demonstrare, conditores harum sectarum ipsamque earum disciplinam a Christiana parum discrepare, habere autem quamplurima, quae pulchre satis cum diuiniori doctrina conueniant. Qua in opinione totum fere seculum XV et XVI fuit, quatenus in eo philosophi Platonica dogmata probauerunt, vt ex iis constat, quae Tomi huius Libro primo de resuscitata secta Platonica diximus, et luculenta Beffarionis, Pici, Ficini loca adduximus, quae heic repetenda sunt. Ex quorum schola cum Platonici sequentes prodierint, eadem illi chorda oberrarunt; immo adeo hoc praeiudicium syncretisticum virorum eruditissimorum, qui veritatem religionis Christianae demonstrare sunt aggressi, animos occupauit, vt longum texere eorum indicem liceret, qui huc debent referri, si id ageremus. Speciminis loco autem consulere Lectorem iubemus, LIVIVM GALANTEM^a, FRANC. PATRICIVM^b, FRANCISCVM VIERIVM^c, aliosque ex parte

^{a)} In Iudicio PP. de Philos. morali gentilium passim.

^{a)} Fuit is ordinis Minorum theologus, editit libros XX, de Christianae theologiae cum Platonica comparatione Bonon. 1627. fol.

^{b)} In Aristotele exoterico, conf. IO. LAVNOVIS de Fortuna Aristot. c XIV. p. 283.

^{c)} In Compendio doctrinac Platonicae quatenus cum Christiana fide conspirat, 1577. 8. et, Conclusioni di Platone conformi alla doctrina Christiana et a quella di Aristotele Flor. 1590. 8.

parte inter Platonicos recentiores nominatos. Quibus ex seculo XVII addendos esse theologos Anglos, Galeum, Cudworthum, Morum, ex dictis suo loco est manifestissimum. Ut taceamus Souueranium, Baltum aliosque, qui vel ex Christianis Platonica, vel ex Platonis Christiana exculpere sunt conati. Idem consilium Aristotelis cum reuelatione diuina conciliandi in tota Scholasticorum recentiorum cohorte deprehenditur. Nec inter nostros desunt, qui eandem cantilenam recitarent, et fana atque doctrinae diuiniori conformia in Aristotele viderunt, quae morbida sunt, et ab illa toto coelo discrepant; ad quem lapidem ipse Io. IONSIVS ^d offendit. Alios, ne prolixii simus, apud cel. FABRICIVM ^e quaerat Lector, rogamus. Qui quam inepte in hac conciliacione egerint, physiologia Peripatetica, aeternique motoris atque motus natura et conditio, mundi aeternitas, animorum mortalitas, et exitialia dogmata alia, quae larga messe diffunduntur in Lyceo, suoque loco a nobis demonstrata sunt, abunde conficiunt. Omnem itaque philosophandi prudentiam modestiamque exuisse censendus est Io. ZEISOLDVS, philosophus Ienensis, cum peculiari tractatione, de Aristotelis in illis, quae ex lumine naturae innotescunt, cum scriptura S. consensu ab eaque apparente dissensu ^f hoc faxum volueret. Ut enim Aristotelis mentem saepenumero peruertere debuit, quo sanum illi sensum affingeret, ita ad libros spurios, et imprimis illum, qui de mundo agit, ad Theologiam mysticam ^g aliaque, quae huius generis sint ἡποθετικαὶ prouocauit. Quo pacto syncretistas plerosque peccauisse, eorum lucubrationes abunde probant, et illi potissimum docent, qui de salute Aristotelis aeterna bene sperant, suo loco in partes vocati. Hi enim huius furfuris scriptis adulterinis maxime nituntur. Eandem fortunam Cartesiana philosophia experta est, cuius φιλοσοφίαν cum impietatis praetextu ab aduerfariis valde premerentur, id sibi negotii datum esse sectatores nonnulli crediderunt, ut quam pulchre eius philosophia cum scriptura diuiniore conspiret, demonstrarent. Quod sibi pensum absoluendum esse putauit LUDOVICVS DE BEAUFORT medicus Parisiensis, qui in Cosmopoeia diuina siue fabrica mundi explicata ^h, Cartesianam physiologiam cum cosmogonia Mosaica erudite comparauit. Quo nomine meruit, ut inter Mosaicos a CHRISTIANO THOMASIO ⁱ numeraretur. Non infeliciter autem in eo campo versatum esse iudicat MORHOIVS ^k, quod iudicium vtrum probandum sit, ex iis, quae supra de conatibus his cosmogoniam Mosis ad hypotheses philosophorum refingendi diximus, prudens Lector nobis non monentibus statuet. Recte autem, inter huius classis syncretistas eum referri, censuit B. BVDDEVIS ^l. Idem teritauit Io. AMERPOEL in

Cccc 3 Car-

d) De Script. hist. phil. L. I. c. 2. p. 7. 8.

e) I. c. c. VIII. p. 307.

f) Ienae 1667. 4.

g) Idem facit PATRICIVS libro citato.

h) Philosophical transact. T. I. p. 1052.

i) Introd. in philos. aul. c. II. §. 58. p. 682.

k) Polyhist. T. II. L. II. c. 3. p. 167.

l) Hist. phil. c. 6. §. 6. p. 388.

Cartesio Mosaizante, siue euidente et facili conciliatione philosophiae Cartesii cum historia creationis primo capite Geneseos per Mosen tradita ^m. Is eodem, quo plerumque vti Syncretistae solent, fato laborem hunc aggressus est, vt scilicet hypotheses confunderet, Mosaicae creationi aliena affingeret, et foccum adaptaret cothurno, sive infeliciter in ea arena desudaret, id quod luculentis exemplis B. BVDDEVs probauit ⁿ. Tacemus theologos reformatae ecclesiae, qui obortis litibus Cocceianis et Cartesianis, cum Cartesiana factioni ab aduersariis impietas obiiceretur, pro orthodoxia Cartesiana acriter dimicarunt, et amice conuenire Cartesio cum Christiana doctrina editis integris tractationibus demonstrare sunt conati. Inter quos imprimis eminuit CHRISTOPHORI WITTICHII diligentia, qui magno conatu hoc faxum in *Theologia pacifica et tr. de Consensu scripturae S. cum veritate philosophiae Cartesiana* ^o voluit. De qua tamen controversia cum in Cartesii historia parte huius operis ultima sit dicendum, et quae fata ob imputatam atheismi suspicionem Cartesianismus habuerit, quibus aduocatis quoque patrocinio vsus fuerit, exponendum sit, hoc loco plura non adducimus. Id modo addimus, recentiori tempore inuentum esse, qui systema Cartesii de mundi generatione et ortu, et de animabus brutorum, ex primo Geneseos capite desumptum esse affereret ^p.

Concordia in-
ter Peripate-
ticos, Galeni-
cos, et inter
chemicos ten-
tata.

§. VI. Quam inimicis inter se signis concurrerint philosophi et meti, ex quo facem praferente Theophrasto Paracelso illi, in Peripateticos atque theosophos; hi in Galenicos Hippocraticosque et chemicos siue Paracelseos, qui Spagirici quoque dicti sunt, diuisi sunt, ex iis, quae de theosophorum historia prolixo attulimus, constat. Magna inde et acerba lis in scholis artis salutaris exorta est, adeo vt nec inuectiuis parceretur; nec contumeliis. Cum autem chemiae praestantia et utilitas tandem usu et experientia medicorum fillis, quos haec tenus nouatuerint Paracelsi barbaries illiterata et obscuritas offenderat, esset comprobata, pacis inter utramque partem incundae consilium ceperunt viri quidam eruditissimi, rati non ita inter se dissentientes differre, vt non conspirare tamen in multis, in reliquis mutuo tolerare se possent. Quam palaestram in academiis primus forte ingressus, vir eruditissimus, et de arte salutari multis nominibus praecellere meritus DANIEL SENNERTVS. Is enim non modo usum chemiae, et medicaminum arte chemica paratorum primus inscholas medicorum Hippocraticorum introduxit, et cum Hippocratica et Galenica medendi methodo haud infeliciter coniunxit, sed tollere quoque dissensum, et in haud paucis utramque sectam conspirare, demonstrare satagit,

m) Leouard. 1667. 12.

n) Obf. Hal. l. c. p. 249.

o) Neomagi 1659. 8.

p) CORDEMOI Lettre pour montrer que

tout ce que Des Cartes a écrit du système du monde, et de l'ame des bêtes semble être tiré du prem. chapitre de la Genèse, conf. Hist. crit. de la philosophie T. I. p. 170.

egit, edita tractatione, *de Chymicorum cum Aristotelicis et Galenicis consensu et dissensu*^{q.}. Quo tamen labore, ut solet plerumque *rebus egenis non eius* euenire, parum gratiae retulit apud veteris medicinae cultores. Prodiit enim in scenam IOANNES FREITAGIUS, medicus Groenigenfis, edita *Nouae sectae Sennerto-Paracelsicae recens in philosophiam et medicinam introductae, qua antiquae veritatis oracula, et Aristotelicae ac Galenicae doctrinae fundamenta conuellere ac stirpites eradicare moliuntur nouatores, detectione et solida refutatione*^{r.}. Qui aliis quoque scriptis malo serpenti obuiam ire, et pacem subdolam palam facere contendit, quorum titulos exponit ABRAHAM MERCKLINUS^{s.} Quo indice nouimus, quoque eandem diligentiam in refutando Syncretismo Galenico - Paracelsico adhibuisse, GREGORIVM MARTINVM, cui debemus *Commentatiunculam in librum, qui inscribitur: de Chymicorum cum Aristotelicis et Galenicis consensu ac dissensu cap. XI. quod est de principiis chymicorum: tractationem quaestio-*nis, *an sulphur et mercurius sint prima perfecte mixta, et reliquorum imperfecte mixtorum principia nouam perque utilem continentem*^{t.} Non fuisse autem Sennertum primum, qui eiusmodi concordiam tentauerit, licet primus fuerit, qui cum successu eam rem in academiis egerit, exemplo IO. ALBERTI WIMPINAEI medici Bauarici constat, qui anno clo Ix et sequentibus et praxi medica et libris editis famam sibi inter medicos Bauariae haud contemnendam comparavit. Is forte ipsi Paracelso, in Bauaria satis noto et deamato, innotuit, certe eius medendi rationem et philosophiam probauit, et editis commentationibus illustrare conatus est, de quibus eius lucubrationibus consulendus doctissimus FRANC. JOSEPHVS GRUENWALDTIVS^{u.} Cum autem nec veteres contemneret, nec in concordiam utramque scholam redigi posse desperaret, ubique in id digitum intendit, ut pacem restitueret. Quod adeo male habuit scholam Galenicam, ut et scriptis et dictis eum arroderent. Non tamen ideo animum abiecit Wimpinaeus, sed causae suae novo scripto adfuit, editis *de Concordia Hippocraticorum et Paracelsistarum libri magni excursionibus defensiuis, cum appendice, quid medico sit faciendum*. In quo libro conciliatorem agit inter Graecos, Latinos, Arabes, ac inter Theophrastum Paracelsum, et non adeo longe inter se eos distare demonstrat. Fuisse autem, ait, laudatus Gruenwaldtius, *virum non vni medicorum sectae addictum, sed familiariter omnes, quotquot tunc erant, agnouisse, omnino certum, in unaquaque familia esse aliquid insigne, quod non esset ei commune cum ceteris*. Quod eclecticum quidem exprimit, ast syncretisticum studium fuisse, ex ipsis his *Excursionibus defensiuis* est clarissimum,

q) Viteberg, 1619. 1629. Erfurti 1655. et Tomo I. Opp. conf. MERCKLIN, Linden, renou. p. 231.
r) Amstelod. 1636.

s) p. 584.
t) p. 368.
u) Francof. ad Oder. 1621. 8.
x) In albo Bauariae iatricae p. 143, 144.

mum, in quibus aduersarios et obtrectatores, qui nerois ipsi rodebat, eumque variis clandestinique conuitiis dilaniabant, digno lixiuio perfricuit.

*Io. Baptiste
du Hamel
syncretistici
conatus.*

§. VII. Idem opus aggressus chemicorum physicam cum veteribus philosophis conciliare tentauit, at patentiorem simul campum sibi elegit, et consensum veterum et recentiorum philosophorum si non in omnibus, in multis tamen ostendere conatus est IOANNES BAPTISTA DV HAMEL, vir et iudicij laude clarissimus, et doctrinae copia celeberrimus, cuius haud obscurum nomen est, inter recentioris aetatis philosophos ^{y)}. Qui cum omnium doctissime et moderatissime huiusmodi concordiam meditatus sit, pulchre autem alio quoque nomine de philosophia meruerit, dignus est, cuius historiam hoc loco paucis tangamus. Normannus is fuit, patre genitus Nicolao du Hamel causidico, anno c15 15xxiv. Iactis apud Condomenses humanitatis et philosophiae fundamentis ad Parisienses abiit, vt in celeberrimo Musarum domicilio elegans et concinnum doctrinae aedificium sibi exstrueret. Ibi et sacris literis se tradidit, et philosophiae atque mathei operam dedit ea mentis alacritate et perspicacia, vt annos vix octodecim natus, scriptum trigonometricum edere posset. Anno sequente, celeberrimae Philippi Nerei congregationi nomen dedit, inque ea decennium commoratus concionatoris munus, vt ordinis statutis obediret, suscepit. Cum autem et morum pulchritudine et eloquentiae praestantia et doctrinae elegantia esset commendatissimus, a cardinali Antonio Barbarino anno c15 15 c LIX domesticis regis sacris praefesse iussus est. Quam fauentissimam occasionem, expertus est, mirum in modum eruditionem augendi. Nihil enim erat, quod vel antiquitas commendaret, vel ingenio placeret, vel per omnem artium et disciplinarum circulum culturam prae se ferret, nihil ex omni literatura antiquum et nouum, quod non accurate perspiceret, et ex quo animi diuinitas non augeret. Vsus autem bibliothecarum praestantissimarum auxilio et amicitia cum viris summis inita, adeo excelluit, vt inter summa Galliae ornamenta referretur: praecipue cum praeter disciplinarum praestantissimarum notitiam prorsus singularem, morum eum candor, et amicitiae fides redderent iucundissimum; quo nomine vehementer eum laudauit PETR. DAN. HVETIVS ^{z)}. Talis cum esset, a magno literarum et literatorum praefidio Colberto, qui ad clavum reipublicae eo tempore sedebat, et viris doctis impense fauebat, academiae scientiarum, recens fundatae ab epistolis esse iussus est, eo quod eleganter et perspicue scribere Latina nosset. Quae quoque cauſa fuit, cur anno sequenti regis sui iura in Belgium eo sermone vulgare, et deinde legationi regiae ad conuentum pacis cauſa Aquisgrani institutum missae aedeſſe iussus fit. Quo munere fun-

y) FONTENELLE Histoire du renouvellement de l' academie royale des sciences Tom. I. pag. 148. Act. erud. 1708. Aug. 348. seq. Noua lit. Hamb. 1707. pag. 300.
z) De rebus ad eum pertinentibus L. IV. p. 88.

functus, itinere Anglico et Batauo suscepto in patriam rediit, et prodesse orbi eruditio doctrina sua, libris editis maxima diligentia connisus est. Ab eo tempore multa eruditionis et industriae Hameliana comparuere specimen, theologica, philosophica, mathematica. Edidit enim anno cl^o l^o clx *Astronomiam physicam*, anno cl^o l^o c^lxx tractatum de *Corporum affectionibus*, anno sequenti librum de *Mente humana*; et vt integrum philosophiae corpus exhiberet, et veteribus attemperatum et recentioribus, prodidit eius cura anno cl^o l^o c^lxxviii eius *Philosophia vetus et noua ad usum scholae accommodata*^a. In qua nec veteres contemnit, nec methodum in scholis usitatam neglit, et recentiorum obseruationibus ita vtitur, vt, quod ipse fatetur^b, nulli sectae philosophorum et maxime recentiorum additus, quae sibi veri propiora, et obseruationibus magis consentanea viderentur, afferre, contentus liberum cuique iudicium relinquat, cuncta autem maxima perspicuitate enarret. Qua ingeni moderatione, cum eo tempore inter Cartesianos et scholasticae philosophiae sectatores maxima vigerent controvrsiae, adeo omnibus placuit, vt Iesuitarum societati vehementer probaretur, quae et laudibus eum cumulauit^c, et non dubitauit eius sistema philosophicum apud Sinenes philosophiae studiosis praelegere. *Regiae Scientiarum academie historiam* autem scribere aggressus, quam anno cl^o l^o c^lxvii vulgauit, et auctiorem anno cl^o l^o cc^l edidit, dici non potest, quam gratam eruditio orbi operam praestiterit. Nobis autem hoc loco potissimum memorandus est ob libros quatuor de *Consensu veteris et nouae philosophiae*^d, in quibus physicam tantum partem philosophiae, eamque generalem attigit. In eo libro, multa veteris et recentioris philosophiae notitia referto, „sibi proposuit auctor doctissimus, omnium pene philosophorum disciplinas lustrare, atque ex iis, quod verisimillimum erit, quasi suum arripere, extremas opiniones ad iustum temperamentum adducere, eas demum, quae non tam inter se dissident, quam primo aspectu videntur, „vt fieri maxime poterit, conciliare: hunc autem in finem, vt magis „absoluta esset philosophiae naturalis tractatio, vniuersiusque sectae formam non leuiter adumbratam, aut potius contradicendi libidine deformatam, sed omnibus suis expressam lineamenta exhibere, cum cuius non hebeti constare possit, Platонem, Aristotelem, atque alios philosophiae principes, neque omnia, neque nihil vidisse, et eodem omnes tendere, quamvis diuersas muniunt vias, et alii in aliis rebus tractandis magis excellant.“ Huic igitur scopo suo inferuiturus, primo quidem Platonicam philosophiam enucleat, eamque diligenter explicat, eo quod ad aeternas et primitivas rationes mentem erigat, eamque a perituis rebus

a) Prodierunt eius opera uno fascie comprehensa Norimb. 1681. 4. II. Voluminibus.

b) p. 84.

Hist. philos. Tom. IV.

c) Vid. D A N I E L Iter Cartesii per mundum P. II. p. 126.

d) Prodiit 1663, et tum saepius.

bus auocatam, ad eas, quae sola intelligentia percipiuntur, conuertat. Qua in re infinitum prope momentum esse monet, quia obruimur turba philosophorum, qui nimis fidunt sensibus, et nihil praeter corpora intellici posse contendunt, qua nullam perniciosem pestem in vitam humana posse inuadere monet, nihil quod rationi magis aduersetur; quibus verbis aut Gassendistas nonnullos, aut Hobbesii affeclas, qui magnum isto tempore strepitum ediderunt, petere videtur. In theologia ergo naturali et metaphysicae parte Platonem, sed ad meliores sensus reuocatum potissimum sequitur: deinde de principiis rerum ex mente Aristotelis differit, et tum philosophiam Epicuream subnectit. Postremo philosophiae Cartesianaee principia perspicue pertractat, et quae sibi in hoc genere philosophiae obscuriora videntur, ingenue proponit. In posterioribus duobus libris autem elementa et chemicorum principia, tum vniuersim, tum separatim explicata tradit, et experimenta quoque chemica, vel nuper inuenta vel nondum cognita cumulat. Haut obscure autem prodit, hunc se finem sibi obtinendum posuisse, *ut aliorum lites componeret, et tumultuantes animos compesceret, philosophosque doceret aliquem controversiarum modum facere, et tumultuantum certamina deponere.* Valde se commendauit Hamelii labor viris illis doctis, qui cum recentiora non improbarent, vetera tamen omnia reici indigne ferebant, inter quos MORHOPIVS^e est, qui, cum de conciliatione veterum et recentiorum ageret, hunc vnum potissimum legendum esse monuit, *quia magna cura sua tractet, et ex optimis selegat plurima, pulchro quoque orationis flore doctrinam suam vestiat.* Nec negamus, eum et eleganter et perspicue scripsisse, pugnas verborum multas sustulisse, obseruationibus recentiorum veterum placita mire illustrauisse, et ita haud inutiliter operam locauisse suam. Ast fatendum quoque est, nimium pacis et concordiae inter veteres et recentiores studium virum optimum haud raro in praeceps egisse, *vt mentem veterum philosophorum euerteret, et saniores haud raro sensus illis tribueret, quam systematum patitur connexio, multum lucis ex recentiore philosophia veteri violenter inferret, vbi nil nisi tenebrae fuerunt, et sic oculatores eos faceret, quam reuera fuerunt: multa quoque supponeret, quibus simplici negatione eversis tota conciliatio subruitur.* Quos naeuos non potest non habere Syncretismus philosophicus. Id quod ea relegenti et comparanti, quae auctor de principiis Aristotelicis et chemicis dixit, erunt manifestissimae f. Decessit Hamelius valde senex anno cīo Iō cc vi, aetatis LXXXII.

Syncretismus
Platonico-
Peripatetico-
Stoicus.

§. VIII. Nulla tamen parte diligentiam magis adhibuit in concilianis dogmatibus philosophorum natio, quam in Syncretismo Platonico-Peripatetico-Stoico, quem egregia docta que obseruatione illustrauit IACOBVS

e) Polyhist. Tom. II. L. II. P. I. c. 18. p. 261. f) Conf. BYDDEVS 1. c. Obs. 14. §. II.
seqq. p. 277.

BVS THOMASIVS ff. Esse hunc Syncretismum vetustissimum, et non his demum seculis recentioribus natum, sed iam veteribus adeo deamatum, ut in eo excolendo insanirent, tot exemplis a nobis in historia harum sectarum suis locis explicata demonstratum est, ut actum ageremus, si hoc ea transferremus, quae iam alibi prolixè differimus. Quare Lectorem, si de his philosophis, qui huius generis concordiam tentarunt, ampliorem notitiam cupiat, rogamus, ut ea consulat, quae de Syncretismo académiae quintae ab Antiocho institutae, qui pacem inter Stoicos et académiam primam iniit, quemque suo modo fecutus est Cicero; et imprimis de male fana conciliatione Platonicorum inter Platonem et Aristotelem, post C. N. maxime vero de insanis in hoc argumento nugis scholae Ammonii et Plotini, quam Alexandrinam appellamus, ipsa vero Platonica et eclectica videri voluit, scripsimus. Ea enim ad istum apicem hunc Syncretismum euexit, ut magis non posset. Huc igitur ea pertinent, quae de Ammonii, Porphyrii, Themistii, Iuliani, Procli, Marini, Ammonii Hermeae, Simplicii aliorumque conciliazione inter vtrumque philosophum attulimus. Eandem tibiam inflasse philosophos Christianos Alexandriae et Athenarum institutos maxime Origenem, Sinefium, Philoponum, Pselnum vtrumque, Boëthium, similesque, quin ad Arabes quoque hanc pestem transiisse suis locis luculenter probauimus. Ipsa vero renascentis Platonismi historia, quam in *hoc Tomo* prolixè enarrauimus, manifestum facit, cum ipso renascentium literarum honore resurgente, Syncretismum hunc quoque fuisse ad occidentis philosophos per exules Graeciae in Italia confidentes translatum. Quamuis enim nonnulli Platoni principem locum assignarent, plerique autem Aristotelem aliis, ipsique Platoni anteponerent; ne-
mo tamen fuit, qui negaret, in plerisque vtrumque philosophum, si verba demus, reapse conuenire. Huic enim sententiae subscripterunt Bessario, Pletho, Ficinus, Picus, et ex Aristotelicis Gaza, quorum primus integro libro hanc concordiam defendit, ut supra dictum. Hac via illi quoque incesserunt, qui seculo XVI in Italia ducem Aristotelem sibi elegerunt, hos namque fere omnes Platonem inter Stagiritae amicos numerasse, et conspirationem vtriusque se videre sibi persuasisse, plurimis exemplis probauimus, et in singulorum philosophorum historia annotare non oblii sumus. Vnus inter Platonicos Franciscus Patricius excipiendus est, qui licet Montecatino ad fortunas suas amplificandas gratificaturus, concordiam inter Platonem et Aristotelem demonstrare suscepisset, mira tamen calliditate, ut Peripateticis imponeret, id potissimum demonstrare aggressus est, pauca vel nihil habere Aristotelem, quod non apud Platonem et veteres physicos reperiatur. Quod fauere quidem isti, quam Peripatetici moliebantur, paci Platonico-Aristotelicae vifum est, at comparuit postea, in perniciem famae et philosophiae Aristoteleae haec Patricium scripsisse, cum ideo consensum inter Platonem et Aristotelem assertum iret, ut ostenderet, hunc

Ddd dd 2

ab

¶) Orat. XV. p. 323. hunc sequitur B V D D E V S 1. c. obs. 14. §. 3. p. 261.

ab illo sua esse suffuratum et detorta misere atque corrupta sua fecisse. Quo pacto Syncretismo hoc usus in propria Syncretistarum istorum viscera eorum telum adegit. Neque tamen ex Syncretistarum huius generis numero totus eximendus est Patricius, quamuis enim disciplinam Peripateticam maximo odio persequeretur, et hunc in finem ita Platonis et Aristotelis philosophiam inter se compararet, ut hunc admodum impie in plerisque capitibus dissentire ab illo demonstraret; afferuit tamen: *Aristotelem philosophiam mysticam suam ipsum e Platonis ore hauisse, et clanculum seruasse, aliam autem exotericam, et philosophiarum omnium inconstans et sibi ipsi repugnantem maxime, et omnium falsissimam, ex odio in Platonem euulgasse*^g. Quod Patricium aut nimio Platonis amore seductum, aut inaduentia quadam deceptum afferuisse, inde constat, quia illa philosophia mystica siue Aegyptiaca Aristotelis adulterinus foetus est, cuius suppositionis notae ita manifestae sunt, ut miremur, Patricium virum doctum et accuratum, ita falli fallereque potuisse, ut libellum nugatorium Aristoteli adscriberet. Reliquos autem seculi XVI philosophos, qui tantum non omnes Peripatetici fuerunt, Platonis odium ita non cepit, ut non de harmonia eius cum duce suo cogitarent. Qua de re imprimis relegenda sunt, quae de Iacobo Mazzono et Francisco Piccolominae supra obseruimus^h. Addi his quam plurimi possent, si ex instituto Syncretismi Platonico-Peripatetici historiam scriberemus. Aliquos tamen hic nominamus, ne abeamus $\alpha\sigma\mu\beta\alpha\lambda\omega\iota$. Et famosum imprimis Pauli Scalichii nomen est, qui ut origines illustrissimas sibi petulanter arrogauit, et miscere sacra et profana nefando corisfilio ausus est, atque nugiuendum se aulis pariter et orbi literario probauit, ita in hoc quoque conciliationis genere fumos vendidit. Non enarrabimus memorabilem vitae fatorumque impostoris huius historiam, licet curiositate Lectoris non indignam, cum longius ea a nostro instituto recedat; facileque consuli possint viri doctissimi, qui sat accuratam eius nobis notitiam fecerunt, Ven. Mich. LILIENTHALIVSⁱ, Cl. VOLBRECHTVS^k, et praestantissimus SCHELHORNIUS^l noster, quibus addi possunt, qui Borussiae historiam enarrarunt, HARTKNOCHIVS^m, aliiqueⁿ. Monemus autem, quod ad hunc locum pertinet, magno hiatu hunc promissorem, istam concordiam, teste G. HORNIO^o et I. THOMASIO^p prae se tulisse, et demonstrare pollicitum fuisse. Quanquam autem recte ab utroque, quem laudauimus, viro docto obseruatum est, nihil egisse Scalichium, more suo verba dantem, patet tamen ex scriptis eius philosophicis, qualia sunt: *Epistemor catholicus, quo uniuersus orbis tam sacrarum quam profanarum disciplinarum omnisque omnium sectarum et philosophiae doctrina catholica declaratur*;

item,

g) In Aristotele exoterico.

h) Conf. THOMASIVS l. c.

i) Act. Borussiae P. III. art. 1.

k) Ibid. P. VI. art. 3.

l) Bibl. Brem. Classe VII. p. 1027. Amoenit. liter. T. IX p. 69t.

m) Chronic. Boruss. p. 534.

n) Borussia illustrata T. II. et III. Summam rei enarravimus in Germ. H. Phil. opere T. VI. p. 1285.

o) Hist. phil. L. VI. c. 13. p. 324.

p) loc. cit.

item, *Reuolutio alphabetaria, seu perfectissima ad omne genus scientiarum methodus*; *Eulogus, sive de anima separata eiusque actione*; *Dialectica contemplatio ad consequendos scientiarum habitus per quam vtilis*; *Theses mysticae philosophiae; de mundo archetypo, intellectuali, coelesti, elementari et infernali*, aliaque ab eo profecta, huic eum Syncretismo inniti illique frigidam suffundere. Quod vero Scalichius promisit tantum, exsequi tentauit SYMPHORIANVS CAMPERIVS, natione Gallus, eques auratus et archiater apud Lotharingiae principem, Scabiniusque Lugdunensis, cuius inter medicos seculi XVI literatos et meritis atque literis conspicuos haud obscurum nomen est. Is cum plurimum temporis in Platonis, Aristotelis, Hippocratis et Galeni libris volutandis, conquirendisque dogmatibus posuisset, conspirationem eorum detexisse fibi vi-
sus, pluribus eam libris vel exposuit, vel philosophiam illi inaedificauit. Leguntur enim in indice scriptorum eius ab ABRAHAMO MERCKLINO^q enarratorum, *Symponia Platonis cum Aristotele, Galeni cum Hippocra-
te; Philosophia Hippocratica; Platonica medicina de dupli-
ci mundo; Speculum medicinale Platonicum et apologia literarum humaniorum, quae iuncta prodiere apud Parisienses anno clo lo c xvi. Sed et reliqua eius scripta philosophica huc suo modo pertinent, nempe, *Periarchon, sive de principiis
vtriusque philosophiae, in quo praeclarissima quaeque et lectu digna,
quae Galenus in demonstratiis sermonibus et Aristoteles in libris natura-
lium disciplinarum, et Timaeus Locrus et Plato in libris de vniuerso
scripsierunt, breuiter clareque et placido stilo pertractantur atque decla-
rantur, sententiae*^r. Itemque Libri septem, de dialectica, rhetorica,
astronomia, musica, philosophia naturali, medicina et theologia, de LL.
et Republica et de moribus ex Aristotelis et Platonis sententia^s, ut alia taceamus, ad historiam medicorum philosophantium pertinentia^t. His adiicimus catalogum Syncretistarum inter Platonem et Aristotelem concordiam molientium, a FR. PICCOLOMINAE^o, eiusdem generis philosopho exhibitum, repetitumque a IAC. THOMASIO^u. In quo comparent nomina Friderici Pendafii, Bononiensis professoris, cui debemus *Censuram physicae auditionis*, Nicolai Turci, Camilli Baldi, qui et ipse circa annum clo cxx Bononiae Peripateticam philosophiam et artem medicam docuit, et pluribus commentationibus innotuit, MERCKLINO^y memoratis: Iugurthae Thomasii et Fortunii Cinugi philosophorum Senenium; Augustini Buccii, philosophiae apud Taurinenses professoris, Ioannis Bernardini Longi^z, Hieronymi de Ponte, Flaminii Nobis*

Ddd dd 3

Nobi-

^q) In Lindenio renou. p. 986.^r) Lugd. 1533. 8.^s) Basileae, 1537. 8.^t) De claris medicinae scriptoribus et legum conditoribus, Vita Mesiae, Arnoldi de Villa No-
tua etc.^v) In Ethica p. 438. seq.^x) loc. cit. p. 341.^y) loc. cit. p. 138.^z) IDEM l.c. p. 95. Eius libro de Principatu
partium corporis additus est similis argumenti tra-
ctatio a Ludouico Buccaferreto Bononiensi, qui
philosophiam Peripateticam in patria et Romae
docuit. Cuius nomen huic quoque Syncretista-
rum

Nobilii ^a, Luccensis, Francisci Verini, Francisci Bonamici ^b, medici Florentini, et imprimis veteris philosophiae peritissimi. Scipionis Agnelli ^c, Gabrielis Buratelli, monachi Augustiniani, cuius diligentia in *Praecipuarum controversiarum Aristotelis et Platonis conciliatione*, opere desiderato et a veteribus et recentioribus pollicito, non tamen ab soluto ^d eminuit. His suo iure addimus Sebastianum Foxium Morzilum, virum doctissimum, qui fere omnium diligentissime in hac palestra se exercuit. Toletanus is fuit, generosa stirpe natus, Louaniique artium et philosophiae semina concepit a Petro Nanno, Cornelio Valerio et Gemma Frisio. Cum autem praecoci ingenio eriteret, ad philosophiam transgressus, matura eius doctrinae specimina edidit: annos enim natus XIX, *Commentarium in CICERONIS Topica*, et anno aetatis XXIV, in *Platonis Timaeum euulgauit*, quae specimina alia postea scripta philosophica fecuta sunt. Qui si longius vixisset, plura non est dubium, quin orbi literato dedisset: at inuidetur ei longiore fata vitam. A Philippo II, Hispaniarum rege enim vocatus, ut filium Carolum literis et philosophia imbueret, naui conseensa, in ipso aetatis flore, naufragio periit. De qua eius vita videsis NICOL. ANTONIVM ^e, C. A. HEVMANVM ^f aliasque ^g. Syncretismum autem Peripatetico-Platonicum non modo in *Compendio ethices ex Platone et Aristotele* fouit, sed insigniter quoque promovit edito libro *de naturae philosophia, seu de Platonis et Aristotelis consensione* ^h. In utroque libro lucernam olente, haud contumendam Syncretisticae istius philosophiae epitomen physicam ethicamque exhibuit, hancque conciliationem ita adornauit, ut habitu mathematico compareret: ubique enim definitiones, axiomata et hypotheses praemittit, hisque conciliations suas inaedificat. Quanquam autem tum in his libris, tum in aliis, et imprimis in Comm. in *Platonis Phaedonem* et *Libros de Republica* a NAVDAEO ⁱ laudato eruditio specimina virtutis doctis valde probata attulerit; dolendum tamen, ipsam Syncretismi naturam eum in praeceps egisse, ut omnia haud raro confunderet, id quod luculentis exemplis probauit B. BVDDEVS ^k. Stoicos vero hi, quos recensuimus, neglexerunt, quorum consensum tamen cum Aristotelicis in controversia circa gradum necessitatis bonorum externorum ad summam beatitudinem ostendere voluit PAVLVS ROETENBECCIVS ^l; in dogmate

rum indici inferendum est, non enim Peripateticam philosophiam solummodo excoluit, sed Platonicam quoque, senuique taedia levaturus PLATONIS libros de Legibus in epitomen redegit. Fuit discipulus Achillini, et praeceptor Fr. Piccolominae, Iul. Caef. Scaligeri, obiitque 1545. conf. FREHER. Theatr. p. 1450.

a) Vid. TEISSIER Elog. T. IV. p. 98. et quos laudat.

b) Conf. MERCKLIN. I. c. p. 282.

c) Vid. Histor. de Ideis p. 76.

d) Vid. Acta philos. Vol. II. p. 570. GAVDEM-
TIVS de Philos. Roman. c. 166.

e) Bibl. Hisp. nou. T. II. p. 225.

f) Progr. II. Suppl. Boecl. Hist. Lit. sec. XVI. p. 5.

g) Io. FABRICIUS Hisp. Bibl. sua T. II. p.

4. et quos laudat.

h) Vt in editione Parisiensi 1560. recusus est Vitebergae 1589, conf. MORHOFF. Polyhist. T. II. L. I. c. 7. §. 2. p. 34.

i) In Bibliographia politica, p. m. 27.

k) loc. cit. p. 268.

l) Pecul. Diff. Altdorf. 1709.

dogmate autem de summo bono, acriter in Epicureos et Stoicos controverso assertum iuit BERNARDVS A MALLEINCROT^m.

§. IX. Non antiquis tantum sectis haec felicitas contigit, vt inter se conciliarentur, sed cum recentiori quoque aetate, in partes philosophi abirent, pax simili modo tentata est. Maxime ideo tempore factum, cum Petrus Ramus velut Deus quidam ex machina subito prodiisset, et Aristotelis imperium alta pace securum, sexulo XVII lacefriere coepisset, vt sequenti parte prolixe exponemus. Cum enim acerbis litibus et indecoris controuerisiis philosophi disiungerentur, et ipsi philosophiae hae inimiciiae exitiales esse iudicarentur, Melanchthonis discipuli quidam qui facilitiori habitu dialecticam Aristotelicam in scenam produxerant, praceptoris lenitatem et facilitatem imitati, sospire litium incendia, concordiam inspirare vtriusque partis philosophis, et ex dialectica Melanchthoniana et Ramaea tertium aliquod disciplinae rationalis genus excogitare coeperunt, quod abiectis de verbis contentionibus, conspirare Aristotelem Melanchthonianum et Ramum doceret, et non nisi verbis, terminis, methodo inter se differre demonstraret. Et hi quidem eo tempore philosophi mixti vocati sunt. Inter eos (plurimi autem fuerunt,) magnam in hoc argumento diligentiam probauerunt, PAVLVS FRISIVSⁿ, ANDREAS LIBAVIVS^o, HEIZO BVSCHERV^p, CONRADVS DIETERICVS^q, Io. CONRADVS ALSTEDIVS^r aliique, de quorum tamen rebus, cum ad specialem rationalis philosophiae historiam pertineant, pluribus dicere, institutum vetat, consuli autem cum fructu possunt doctissimi viri HERM. AB ELSWICH^s et Io. GEORG. WALCHIVS^t. Non omitti tamen hoc loco potest, qui in hoc Syncretismo confirmando admodum desudauit, et de philosophia praecclare meruisse visus est BARTHOLOMAEVS KECKERMANNVS. Genitus is ex familia Pomeraniae apud Dantiscanos anno c1510 LXXI natus est, et ingenium puer ostendit praecox, docile artibusque et scientiis aptissimum, quod diligentia singularis valde augebat ornabatque, sic vt maturam eruditionis praeclarae segetem promitteret, formatus studio et industria Iacobi Fabricii, Rectoris gymnasii Dantisci. Absoluto humanitatis curriculo ad Musas Leucoreas missus, philosophiae operam dedit, et tum Lipsiensem atque Heidelbergensem academiam adiit, in qua anno c1590 XCII summos in philosophia honores reportauit, et tam pulchra eruditionis praeclarae specimen edidit, vt primo in paedagogio electorali, deinde in collegio sapientiae, tandem in ipsa academia linguas sanctas docere iuberetur. Nec patria eruditionis eius oblita est, in quam ad subeundum Correctoris munus

*Conciliatio
recentiorum
inter sc.*

m) De summo hominis bono, conf. THOMASI VS I. c. p. 329. 330.

n) In Comparisonibus dialecticis, conf. REIMANN. Hist. Liter. German. P III. p. 202.

o) In Dialectica Philippo-Ramea.

p) In Harmonia Logica Philippo Ramea.

q) In Institut. dialecticis Philippo-Rameis.

r) In Critica de Harmonia philosophiae Aristotelicae, Lullianae et Ramea.

s) De Fortuna Aristotelis in Scholis Protestantianis §. 25. p. 72.

t) Hist. Logicae §. 7. Parerg. acad. p. 622.

nus anno c^{lo} I^o xc^{vii} vocatus est. Quod licet renueret eo tempore, quadriennio tamen post ad professoris spartam obeundam iterum invitatus est, quam vocationem quoque, accepta summorum in theologia iurium honorumque licentia, secutus est. Dantis vero ad docendam philosophiam noua, quam sibi finxerat methodo, Philippo-Ramea, ita se accinxit, ut intra triennium philosophiae cursum absolueret, et methodum Rameam vehementer eo tempore in Germania commendatam, ad Aristotelis philosophiam transferret. In quo stadio et docendo et scribendo tanta diligentia et contentione cucurrit, philosophiam autem et voce et vita exprimere sategit, ut annos natus XXXVIII^y, anno c^{lo} I^ocix, a febri hectica consumptus obiret, de quibus vitae eius circumstantiis plura dabit MELCH. ADAMVS^x. Non deneganda est Keckermanno laus maximae diligentiae, et patientiae improbi laboris, immo nec doctrinae quoque. Ast dolendum nimiam festinationem eum impediuisse, quo minus attente satis rem perspiceret; et vera fundamenta cognosceret; Syncretismi autem illius, quem nominauimus, studio in praecep^s saepe abruptum esse. Hinc factum, ut licet in Systemate systematum^y plurimum lucis se orbi philosophico accensurum speraret promitteretque, et quantum posset perspicue, atque ordinate, Rameam methodum secutus scriberet, parum tamen inde luminis ad scientias philosophicas redundaret. Tacemus plagii eum haud vno locoreum visum, quod tamen in eius quoque fundis commisisse alios, obseruauerunt IAC. THOMASIVS^z et P. BAYLE^a. Laudandum autem, quod philosophicam historiam raro tum exemplo et ipse consuluerit, et consulendi iuuentuti auctor fuerit, licet praeiudiciis nonnullis impeditus vero interdum vsu careret. Cuius specimen esse potest dissertatio de logicae disciplinae inuentoribus et auctoribus ab initio mundi usque ad hunc annum, Praecognitis logicis praemissa. "Ἐγών vero, saxumque, maxime sibi voluendum quod delegerat, philosophia rationalis Aristotelis fuit, ex obseruationibus Petri Rami augenda et emendanda; quod illi Semi-Ramei nomen peperit. Sincerius philosophatus fuisse videri poterat in Systemate ethico, in quo eclecticam viam ingressus est, nisi Syncretismum cum eclectica philosophia commiscuisset. Quae-dam etiam affecta magis sunt in scriptis eius, quam ob prae-matura fata perfecta, quae fortassis emendauiisset, si proiectiori aetate tarde et prae-meditate magis iudicium interponere didicisset. Quamvis autem mire se hoc pacto ad reuocandum concordiae Palladium hi Syncretistae concurrisse sibi viderentur, tantum tamen abest, ut ita Aristotelicos in partes vocarent, vt potius acerbas eorum inuectiuas mererentur, et ipsa quoque causa Ramea euerteretur, de qua eius fortuna, videndi, quos laudauimus, Elswichius et Walchius.

§. X.

v) Annos 42, perpersam ponit Vossius de Scient. mathem. c. 43. §. 38. p. 262.

x) Vit. philosoph. p. 499. conf. REIMMANN. l. c. P. IV. p. 603.

y) Prodiit Hanouiae, 1613. 4.

z) De Plagio §. 349. p. 153.

a) Dict. T. III, art. Keckermann, p. 1.

§. X. Castius hanc Venerem deperiit, vel si verum dicendum, exter- *Concordia*
na tantum speciei ei adhaesit. IOANNES CHRISTOPHO- *inter Aristotelem et re-*
RVS S T V R M I V S, philosophus Altdorfinus celeberrimus. Na- *centiores philosophos ten-*
tus is est Hipoltsteinae, oppido Palatinatus Neoburgici, anno c^{lo} I^c XXXV, *tata, a Jo.*
patre principis et comitis Palatini fartore aulico, cubiculique custode. *Chr. Stur-*
Huius adolescentia in ea tempora incidit, quibus vehementer quassata et *mio.*
miris calamitatibus atque miseriis cumulata est Germania. Mutato eo
aetate religionis statu in Palatinatu post geminam bonorum direptionem
in aulae Oettingensis famulitium concesserat parens, filiumque Weissen-
burgi inter alumnos ciuitatis educandum reliquerat; quo loco cum ali-
menta quotidiana ostiatim illi petenda essent, paupertatem virtutis et eru-
ditionis magistrum habuit. Nec desuit diuina adolescenti prouidentia, cu-
ius nutu factum, vt a Daniele Wulfero Laurentiano apud Noricos antisti-
te in aedes eius aduocaretur, et in familiam atque hospitium reciperetur,
vt amanuensis officium illi praefstaret. Cui cum diligentiam promtam-
que voluntatem probauisset, eius interceßione stipendiis in amplissima
ciuitate procerum fauore adiutus est, vt academiam adire, et octennium
integrum in variis Musarum domiciliis summa cum laude disciplinarum stu-
dia fecit possit. Et abiit quidem anno c^{lo} I^c LVI Ienam, philo-
phiae mysteria hausturus, vbi honores philosophicos diligentiae et erudi-
tionis praemium, retulit, hocque axiome auctus legendō disputan-
do, aliisque exercitationibus academicis philosophiam artesque mathe-
maticas, quibus se magna industria dicauerat, colere non destitit. An-
no c^{lo} I^c LX ad Batauos excurrens, Lugduni annum fere integrum
ita consumit, vt nihil in celeberrimo literarum artiumque emporio es-
set, siue eruditione conspicuum, siue disciplinarum augmentis idoneum,
ex quo non animi diuitias mire perficeret locupletaretque. In reditu per
Saxoniae inferioris et superioris vrbes celebres, viros doctos adiit, bi-
bliothecarum forulos excusit, rerum praestantissimarum obseruationes
vbique collegit, et praecipue, quae ad naturae cognitionem pertinebant,
vel τὰ μαθητά, maxima diligentia in horrea sua retulit. Ienam autem
reuersus non docendo modo, sed discendo quoque proficere, et facro se
ecclesiae muneri parare non neglexit, Norimbergam finito studiorum
academicorum curriculo translatus, dum Wülfeli filios literis imbuit, ad
obeundum pastoris munus in comitatu Oetingensi vocatus est. Cui
cum quinquennio praefuisset, tanta eruditionis eius philosophicae et
mathematicae fama apud amplissimum Scholarchatus Norimbergenis col-
legium valuit, vt vacanti cathedrae physicae et mathematicae Altdorfii
anno c^{lo} I^c LXIX praeficeretur. Cui muneri tanta fide, tanta doctrinae
gloria, tantoque philosophiae et matheseos emolumento atque incre-
mento annos triginta et quatuor praefuit, vt inter summa Pindi Norici
ornamenta, et praeclara quoque Germanorum ingeniorum decora merito
numeraretur. Neque exteros fama eius latebat, quo factum, vt ad

Hist. philos. Tom. IV.

Eee ee

alia

alia munera satis splendida passim invitaretur, quibus tamen Norimbergensem academiam praetulit, quam ita docendo, disputando, scribendo illustravit, ut elegantissimi philosophiae, maxime naturalis, vultus, qui hactenus Peripateticam tantum faciem retulerant, pulchriori forma niterent, et feliciori successu in naturae adyta penetrare posset iuuentus dicta philosophiae studiis. Quae ita promouebat vir supra modum acutus et diligens, vt, quae hactenus neglecta erat, experientiam magistrum adhiceret, experimentorumque atque obseruationum fide, (ex quo *Collegium eius curiosum*^{b)} enatum est) vanam, quam Lyceum recentius hactenus tenuerat, consuetudinem ex principiis metaphysicis, vagis, imaginariis et precario assumtis de natura rerum philosophandi profigaret, et ad ea respiceret, quae ipsa natura duce possent addisci. Ita ad annum clo 1688^{c)}, iuuentuti pariter atque orbi literario inferiens se consumit, eo anno hemiplexia extinctus. Testati autem sunt collegae^{d)}, qui ei superuixerunt, suisse *virum pium, probum, candidum, integrum, apertum oris iustitiaeque veritatisque studioſſimum, et studiorum mathematicorum felicem instauratorem*. Quamuis autem vix scientia esset, quam non attigisset, omnium tamen maxime valebat in mathematicis, vnde *μαθηματικώτατος* audit auctorum Lipsiensium collectoribus^{e)} VV. CC. Rerum autem naturalium theoriam, non vanis et inutilibus speculationibus, sed experientiae inaedificabat, quo factum, vt multa detegeret hactenus ignota. Ethinc elegans illa eruditio enata, quam non solum in differentiationibus magno numero conscriptis, et ex parte uno fasce^{f)} comprehensis demonstrauit, sed cuius gloriam quoque libris fauentibus Musis editis reliquit. Quorum indicem et historiam cum accurate exposuerit B. SIG. IAC. APINVS^f, Lectorem plura de viro egregio desiderantem ad eum remittimus. Imbutus erat Sturmius a teneris philosophiae Aristotelicae principiis, quam in Athenaeo Ienensi solam ea aetate flouruisse suo loco docuimus. Cum autem et iudicium ei contigisset acre, et mathematicae disciplinae ad abiicienda praeiudicia, et referanda naturae adyta plurimum profuissent, innumeros veteris philosophiae naevos detexit, et de melioribus cogitauit. Ad Batauos vero eo tempore excurrentes, quo Cartefianae lites valde feruebant, occasionem quoque arriput, eam philosophiam examinandi, et cum veterum pariter placitis atque recentiorum obseruationibus comparandi. Quo pacto huius quoque errores haud paucos intellexit, et ad eclecticam philosophiam animum adiecit, ex veterum et recentiorum philosophorum obseruationibus platisque ea selecturus, quae meditatio atque examen accuratum ipsi probauissent. Cum autem inuisum esset eo tempore et inauditum fere

eclecti-

b) Vid. A. E. L. 1685, p. 420, MORHO F. Polyh.
T. II. p. 405.

c) Io. FABRICIVS Hist. Bibl. suec T. III.
p. 212.

d) 1699. p. 257.

e) Titulo Philosophiae eclecticae, 1686. 8. partibus duabus.

f) In Vitis philosoph. Altdorf. p. 209, seqq.

eclecticae philosophiae nomen, quod et Aristotelicam sectam plerique adhuc sequerentur, et qui secundum Cartesium philosophabantur, ipsi quoque sectarios mores induissent, cautius rem aggrediendum ratus et verborum pugnas, ad minuendam concertationum vehementiam detecturus, *Physicae conciliatricis conanina*^a s orbi philosophico examinanda exhibuit, sperans; et si concordiam inter dissidentes partes non obtinueret, animos tamen vtriusque partis ita sibi conciliatum iri, ut sanioribus sapientiae praecepsis aures commodarent. Vnde in praefatione, quam sobria mente ad hanc dissentientium reconciliationem acceperit, prolixe exponit, et quam noxium sit et philosophiae incrementis inimicum sectariae philosophiae studium, et sententiae pertinacia cum dissentientis partis contumelia coniunctum ostendit, graphicque artes philosophorum suae sectae decreta mordicus defendantium delineat, rixandi autem et altercandi artem homines per omnem vitam minus societati humanae idoneos facere monet: et vt ab hoc vitio auditores abduceret, hanc se operam suscepisse ait, vt discerent errorem aut tolerare, aut conciliatis ex parte hypothesibus, eos, qui non omnia quidem, sed non tamen nihil viderunt, ferre, vel cum unus errauerit Aristoteles, reliquos veteres omnes cum illo non reicere. „Quo scopo, veterum plurima vel probat vel excusat, et verum recentius detectum ipsos si non perspexisse penitus, ab eo saltem non adeo longe absuisse docet; vna tamen modernorum ingeniorum inuenta et cogitata iusto aestimat pretio, nihil eorum eo nomine uspiam aspernatus, quod vel antiquitatis decretis, vel aestimationrum hodie philosophorum placitis non consentiret, sed id omni conantu agens, vt in gratiam, si fieri possit, et quoad fieri possit, vniuersi reducantur: persuasus, id non solum ciuitatis esse et humanitatis, sed scientiarum augmentis immane quantum prodeesse posse.“ In qua via henotica Sturmius vagas et incertas notiones Aristotelis physicas, ex metaphysica et dialectica malo omni naturali doctrinae illatas ex recentiorum obseruationibus definit, restringit, explicat, idque propemodum iter instituit, quod ante eum Honoratus Fabri et Hamelius tenuerant, ita tamen, vt frequenter Gassendi obseruationes quoque in partes vocaret. Tametsi autem hi conatus Syncretistici fuerunt, eorum tamen fine scopeque excedit Sturmius, at alium ex iis fructum vedit longe laetiorem. Nempe factum est his eius consiliis vt eclectica philosophia, in academiis Germaniae ignota hactenus, innotesceret, et imprimis naturae cognitione melioribus institueretur auspiciis. Hinc ipse Sturmius in *Physica electua* sive *hypothetica*^b, scena iam paulo apertius inferuiturus, deserto Syncretismo isto, ipsum eclecticae philosophiae stadium ingressus est. Id quod etiam in erudita concertatione de principio in natura agente demonstrauit, de quo cum Henrico Moro, G. G. Leibnizio, et imprimis cum

Eee ee 2 Gun-

^a) Norimberga, 1685. 12.^b) Norimb. 1697. 4. Accessit Tomus alter

posthumus, ib. 1722. 4. cura Cl. I. G. De PELMAYERI.

Gunthero Christophoro Schelhammero disputauit. Morus enim principium aliquod hylarchicum sive spiritum naturae, immaterialē quidem, sed brutum statuebatⁱ, Leibnizius vim actricem corporibus inesse, seu nisum, qui tamen secundum leges mechanicas exerceatur, afferebat^k, Schelhammerus naturam Aristotelis agentem vindicabat^l, Sturmius, qui totius controueriae occasionem dissertatione *de Naturae agentis idolo* dederat, Deum in creaturis corporeis et per ipsas iussu et voluntate sua primaeua in omnia tempora et loca etiamnum efficacissima hodienum omnia operari^m, afferebat, et Mallebranchio aliisque systematis cauſarum occasionalium fautoribus accedere videbatur. Quanquam ex concertatione hac erudite modeſteque acta patet, Sturmium a mechanismo naturae parum diffenſiffe, et pugnam eam, si non omnem, magnam tamen partem, ob obscurum naturae vocabulum in verbis fuisseⁿ.

*Leibnizii
conatus.*

§. XI. In eadem arena alii quoque philosophi nostrae aetatis acutissimi defudarunt, vt veteres cum recentioribus in concordiam redigent, quod faxum voluisse IO. C A S P. SVICERV M testis est B. G. STVRMIVS^o. Ipsum quoque illustrem virum, G. G. LEIBNIZIVM in hunc censum suo modo referendum esse, ex *Epistola eius ad Iacobum Thomafium*, adiecta NIZOLII *Commentariis philosophicis*^p, constat. At, vt is erat ingenio maximo, non tam recentiores cum Aristotele in concordiam redigere tentabat, quam Aristotelem cum recentioribus conciliari volebat, ratus, ea quae hi de materia dicebant, in qua praeter magnitudinem, figuram et motum assumitur nihil, facile posse ita explicari, vt maneant Aristotelis principia physica. Nec negamus ingenium, quod acerrimum habebat vir summus in ea dissertatione, egregie illum demonstrasse; certum quoque adeo vaga, indefinita et varios sensus recipere apta esse principia Aristotelis physica, vt iis ex recentiorum hypothesibus, quamcunque velis, significatio tribui possit. Haec enim notionum abstractarum, generalium, et mentalium conditio in rebus naturalibus est, vt Protei instar varias formas recipient. Nulli autem dubitamus afferere, Leibnizium, qui accurate naeuos physicae Peripateticae inspexerat, haecque iuuenis scriperat, fine dubio, vt praceptor Thomafio placeret, fenem aliter sensisse, et totum istud Syncretismi studium, quod se post Scaligerum, Kenelnum Digbaeum, Thomam Anglum, Abdiam Treu, Erhardum Weigelium, Ioannem Raci et alios tentasse scribit, reiecisse. Nouum enim ipse sibi sistema philosophiae formauit, infra explicantum, nec magnopere hos suos labores in Nizolium sibi iam placere prodiit.

§. XII.

i) Vid. Act. erud. 1685. p. 421.

k) Vid. Epift. Leibniz. T. I. Ep. 14. 15. p. 25.

l) In natura sibi et medicis vindicata, lenae,

1697. 4.

m) Vid. Act. erud. 1699. p. 209.

n) Colligi id potest ex resp. postuma ad Schelhamerum ab A F I N O l. c. p. 228. edita.

o) Bibl. philos. c. 5. §. 4.

p) Inservit quoque eam T. II. Epp. Leibnizii p. 121. Ven. KORTHOLT V S.

§. XII. Parum promouisse Syncretismum hunc, hactenus enarratum philosophiae incrementa, parum addidisse ingenii lucis et veritatis, multum autem sincerae philosophiae obfuisse, ex sequentibus constabit obseruationibus.

I. Contrarium esse Syncretismum veritati, nec iuuare eam et in apricum proferre posse, ex indole ac natura veritatis est longe euidentissimum. Non enim personae respectum ea nutrit, non auctoritatem hominis sectaeue tuetur, non factionem sequitur, et in alterius verba iurat, et quodcumque nudam se intueri prohibet, velamentum, abiicit pedibusque conculcat. Quae ut certa sunt, et a nemine negantur, qui veritatem dari ullam statuit, ita euincunt, opus illi non esse, ut cum secta, quoctunque nomine, titulo, eruditionis opinione, auctoritate et antiquitate gaudeat, in concordiam cogi se patiatur; cum et sine sectae studio cuiuis sedulo in eam inquirenti via pateat, et sectarium tramitem ingresso innumerae difficultates obiciantur, quibus in exploranda veritate impeditur, ut verum videre et a falso distinguere nequeat. Semper enim dicentes auctoritas, et systematis semel electi amor obstant, ut quid res ipsa poscat, intelligi nequeat. Ipsi conciliatores autem dum veritatem venari cupiunt, indices et exploratores eius sectas inter se conciliatas eligunt, quod quam praepostere fiat, ex dictis facile est colligere:

II. Nec melius aptiusque ipsi sectariae philosophiae, quam veritati, cum Syncretismo conuenit. Cum enim plerarumque sectarum principia totaque systematis connexio adeoque ipsa fundamenta, quibus cuncta inter se cohaerent, et innituntur, dissentiant, ut inductione facta, si id ageremus, posset demonstrari, non potest pax inter dissentientes fieri, nisi a conciliatoribus ipsa systematum axiomata, regulae, notiones, termini mutentur, alterenturque, et peregrina illis inducatur significatio. Quod ut plerumque admotis fit machinis, ita alienas sectarum conditoribus opiniones affingit, sinceramque eorum doctrinam adulterat, coelum autem terramque miscet, ac tantum confusonis chaos in philosophiae historia excludit, ut quid statuendum sit, quid tribuendum singularium sectarum philosophis, anceps lector haereat; et nec veritatem deprehendat, nec nativos dogmatum vultus intueri possit, sed miseris sophismatis deludatur, et incautus seducatur in deuia. Cuius mali exempla si quis cupiat, eum vnam Alexandrini Syncretismi historiam intueri, et quae dogmatum monstrat ille Aristoteli affinxerit, ut cum Platone conciliaretur, considerare iubemus. Recentiorum philosophorum specimina qui cupit, illi adeundi sunt eruditissimi viri THOMASIVS, BVDDEVVS^{q)}, HEVMANNVS^{r)}, qui, quae paucis et stricte tantum heic dicere nobis licet, copiose exponunt.

III. Nullus autem Syncretismus pestilentior est, quam qui inter Scripturae S. atque religionis Christianae dogmata, et inter philosophiam sectariam instituitur. Cum enim toto coelo distet religionis simplicitas et puritas

Eee ee 3

ab

q) Locis citatis.

r) Act. phil. Vol. II. p. 576. seqq.

ab impuris riuiulis gentilis philosophiae, aut philosophorum opiniones mi-
re corrumpi necesse est, et assertiones nonnullas extra totius connexionis
habitum ordinemque sensu peregrino et adulterato, detorqueri, aut ipsam
diuinae doctrinae puritatem labe adspergi: quo fieri solet, vt pessima dog-
mata latens venenum fouentia pro sanis habeantur, sacrisque reuelationis
placitis conformia, indigno fane et non ferendo oraculorum sacrorum con-
temtu. Nempe, vt recte obseruatum IACOBO THOMASIO³, inter te-
nebras et lucem hoe modo paciscuntur homines, et errorem cum veritate
vno iugo copulant. Quod licet ad demonstrandam veritatem Christianae
religionis conatu non malo quidam suscepint, optime cogitata tamen
pessime ceciderunt, et his ficalneis praesidiis defensa religionis veritas reipsa
hostibus proditur; certe incredulis, et impiis eius hostibus occasio suppe-
ditatur, de sanctissimis mysteriis amaris risibus triumphandi, illisque omnem
impietatem imputandi. Quod qui negat, eum vel veteris ecclesiae vel
nostrri temporis historiam ignorare oportet; semper enim fuerunt, aut
aperti, aut clandestini religionis hostes, qui hac imbecillitate corum, qui
pro veritate religionis Christianae dimicauerunt adiuti, victoriam retulisse
sibi visi sunt. Vnus ex veteribus Porphyrius, ex recentioribus Tolandus
ex magno impiorum aceruo exempla esse possunt luculentissima.

IV. Ut autem damni plenus est Syncretismi philosophici labor, ita inuti-
lem eum esse omnino pronunciandum est. Difficulter enim ex sectarum
comparatione veritas intelligitur, nec tam diuersis philosophorum placitis
distractus animus, quo pacto consulere sibi possit, videt. Neque hoc duce
in veritatis tramite opus habet. Abiepto enim sectae praeiudicio, si quis
naturali iudicandi facultate gaudeat, nec attentione careat, ordine vero et
accurato examine ad principia et quae inde consequuntur respiciat, et no-
tionibus atque principiis claris, certis; adaequatis usus ratiocinari de fin-
gulis obiectis cooperit, sine hoc Syncretismo proprius certiusque ad verita-
tis detectionem perueniet. Ita vero animo praemunito facile est, omnium
sectarum opiniones, placita, et conclusiones considerare, examinare prin-
cipiorum veritatem περὶ τὰ ψεύδη detegere, verum a falso distinguere, qua-
que in re singulae sectae verum viderint, in qua coecutierint, quid erro-
rem genuerit, vel veri cognitionem impediuere, detegere, licet inepta
conciliatione non confundantur omnia. Quo pacto sectarum opiniones,
systemata, hypotheses inter se prudenter comparatae magnum in philoso-
phia usum praestare possunt.

V. Ipsi porro fontes, ex quibus syncretismus promanat, manifeste pro-
dunt, ex philosophiae circulis eum esse abiiciendum. Aut enim gignit
eum iudicii paupertas, quae acie destituta veri rationes perspicere, et suo
pede se metiri nequit, aut ignavia indecora, laborem refugiens, ipsam ve-
ritatem perquirendi, et diuturnum examen sustinendi, aut prodit ex nimia
sibi diffidentia, aliis omnia sibi nihil tribuenti, nihil in veri inquisitione
proprio

³) De Exust. mundi Stoica p. 5.

proprio Marte audente. Immo nonnunquam studium parti vtrique placenti, vel non offendendi vtramque hoc malum peperit. Qui fontes cum naturae indolique verae philosophiae e diametro repugnant, manifestum est, ea salua tolerari Syncretismum non posse.

VI. Quamvis autem Syncretismus iure meritoque eiiciatur ex philosophia, velut pestis quaedam, qua ingenia corrumpuntur, et errores augentur, non tamen reiicit prudens et attenta sectarum comparatio vel cum Scriptura Sacra, vel cum ipsa philosophia instituta, quae sua utilitate non caret, et vel errores detegere, vel verum confirmare, interdum nouas cogitationes et *euaginatae* suppeditare potest. Ast hic cautione summa opus est, quam alibi definivimus, et necessariis regulis circumscriptissimus. Quae si adhibeantur, tantum abest, vt ex hac comparatione Syncretismus oriatur, vt potius clarissime pateat, quantum sectae et inter se distent, et a veritate haud raro discrepant, et quae deuia euitanda sint, ne in illos labyrinthos incidamus, in quibus tot perierunt philosophi. Ita enim quid tenebrae a luce distent, quid medius dies a crepusculo, iucunde utiliterque intelligitur.

VII. Tandem, dum Syncretismum proscribimus, caue putes, philosophandi modestiam nos in exilium agere, quae humanae imbecillitatis memor, et quam facile coecutiant mentis oculi non ignara, nec se erroris expertem esse statuit, nec omnia reiicit, quae vel veteres vel recentiores philosophi afferuerunt. Magna enim et intolerabilis superbia est, alias omnes vel coecos vel luscios crederè, sibi soli aciem oculorum tribuere. Hac igitur modestia munitum philosophi pectus neminem contemnit, nullius odio ducitur, neminem philosophorum inauditum damnat, rationes eiusuis audit, trutinat, examinat, et inter se comparat: et ad principiorum veritatem attentum, quae consequantur, quo ordine fluant, quibus rationibus roborentur, excutit: verum a falso, verisimile a dissimili distinguit, et hoc pacto quaecunque per omnes sectis dispersa sunt vera, sibi vindicat et in veros usus prudenter adhibet. Sed et eadem modestia magistra ex hac comparatione discit philosophus, sapere, et arcitos, quibus humanus intellectus circumscribitur, fines intelligere, seruare in quaestionibus modum, immo patienter quoque ferre discentientes, et tolerantia aequa atque humana erga eos vti, placide discordantium obiectiones excipere et expendere, et errorem demonstratum aut detectum sine ira, fine odio emendare: veritatem autem, a quoconque demum homine ea producatur in lucem, afferaturque, lubenter admittere, et praeiudicia perimere omnia. Quae ut veros sanæ eclecticæque philosophiae characteres nobis depingunt, ita docent, Syncretismum ab ea toto coelo distare, nec vultus hos elegantes exprimere.

^{et} In Otio Vindelico meitem, 7.

CAPVT

CAPVT V.

DE HOSTIBVS PHILOSOPHIAE.

§. I.

*Hoc est stat hostium philosophiae consideratio, ultimo inter eos loco
philosophiae omni aetate inueniti.*

Reestat hostium philosophiae consideratio, ultimo inter eos loco instituenda, qui sectariae philosophiae falsitate et absurditate offensi in deuia inciderunt. Qui omitti quidem possent, cum philosophari ipsi nollent; ast ut integra constet nostra tractatio, appendicis loco dictis adiicientur. Semper autem fuisse, qui philosophiae obrectarent, et inimicum aduersus eam animum fouerent, philosophorum plerumque moribus in eam exacerbati historia philosophica testis est. Et fugillasse quidem iam olim Damonem quandam Cyrenaeum, philosophos, maxime septem Graeciae sapientes testis est *LAERTIVS*^a. Ea autem, quae suis locis narrauimus, recolenti constabit, reges quoque principesque inimicum aduersus philosophiam pectus ostendisse. Antiochum enim publico edicto philosophos proscriptisse, testis est *ATHENAEVS*^b. Tiberii, Caligulae, Claudiique confilia autem, et quae contra philosophiam machinati sunt Domitianus, et Bassianus Caracalla, *Tomo secundo* iam exposuimus. Ipsas quoque Athenas philosophos post Socratis mortem eieciisse, *Tomo primo* narrauimus, nec passos fuisse Romanos veteres, ut iuuentus Graecos philosophos audiret, in historia philosophiae Romanae demonstrauimus. Iniqua autem sorte post Iuliani imperatoris mortem philosophos fuisse vsos, ex Maximi historia *Tomo secundo* enarrata constat, et acerbe conqueritur *LIBANIVS*^c. Tacemus exempla Senecae, Dionis, et eclecticorum, sub Iustiniani imperio profugorum, quae aduersatos fuisse imperantes philosophiae, euincunt. Muhammedis odium philosophiae autem ad posteros per integrum seculum propagatum, quam amaros inter Saracenos fructus, Ommiadum familia rerum potita tulerit, haud vno in historia philosophiae Saracenicae loco declaratum est. Inter priuatos quoque non defuisse apud gentiles, qui philosophis inimicum nutritrent animum, Lucianus exemplum luculentum esse potest, licet is philosophos magis riserit, quam philosophiam exagitauerit. In Iudeorum historia autem planum fecimus, aliquoties eos Graecanicam philosophiam ex scholis suis eieciisse, et ne addisceretur, prohibuisse. Nec alia forte sententia doctorum ecclesiasticorum fuit, qui quantis inuectiuis philosophiam gentilem, immo, omne fere, quod ipsis non arridebat philosophandi genus onerauerint, in historia philosophiae apud Christianos veteres multis locis tradidimus, et testimoniis.

^a) L. I. f. 40.^b) L. XII. p. 547. coll. L. XIII. p. 610. C A -^c) In Oratione parentalii §. 148. apud F A -

SAVON. ad L. XIII. c. 9. p. 885.

ERICIUM Bibl. Græc. Vol. III. p. 369.

testimoniis eorum collectis demonstrauit IO. LAVNOIVS ^d. Eos enim non solam Peripateticam philosophiam culpauisse, sed istis clamoribus in ipsam philosophiam peccauisse, accurate suis locis obseruauimus. Tacemus secula barbara, quibus omnis eruditio, et imprimis philosophia hostes experta est acerrimos, immo cum foeda Scholasticae philosophiae facies nonnullos offendisset, tota omissa neglectaque est ^e. Mirum itaque non est, recentiorem quoque aetatem huius furoris hominibus non caruisse, qui philosophiae aperte refragarentur, eamque abiiciendam esse statuerent, cum vel nullo modo veritatem ea iuuari crederent, vel incerta, noxia, et suspecta plurima in ea latere iudicarent, vel reuelationem cum ea stare non posse censerent.

§. II. Non tamen omnes, quos infensus in philosophiam armavit animus *Variae clas-*
ses eorum, qui philosophiae aduersantur.
 directa fronte eam aggressi sunt; sed latenter subdoleque id a pluribus factum, qui licet philosophiam fugillare omnem aperte non auderent, tectum tamen ensim in viscera adegerunt, talia dogmata afferentes, ex quibus reiiciendam esse philosophiam sponte sequitur. Nempe huc omnes illi pertinent, qui contradictionem non apparentem modo, sed veram intercedere inter rationem et reuelationem, interque philosophiam et religionem incauti affirmarunt. Qui licet a philosophia calumniis oneranda inuidiae caussa abstinerent, hoc ipso tamen prodiderunt, falsam et indignam eam sibi videri, quae coleretur, cum impossibile sit, lumina duo ab uno fonte lucis profecta re ipsa sibi contradicere, adeoque philosophiam, quamque illa sequitur, rationem a Deo profectam, imponere tamen et falsis ac contradictoriis assertionibus seducere animum. Quo modo Iudeorum stupor in philosophiam peccauit, quibus ad roborandam doctorum suorum auctoritatem sibi haud raro contradicentium, visum, idem simul esse posse, et non esse ^f. Eadem chorda obrarauisse, Achillinum, Pomponatum, Portium, Caesalpinum, Cremonium aliasque, ut statuerent, philosophiam cum reuelatione conciliari non posse, supra in historia Peripateticorum dictum est. Quamuis autem solam illi Aristotelis philosophiam irreconciliabilem cum Christiana fide dicerent, eam tamen illos pro vera et vnica philosophia habuisse ex ipsorum verbis eo loco adductis est manifestissimum. Ex quo sequitur, aut philosophiam, aut Christianam doctrinam pro falsa eos habuisse. Quod posterius licet impiam gentem credidisse sit verisimillimum, legum tamen metus obstitit, quo minus aperte sententiam dicerent: vnde in philosophiam culpam reiecerunt, ut vel ex vna PETRI POMPONATII *Peroratione tractationis de Incantationibus* patet ^g. Scepticos autem omnes huc referendos esse, ex historia eorum supra data est manifestissimum. Tantas enim in philosophia tenebras, diffi-
 culta-

d) De Fortuna Aristotelis in academia Parisiensi c. II. p. 231. seqq.

e) Conf. TRIBBECHOV. de DD. Scholast. c. VII. p. 351.

f) Peculiariter de eo dissertatione egit IO.

F R I S C H M V T H V S. Conf. THOMAS. 1. citando.

g) Conf. THOMASIVS de Duplici veritate, Praef. XLII. p. 237. seqq. LEIBNIZ. de Concordia fidei et rationis §. 9. seqq.

cultates, contradictiones vident, vt seducere magis quam ducere animum apta illis iudicetur. Quod quanta inuidia de philosophia pronunciauerit Petrus Bayle, ex verbis eius in philosophiam maxime iniuriis, quae supra in eius vita adduximus, constat. Ipse quoque Cartesius, licet plurimum ei debeat philosophia, in eo peccauit, quod absoluta Dei potentia fieri posse crederet, vt contradictionia simul sint vera; qua assertione tela subministravit philosophiae aduersariis. Tacemus alios in hoc luto haerentes, de quibus, ne nimii simus, consulendus est eruditissimus M O S H E M I V S ^b. Porro aliud quoque hominum eruditorum genus est, quod, quam vehementissime potuit, philosophiae aduersatum est, qui cum in maiori, quam alii homines possident, sapientia et illuminatione interna felicitatem quaererent, naturam et gratiam inter se confundentes, philosophiam velut ignem quendam fatuum condemnauerunt, et alia atque diuiniora lumina sectanda esse, clamauerunt. Quamuis autem fatendum sit, viros nonnullos doctos acerbe in philosophiam inuectos sectariam tantum philosophiam istis querelis onerasse, quo sensu intelligendi videntur, Altingius, Amelius aliique theologi ab A D A M O T R I B B E C H O V I O ⁱ adducti, qui philosophiae dicam scriperunt; et quae mens quoque videtur fuisse Fortunati Crellii, Zabarella discipuli, qui afferuit, non omnia in philosophia vera, statim in theologia esse vera: certum tamen ex iis, quae de theosophis prolixe adduximus, non modo sectariam philosophiam, sed omnem prorsus, quae rationem magistrum habet scientiam eos reiicere, et soli sapientiae illuminationie interne, veritatis cognitionem tribuere. Quam cantilenam repetit, quisquis nostro tempore ad paradoxa, insolita, inaudita, et rationi pariter atque Scripturae S. contraria atque diffona placita mentem aduertit, quorum hominum loca cum theologi, qui contra fanaticos pugnant, soleant colligere, ea breuitati consulturi negligimus ^k. Adeundus autem est praeter E H R E G D A N C O L B E R G I V M ^l, G O D A R N O L D V S ^m, qui in iis coaceruandis diligentiam suam admodum probauit, et Weigelii ⁿ, Rosaecrucianorum ^o, Barclaii ^p, Guthmanni ^q, Kunrathi ^r, Helmontii ^s, Campanellae ^t, Petri Mauritii ^u, Hoburgii ^v, Poireti ^w aliorumque ea de re testimonia adduxit. Tacemus Carolostadium, quem simili modo despiciens conстат ^x.

*Controversia
Hofmannia-
na de pretio
philosophiae.*

§. III. Fuit tamen tempus, quo in publicas controversias argumentum istud degenerauit, et inimicis de ea re signis inter se concurrerunt viri docti. Quam historiam paucis, prout in academia Helmstadiensi accidit, enarrabimus. Quamuis enim inter controversias ecclesiae Lutheranae domesticas

in

- | | | |
|--|--|------------------|
| b) Ad C U D W O R T H I Synt. intell. p. 768. | n) P. II. p. 607. | o) p. 619. |
| i) I. c. c. VI. §. 2. p. 349. | p) p. 674. | q) P. III. p. 5. |
| k) Vid. quae ex K E C K E R M A N N O narrat
I A C. T H O M A S I V S I. c. p. 243. | r) p. 12. | s) p. 77. |
| l) In Christ. Platonico-Hermetic. P. II. c. 15.
p. 704. | t) p. 86. | u) p. 109. |
| m) In Hist. eccl. P. II. et III. | x) p. 131. | y) p. 166. |
| | z) Vid. I. G. O L E A R I I Scrinium antiqu. | |
| | p. 14. | |

in historia sacra soleat exponi^a, vel in Brunsvicensibus quoque eruditionis annalibus tangi^b, hoc tamen loco negligi non debet. Auctor controversiae fuit Daniel Hofmannus^c, Halae Saxonum anno clo I o x x x v i i natus, qui cum Musis diu in Ienensi academia litauisset, tandem apud Helmstadienses cathedrae dialecticae et ethicae, anno clo I o l x x i x autem, theologicae admotus, et theologiae doctoris axiomate auctus ecclesiarum istarum ephorus constitutus est. Is et eruditione et ingenio valde eo tempore commendabatur^d, adeo, vt cum formulam concordiae Brunsvicenses duces reicerent^e, is ad colloquium Quedlinburgense missus, magna ibi auctoritate emineret. Cum autem diu dialecticae cathedrae praefuisset, more illius temporis, quod totum eristicum fuit, acer et vehemens in contentione euasit, quo euenit, vt haud raro in disputationis aestu abrepitus verbis offenderet, quae ambitione retentus emendare postea cum erroris agnitione nolebat. Valde eo tempore feruebant lites de vbiuitate humanae naturae Christi, quam cum asseruisse videretur formula concordiae, in alia discesserant theologi Brunsvicenses, contenti affirmauisse, Christum hominem, vbiunque vellet, praesentem esse posse. Quae lites cum secundum illius aetatis consuetudinem ita sererentur^f, vt philosophia Aristotelico-Scholaistica, quae caput iterum extollere cooperat, arbitri sibi partes sumeret, occasio inde Hofmanno enata est, philosophiam reiiciendi. Nempe circa finem seculi XVI, more in academia recepto, thesibus ad disputandum, *de Deo et Christo vulgatis*, affirmauit: *Quod, quanto magis excoleretur ratio humana philosophicis iis studiis, tanto armatior hostis prodiret, et quo se ipsam armaret impensius, eo theogiam inuaderet atrocius, et errores pingere speciosius.* *Ipsum lumen rationis naturaliter et carnaliter aduersari Deo et summis mandatis eius, immo esse inimicitiam aduersus Deum, praecipue in diuinis et spiritualibus rebus: nec excipiendam philosophiam in mente Platonis et Aristotelis: philosophiam depraedatricem esse heresin et hostem theologiae, opus carnis, Pelagianismi ream etc.* Magna eo tempore philosophici acuminis fama docebat in academia Iulia Cornelius Martini, vt supra in historia Peripateticorum dictum: qui cum philosophiam Aristotelicam et imprimis metaphysicam partem mire commendaret, plerosque eius academie doctores, et iuuentutem quoque academicam in partes pertraxit. Quo factum est, vt insigne pretium metaphysicae Aristotelico-Scholaisticae statueretur, et qui non huic se disciplinae daret, comte-

Fff ff 2 mnere-

^{a)} ARNOLD. I. c. P. II. L. XVII. c. 6. §. 15: seqq. p. 460. CAROLI Memorabilia seculi XVII. p. 23. seq. IVNCKERI Comp. hist. p. 854. WEISMANN. Hist. eccl. T. II. p. 1170. seqq.

^{b)} Vid. THEOD. MEIERI Monum. Ital. c. 3. p. 8. BYTEMEISTERI Comm. de ducum Brunsvic. meritis in rem literar. p. 123.

^{c)} Vid. BAYLE Dict. T. II. art. Hofmann

p. 728. REIMMANN. Hist. lit. Germ. P. IV. p. 96.

^{d)} ARNOLD. p. 461. IO. FABRICIVS Hist. bibl. sua P. IV. p. 468. LEIBNIZ. I. C.

^{e)} Conf. MICHAELII Synt. Hist. eccl. L. III. f. 2. p. 84.

^{f)} Acerime cum Wittebergensibus de hoc dogmate conflixit Hofmannus, vid. HUTTERI Concordia concors c. LII. p. 1344. seqq.

mneretur. His accedebant controuersiae Rameae, cui factioni cum se vehementer opposuisset philosophorum ordo, valde triumphauit philosophia Peripatetica ^g. Ast eam mirifice ad tuendas partes suas adhibuerant Wittebergenses theologi, qui cum Hofmanno de omnipraesentia carnis Iesu Christi acerrime disputatione. Quibus cum acumine inferior esset Hofmannus, verisimillimum inde est, occasionem inde eum sumfisse, in ipsam philosophiam dictis primo et in lectionibus suis insurgendi. Quae cum valde offenderent philosophos Helmstadienes, qui magna tum auctoritate pollebant, iisque aplogiam extorquerent, facile cogitari potest, similitatem ad personas deuolutam, non in solo controuersiae argumento haesisse, sed accessisse odii et inuidiae stimulos, quibus illa tota exacerbata est. Coniecit autem ^h LEIBNIZIVS ⁱ, Ioannem Caselium virum summum, et in aulis atque inter viros doctos magna fama coruscantem inuidiam eius prouocauisse, alii Casparem Pfaffradium, Rameae factionis in iis locis antesignanum eum instigauisse, contra philosophos acadiae Iuliae suspicantur. Illud ex tota controuersia patet Hofmannum odio Peripateticae philosophiae exstimulatum, adeo partis studio captum fuisse, ut nonnullorum philosophorum pertaesus tandem in ipsam philosophiam debaccharetur, et reuelationis auctoritatem dicis caussa tantum prae se ferret. Quaecunque autem arcanae huius litis caussae fuerint, quae nonnisi coniecturis definiri possunt, illud certum, valde offendisse senatum philosophorum in academia Iulia Hofmanni declamationes in rationem eiusque usum, ratum, ita munus suum deprimi, ipsamque philosophiam contemni. Ut itaque grassanti aduersarii impudentiae obicem ponerent, consiliis conspirarunt Ioannes Caselius, Cornelius Martini, Duncanus Lidelelius, et Guntherus Owenus, qui eo tempore philosophiam in ea schola docebant. Ordine autem procedendum esse censentes, primum priuato colloquio tentare Hofmanni animum statuunt, ut inteligerent, quo sensu assertiones istas, crudas et indigestas intelligi vellet, vtque ad saniora et moderatum de philosophia ipsa iudicium eum perducerent. Verum spe sua falsi sunt; Hofmannus enim, qui inuidiam et muneris emolumenta philosophos in ipsum armauisse sibi persuadebat, causamque se iustum tueri, et pro reuelationis diuinae dignitate stare credebat, ut animo erat impotenti, magna acerbitate et vehementia philosophis respondit, cumque totam controuersiam facile potuisset dirimere, distinguendo inter veram et falsam philosophiam, et inter usum rationis rectum et abusum, inepte statuit, non abusum se philosophiae tantum *istis assertionibus petere, sed etiam de vero, veriore et verissimo usu philosophiae intelligere, adeo, ut philosophia, quando in officio sit, in recto usu contraria sit theologiaeⁱ*. Ita imprudenter diducto vulnere, quod facile coire potuisset, si moderationem Hofmannus attulisset, et modestiam seruauisset, dici

g) Vid. MEIER, I. c. p. 24. ELSWICH,
de Fort. Aris. in Academ. Profeſt. §. 27. p. 76.

h) Ioc. cit.
i) ELSWICH, I. e.

dici non potest, quanta clade ipsa academia affecta sit, spe conciliationis omni prorsus euaneſcente. Et Hofmannus quidem, quem virum fuisse *φιλαυτον*, et censem omnium, qui reliquos omnes pro stipitibus ac fungis reputaret, ait LEON. HVTTERVS^k, certe qui contentionis ferram non illibenter reciprocavit, quod nec ipse negat GOD. ARNOLDVS, vehementibus inuectiuis philosophos aggressus est, et, vt fieri solet, vbi bella eiusmodi literaria feruent, contumelia et opprobriis eos cumulauit, et haeresium postulauit. Ait silentio quoque has iniurias ferri non posse censentes philosophi, haud minori vehementia illius aggressionibus se opponebant, et apologiam non sine eius contentu edebant. Quod ita in iram rabiemque conuertit Hofmannum, praecipue quod etiam in academia Ienensi partes philosophorum ordinis amplexus esset ALBERTVS GRAVERVS, edito libro de *Vnica Veritate*, vt, illos, qui Caselii et Martini factionem fequerentur, aditum ad officia et dignitatem sacri munieris vel intercluderet, vel tamen redderet difficillimum, teste G. CALIXTO^l, qui fuisse eo tempore (nam Hofmannum nomine non compellat) ait, *qui accuratori literarum et philosophiae studia odissent, et cum theologia coniungi nollent, ne in aliis admirari, quae in se desiderarent, cogerentur*. Tantaque viri huius vehementia fuit, vt Bartholodus Nihusius, qui famulitio Martini eo tempore se addixerat, sacra theologiae studia ideo animo dissidente et vacillante tractaret, nec in disputatione sub Calixti praefidio habita pateretur in carmine quodam thesibus subiuncto heri et praceptoris sui Cornelii nomen inferi, quod vereretur, ne id fibi apud μισολόγους καὶ μισοφόους inscitiae patronos fraudi esset^m. Valde autem partes Hofmanni auxit, et animum ferocienti theologo addidit Ioannes Angelus Werdhagenius, ICTUS Helmstadiensisⁿ, vir doctus, at infensissimo in Peripateticam omnemque humanam philosophiam animo exardescens^o, ex quo Iacobi Boehmii theosophiam esset amplexus, vt supra dictum. Is acerbis satyris philosophos perstringebat, et cum facultate poetica gauderet, sale nigro Caseliano, (ita enim factio contraria appellabatur) adspargebat. Cuius ecce specimen:^p:

Fff ff 3

Iam

k) Epist. Marbach. p. 765.

l) In Digerſione de arte noſta p. 8. Is autem testis erat *ἀυρωτης*.

m) Ibid.

n) Adscriptus is erat iuris interpretum ordinis in academia Iulia; cum autem Boehmianam theosophiam esset amplexus, er paradoxa multa dissemineret, Helmstadio abiit et scholam istam deferrere iussus est. Tum Magdeburgum delatus urbis syndicuſ constitutus est, et postea quoque archiepiscopo a confiliis sanctioribus fuit. Cum autem hoc quoque loco dogmata in ecclesia inaudita spargere non omittenter, anno 1628. dimisissus est, et ad Batavos abiit, ibique usq[ue] ad annum 1632. Lugduni commoratus est: ab eo tempore ab archiepiscopo Bremensi in senatum sanctiorem ascensus, et anno 1635. imperatoris consiliarius decla-

ratus est. Quo axiomate vestitus Lubecae vixit tandemque Razeburgi, cum filiam inuiceret, fatis concessit anno 1652. Dogmata viri *παραδοξωτατου* theologica enarrant ARNOLDVS l. c. p. 89. 91. et COLBERGIVS l. c. P. I. c. 5. p. 255. et ex parte intelligi possunt ex Psychologia Boehmiana, vero rerum publicarum regimini, et iuri maiestatico accommodata. Serueto quoque fauisse, sunt qui afferant. Scriptis etiam Breuirium in libros Ioannis Bodini de Republica Amt. 1645. 12. et tr. de Urbibus Hanseaticis, aliaque theologis parum incunda. Conf. Consil. Wittenb. P. II. p. 187. THOMAS. ad Monzamb. c. II. p. 148. MOLLE. Isag. in Chrf. Cimbrie. P. IV. c. 6. §. II. p. 510. CRENIUS de claris Anglis p. 68. aliisque.

o) Vid. ARNOLD. p. 90.

p) Poem. iuuenil. L. V. Ode IV.

*Iam nulla nugae lumina coelico
 Verba relinquunt; undique latius
 Extenta visetur Stageirae
 Barbaries, sophiesque cura.*
*Euincet omnes ingenii sui
 Vires, velut mox imperium sibi
 Grande arrogabit, tot tumescens
 Culibus assiduis Catonum.*
*Serpent malum iam longius in sui
 Vigore cursus, quando academias
 Occoecat omnes, et potentem
 Dissimilat tenebris nitorem.*
*Incauta gens sic, et iuuenum genus
 Dulci sophorum decipitur sono
 Passim, quasi mentis profani
 Semideos generent labores.*

Talia subinde ingeminabat Hofmanni factio, Caseliana contraria, cui Simplicistarum nomen haesit, ut Hofmanni partibus Duplicistarum, quia hi vnam, illi duplarem veritatem assererent^r. Vehementibus autem motibus cum ex ista lita academia agitaretur, et a caussae reique momento ad personarum conuitia descenderetur, aula Brunsuicensis malum opprimere statuit. Magna in ea auctoritate gaudebat Caselius, cuius maxima tunc erat ob eruditio- nis elegantiam existimatio; suntque, qui affirmant, cancellarium principis D. Ioannem lagmannum illi supra modum fauisse. Delegati itaque arbitri a duce sunt, qui rem omnem explorarent, et caussam dirimerent, qui audita parte vtraque, reque accurate excussa Hofmannum condemnarunt, et ad principem relata caussa omni impetrarunt, ut secundum praescriptam reuocationis formulam Hofmannus retractaret. Qua sententia XIV Cal. Mart. anno cccc loci vulgata, Hofmannus errorem suum ni- mium philosophiam perstringentem se agnoscere, et praedicta omnia de abusu philosophiae affectantis imperitum in theologiam intellexisse declarabat, et utilitatem ac praestantiam philosophiae, iuuentuti publico scripto commendabat. Sed et iniuriam deprecari apud aduersarios atque principis arbitros iussus est. Quos partis studio niimum dedisse, et accusantium pariter atque iudicium potestatem sibi arrogauisse G. ARNOLDVS^s, qui acta msc. inspexit, conqueritur. Ast vir summus G. G. LEIBNIZIVS^t, qui historiam Brunsuicensem ἀνέδοτον mire inspexerat, tradit, Henricum Iulium, optimum principem ipsum cognoscendae caussae operam suam locauisse, reque probe perspecta arbitrium suum interposuisse, et sententiam contra Hofmannum pronuntiasse. Cum autem noui motus timerentur,

Hof-

q) Conf. REIMMANN. Hist. Lit. Germ. P. IV.
p. 96. not. r) loc. cit.
s) loc. cit.

Hofmannus in monasterium Amelunxborn prope Einbeciam relegatus est, reuocatus tamen postea Helmstadium, vbi veniam tandem nactus est priuatas scholas habendi, quibus tamen auditorum frequentia, vt fit fama doctorum decrescente, defuit. Cumque quoddam linguae vitium accessisset, vt vix posset intelligi, Guelpherbytum secessit ad filiam, in cuius domo anno cōcxi obiit.

§. IV. Licet autem auctoritate principis controvrsia esset direpta, et *Controvrsia* consultum videretur honori philosophiae; vel, vt candide dicēmus, quod res *postfata Hof-* est, logomachia in apricum esset producta, nondum tamen pugnae et contentionis ita finis factus est, licet utraque pars inutilem et indecoram item potuisse deserere. Intercessit autem pro Hofmanno, qui iam prius eius partes defendendas suscepérat Werdenhagenius. Is tantopere Peripateticam philosophiam perhorrescebat, vt concoquere non posset, victoriam eius professores reportauisse: cumque nec inuectiuis parceret, nec a commendanda theosophia Boehmiana desisteret, tandem munere exutus est, paulo tamen post syndici axioma apud Magdeburgenses obtinuit. Is nouum comoediae actorem excitabat Wenceslaum Schillingum, Thuringum, iuuenem non indoctum, sed eadem vehementia item istam ferentem^t. Is durante caufa Hofmanniana magna vehementia in philosophos insurgere cooperat, et acerbissimis libellis in Caselianos graffatus erat, quibus factum, vt crabrones in se irritaret, et non modo Cornelius Martini, sed in academia Vitebergenſi quoque Iacobus Martini eum depexum darent. Ipse autem, vt solet iuuenilis ardor, magna dicacitate et vehementia in dissentientes debacchari perrexit, et scriptiunculis satyricis oleum flammis addidit. Rarius occurruunt libelli isti eristici Schillingii, vt solent schedae huius furfuris cito disparere, titulos autem eorum exhibet G. ARNOLDVS^u, inter quos *Visitatio ecclesiae metaphysicae* edita anno cōcxi asperimus est. Nos inter reculas nostras vnum seruamus, titulo *Libelli fundamentalis et inuincibilis*^v insignitum, ex quo constat, Schillingum Aristotelicae philosophiae odio commotum et a Werdenhagenio persuasum ad theosophos transiisse. Ait enim in *Praefatione*: *Artem sapienter loquendi, apteque cogitandi, vel naturam rerum rimandi,*

ex

t) Historiam iuuenis docti at elati et ferocien-
tis exponit ARNOLDVS l. c. P. II. L. XVII.
e. 6. p. 463. Rudolstatii literarum elementis ha-
ftis, in Gothanum gymnasium traductus est. Ibi
cum maximo feruore se studiis tradidisset, in Julianam
academiam abiit, stipendio comitis Schwarzenbur-
gici adiutus. Dein literarium iter ingressus, linguas
tere omnes didicit. Post sinistra apud Helmida-
dienses fata ad Werdenhagenum Parthenopolin
secedens, Cramerum pastorem sibi addicatum ha-
buit. Inde electus a comite laudato ecclesiasticum
munus accepit, irruente vutem militum armata ma-
nu graibus vulneribus plagiisque enecatus tandem
perit.

u) loc. cit.

x) En titulum, vt ex vngue leonem colligas: *Vn-
überwindliche feste Grundbüchlein, welchermaßen
man Philosophos, so nach irridischen philosophischen
Bildern, Dünckeln und Wahl Jesum Christum mit
seiner verborgenen Weisheit schätzen und ersinnen
wollen, und daker Licht und Finsternis, Leben und
Tod, Verstand und Unwissenheit ganz unverschaemt
mischen, aufhalten, zurücktreiben, niederslofen, und
aus Gottes ebenwerthen prophetischen Wort überwälti-
gen soll, kann und mag, geschrieben durch Wences-
laum Schillingen, der H. Schrift Studiorum, visita-
tionem metaphysicae contra Matthiam Martinium
constantissime propagnante, Magdeb. 1617. 8.
Inscriptus libellus administratori et capitulo archi-
episcopatus Magdeburgici.*

ex reuelatione spiritus peculiari oriri debere, quae solis mentibus piis obtingat, opponatur autem philosophis, id est, hominibus in carna- libus atque terrenis cogitationibus ambulantibus, et controuersiis at- que disputationibus scholaſticis homines a Christo ad gentiles nugas fabu- lasque, iram, et malitiam animi gignentes seducentibus, qui pios pedi- bus calcent, et semen diaboli conceperint. Ideo sapientiam quae dicitur datur, a vanis et ineptis logomachiis et inutilibus pugnis atque litibus humani ingenii longe distare et ab hac philosophia puram se conseruare. Iustum ideo esse, ut iuuentus moneatur, ab ea seductrice philosophia sibi caueat, et ne voculam quidem vanitatis philosophicae et stercoris meta- physici deliret, sed ex puro Dei verbo de diuinis rebus fiat Deoꝝ. Quibus atrocem dicam in metaphysicam iungit, et cum Aristotelis ethi- cam mire perstringit, tum Iacobo Martini, *Speculo rationali* eum repri- menti, eadem acerbitate respondet. Cum autem partes has isto modo tueri pergeret, ex academia Iulia anno 1590 proscriptus est. In exilium itaque actus, ad Werdenhagenium, Magdeburgum se conuertit, ibique praeter syndicum istum vrbis, pastorem ad S. Ioannis, M. Anto- nium Cramerum sibi fauenter expertus est. Ipse tamen loco motus est, effecitque, ut Werdenhagenius et Cramerus abire iuberentur. Delatus postea ad comitem Schwarzenburgicum, et munere ecclesiastico ornatus iterum a Parthenopolitanis expeditus est, excidio tamen vrbis interceden- te eo secedere non potuit; et militum graffantium ferocia vulneratus mi- fere tandem obiit. Werdenhagenius ad Batauos concessit: atque ita pri- mariis fabulae actoribus disparentibus, ea quoque tota acta est. Recrudescen- re tamen controuersia videbatur, cum PAVLVS SLEVOGTVS, de cuius eruditione philosophica inter Peripateticos egimus, a Crameri, ut nonnulli tradunt factione seductus edidisset *v. Peruigilium de dissidio theolo- gi et philosophi in vtriusque principiis fundato*, cuius scribendi occa- sionem sumvit a quaestione: an Deus sit cauſa peccati per accidens? Ea enim, inter se repugnare theologiam et philosophiam, demonstrari posse putabat. Ast suppressit Sleuogtius foetum, qui eo inuito postea prodidit, et totam cauſam abiecit, fine dubio, quod obseruauisset, omnem istam controuersiam ad pugnam de verbis redire.

*Iudicium de
hac contro-
uersia.*

§. V. Facile ex breui hac narratione intelliget Lector, andabata- rum more viros istos doctos, quorum lites enarrauimus, pugnauisse, et reuera non de philosophiae sobriae pretio in se, sed de metaphysica Aristotelica disputatum fuisse. Hanc enim Venerem deperibat vterque Martinus, Cafelius, aliique, qui pro philosophia dimicabant: quae cum dispu- tationum aridarum mater esset, et animos stipulis magis quam tritico pasce- ret, multa autem suppeditaret, quibus velut pretiosissimis thesauris iuuen- tuti philosophiae studiis dicatae commendatis, animi iuueniles ab eruditione folida

v. Vid. IAC. THOMAS, Praef. XLII. p. 245. not. o. BAYLE Dic. T. II. art. Hofmann, not. C. p. 782.

solida detinebantur et nugis explebantur, mirum non est, nonnullos qui magno animo praeiudicia pedibus conculcauerant, isti philosophiae Peripatetico-Scholaisticae se opposuisse. Qui si sanum philosophiae vsum et rectam rationis culturam a philosophia sectaria distinxissent, et in hanc tantummodo fuissent inuecti, non esset, quod in illis magnopere reprehenderemus. Idem enim innumeros viros cordatos dixisse atque monuisse, exemplis atque testimoniosis quam plurimis haec tenus a nobis adductis constat. Verum, vt hominibus ex imbecillitatis suae lege plerumque accidere solet, vitium ανθοληψης in praeceps eos egit; vt cum aliam, quam quae tunc in academiis personabat philosophiam non nosserent, ipsam philosophiam contumeliis laceſſerent, et conuitis onerarent, id non facturi, si ipſi inter verum et falsum distinguere, et sobria philosophia vti sciuisſent. Deinde accessit duplex cauſa, quae effecit, vt cum leuis atque exigui momenti quaestio effet, tantus tamen puluis excitaretur, tantoque strepitu res agitaretur, vt aularum et magistratum ad eum sopiaendum auctoritate opus fuerit. Vna in theosophiae fama reponenda est, quam tum non sine admiratione nouaturientium ingeniorum, spargere cooperat Iacobus Boehmius. Ea enim cum mysteria diuina, inaudita, sublimia promitteret, fastidientes scholarum sapientiam animos, qui alia et meliora non norant, ita occupauit, vt, abieclo rationis criterio sine examine in eius amplexus ruerent, vt luculento exemplo suo probauit Werdenha- genius, cui adhaesisse Schillingum, supra monuimus, et eodem scopo quoque succenturiatus est Ioannes Schraderus. Ita vero diuinitus se edoces credentes hi homines, philosophiam academicam non potuere non infensissimo persequi animo. Altera vero cauſa in animorum motibus et affectibus querenda est, qui totam fabulam mire turbauerunt. Eam enim totam animo a partium studio vacuo recolenti manifestum fore putamus, ex parte philosophorum sectae studium, emolumentorum suorum atque famae conseruationem, et auctoritatis insanum aliquod praeiudicium eos contra Hoffmanni partes ita armauisse, vt aulam quoque in partes vocarent: at ex altera quoque parte φιλαυτίαν et ambitionem indecoram, contemptu, odio, violentia, dicacitate aliisque animi emoti et ab affectuum vehementia perturbati excessibus se efferentem, et indigna verborum acerbitate se iactantem regnasse; adeoque si verum fatendum, vtramque partem verae philosophiae characteres abnegasse. Quae luculento exemplo esse possunt, quam necessarium sit, sobrie philosophari, et ratione ita vti, vt vera inde emergat sapientia.



Hist. Philos. Tom. IV.

G g g g

AD-